



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

Cap. Lib. Sexti sunt XXXIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

Gregorius V. ex Saxonia. Victor I. ex Suetia, Clemens II. Saxo. Damasus II. Bauarus. Hispani fuerunt quatuor. Damasus I. Lusitanus, Ioan. XXI. Lusitanus, Callistus III. Valentinus. Alexander VI. Valentinus. Ex Anglia vnus est electus Adrianus IV. Ex Flandria vnus quoque Adrianus VI. Ex Græcia XV. Anacletus, Eleutherius, Thelesphorus, Higinus, Antherus ex magna Græcia, quæ est in Italia, vulgo Calabria, Xistus II. Canon, Ioannes V. & Ioannes VI. ex Magna Græcia. Dionysius ex eadem Prouincia, Eusebius, Zozimus ex Magna Græcia. Ioannes VII. ex eadem prouincia. Zacharias item Calaber. Alexander V. Cretensis.

Ex Syria fuerunt creati septem. Euaristus, Anicetus, Sisinius, Constantinus, Gregorius III. Theodorus, Sergius I. Ex Africa tres, Victor I. Melchiades, Gelasius I. Sardi fuerunt duo. Hilarius & Symmachus. Natione Itali, aut etiam patria Romani, fuere multi, quos memorare necesse non est.

Sieulos aliqui numerant duos, Agathonem, & Leonem Secundum. Sed alij dicunt eos fuisse ex Valle Sicilia, quæ est in prouincia Abrurij vltioris.

Mos osculandi pedes Romanorum Pontificum est per antiquus: & introductus, eo quod Rom. Pontifex tanquam supremus Vicarius refert & repræsentat in terris Christum Dominum. Porro Magdalena Christi Domini pedes osculando, suorum peccatorum veniam impetrauit.

Carolus Magnus Imperator Adriani Pontificis pedes osculatus est. *Blondellus Decad. 2. lib. 1.* Iustinianus Secundus Constantinopolitanus Imperator Nicomediæ pedes Constantini Papæ populo spectante osculatus est. *Anastasi. Bibliotheca. & Platina in Vita Constantini Papæ.* Henricus eo nomine IV. Imperator Romanorum ad pedes Paschalis II. se prouoluit. *Chronicum Cassin. libr. 4. cap. 41.* Luitprandus Rex Longobardorum ad pedes Stephani Secundi prostratus osculum exhibuit. *Blon. Decad. 1. libro decimo.*

Ludouicus Lotharii Imperatoris filius sui proauis Caroli exemplum imitatus Sergio Secundo obuam procedens sancto eius pedi osculum infixit. Ludouicus Septimus Rex Francorum, & Henricus Secundus Rex Anglorum Alexandrum Tertium eximij honoribus exceperunt, stratorum officio functi, pedes dextra læuaque equi facrum tenere. Federicus I. cognomento Aenobarbus Venetijs in Basilica S. Marci coram Cardinalibus, & Episcopis, ubi ad Alexandrum Tertium accessit, inclinatus ad terram pium ei pedum osculum præbuit. Crescentius Romanus Orthonis Imperatoris aduentum formidans, Ioannem XVI. à se profugatum, ex Hetruria reuocauit, eique cum cæteris Senatorij Ordinis viris, & ingenti plebis multitudine obuam processit, & ad pedes eius abiectus, eos osculatus est, & supplicem veniam obtinuit. *Platina.*

De Lino, & Cleto dubitandum non est, eos fuisse Rom. Pontifices ante Clementem Romanum: eos enim Catholica Ecclesia in Canone Missæ ante Clementem Romanum ordine recenset. Item si Clemens statim post B. Petrum Pontifex fuisset, cum ad tertium vsque Traiani annum peruenerit, ut Hieronymus & alij testantur, consequens esset vixisse cum in Pontificatu plus quam 33. annis: cum tamen nullus Romanorum Pontificum B. Petri in Pontificatu annos attigerit.

Obijcies, Clementem fuisse à beato Petro nominatum, & electum, ut post se in pontificatu sederet. Respondet, id verum esse: sed & Clemens ipse suo iure cessit, & Ecclesia Romana statim post Petrum, Linum Pontificem creauit, & post Linum, Cletum; ne inde traheretur exemplum à Rom. Pontificibus, ut sibi successores nominarent.

Si iterum opponas id quod scribit Ioannes III. in Epistola ad Episcopos Germaniæ, & teste Mariano Scotto Leo Secundus, Linum, & Cletum fuisse Petri adiutores, non Romanos Pontifices? Respondeo, eum solum dixisse, fuisse beati Petri adiutores tantummodo, nimirum ipso Petro viuente, qui cum ab Vrbe sæpe abfasset promulgandi Euangelij causa, Linum, & Cletum sibi adiutores adsciuit, qui ipso absente Vicarij eius in vrbe relinquuntur, ut Christiani ipsorum opera, cura, & diligentia in religionis Christianæ officio continerentur, & alij ad Christi fidem traherentur.

Finis Libri Quinti.

IOANNIS
AZORII
LOR-
CITANI E SOCIE-
TATE IESV,
INSTITUTIONVM
MORALIVM
Pars secunda:

LIBER SEXTVS,

Quo iure beneficia Ecclesiastica sint
instituta.

CAPVT PRIMVM.

Hoc libro breuiter explicabo, quibus modis beneficia Ecclesiastica Canonice & legitime acquirantur. Nam tribus superioribus libris explicui, quorū sint beneficiorum genera, & quæ potestas, munus & officium singulorum Beneficiorum etiam Episcoporum, & superiorum Antistitem, Cardinalium itidem, & Romanorum Pontificum.

Primo quaeritur, Diuino ne, an Canonico iure beneficia sint instituta? Hanc questionem copiose disputauit Ioannes Selua in *Tractatu de beneficiis parte prima, questione quarta.* & post eum Hieronymus Gigas in *Tractatu de Pensionibus questione secunda.* & uterque testatur sententiam esse communem consensu receptam, Ecclesiastica beneficia esse iure Canonico, non diuino instituta: cuius sententiæ Auctores Ioannes Selua citat ac refert Abbatem, Archidiaconum, Dominicum, Cardinalem, & Felinum: & certe ea colligi videtur ex cap. 1. & 2. *distinction. 21.* ubi dicitur Romanum Pontificem instituisse Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & alios ad dignitatum gradus euectos.

Idem etiam colligitur ex cap. *In illis, distinction. 20.* Præterea in cap. *licet, in principio de Præben. in sexto,* & in Clement. 1. *ad finem, Vltimo pendente* habetur, Romanum Pontificem plenam & liberam in beneficijs potestatem habere: at si beneficia essent iure diuino constituta, non posset Pontifex plene de his, & suo nutu decernere. Huc accedit, quod Pontifex potest ad nutum, & ad tempus, & sub conditione beneficia conferre. cap. *Si gratioso, de rescript. in sexto, & cap. Veniens, de filiis Presbytero. & cap. Quamuis sit*

triste, & cap. Peisiti. 7. quæst. 1. Animaduertendum est beneficij appellatione multa significari: Aut enim primo beneficium dicitur ius, & potestas spiritualia conferendi, vel gubernandi cuiusmodi est potestas Sacramenta ministrandi vel Missæ sacrificium faciendi, ac offerendi: & hæc potestas proculdubio diuini iuris est, vt potest a Christo Domino instituta.

Talietiam est potestas, quam Romanus Pontifex, vt summus Christi Vicarius in totum terrarum orbem habet. Nihilominus tamen sunt aliquæ sacræ potestates, quas Ecclesia constituit, cuiusmodi est ius, & facultas diuinas laudes in choro cantandi, preces horarias recitandi, vestes, templa, altaria, & vasa consecrandi. Aut secundo beneficij nomine intelligitur annuus redditus, quem Clericus ex prædijs, & alijs bonis Ecclesiæ colligit, & percipit: & hi redditus ab Ecclesia sunt constituti: voluit enim illa, vt sui ministri certos annuos prouentus haberent, quibus honeste & commode sustentarentur. Tertio itidem beneficium vocatur ius exigendi fructus ex rebus Ecclesiæ ob sacrum ministerium.

Et hoc ius adhuc dupliciter distingui potest: aut enim est ius percipiendi portionem fructuum simpliciter necessariam ad ministrum Ecclesiæ commode sustentandum, quippe qui nihil aliunde habeat, ex quo viuere queat: & sic acceptum beneficium, diuini, & naturalis iuris est. Aut enim Apostolus: *Qui altari seruit, de altari viuere debet: & Dominus noster, Dignus est, inquit, operarius mercede, vel cibo suo.* Laboranti siquidem, & militanti, stipendium, merces, & alimenta naturali iure debentur. Aut beneficium, est ius percipiendi fructus, qui excedunt, & superant necessarium ministri victum, & alimenta, & hoc modo sumptum beneficium, Canonico tantum iure confertur.

Ex his percipi facile potest, quid sit dicendum in ea questione, An beneficia Ecclesiastica ita sint liberæ Romani Pontificis potestati subiecta, vt de ipsis possit, quidquid velit statueret: nam in *Capitulo paulo ante citato* aperte dicitur, eum in beneficijs plenum ius, & liberam potestatem habere. Habet certe, quod attinet ad ea, quæ scripti, & Canonici iuris sunt, quia potest beneficia coniungere, diuidere, extinguere, augere, minuere, noua erigere, & ad nutum ad tempus, & sub conditione conferre, hæc aut illa restituere, mutare, dare antequam vacent onera & pensiones in ipsis imponere: Non tamen potest sine iusta causa ministro subtrahere pensionem sibi iure naturali, & diuino debitam: præsertim cum aliunde sustentari commode, & honeste non potest.

Quæres, Quid dicendum sit de eo, in quem Pontifex beneficium confert, amplum aliqui patrimonium habentem: poteritne ex toto ei fructus subtrahere, & denegare? Respondeo, in hunc modum, quamuis minister Ecclesiæ diuine aliqui ex patrimonio sit: iure tamen diuino & naturali ex rebus Ecclesiæ portionem fructuum exigit non solum, vt debitum alimentum, quo commode sustentetur; sed etiam, vt stipendium operæ, & laboris, cum pro Ecclesia laboret, ac militet. Si tamen ipse minister vltro suo iure cedat, ita vt ex suo patrimonio viuere, non ex beneficio sibi dato velit: tunc potest Pontifex nutu suo Beneficij fructus in alios vsus impendere.

Secundo quaeritur, Quam vetus & antiqua sit beneficiorum Ecclesiasticorum origo? Dubitari non potest, quin ipso mundi conditi principio semper fuerit in more positum, vt ministri ad cultum & obsequium diuinum destinati reciperent à populo bona, quibus alerentur: & quibus eorum opera, & labor compensaretur. In primis id Ægyptij obseruabant, vt constat *Genes 47.* Sacerdoti enim possessiones erant attributæ, & apud alias gentes publica annona offerebatur.

Abraham ante legem scriptam, Melchisedech sacerdoti decimam spoliolum partem obtulit: & Iacob vouit se decimam fructuum partem Deo soluturum. Olim et-

iam Hierosolymis Christiani omnes tum Laici, tum Clerici cæperunt in commune viuere. Singuli enim, teste *Santo Luca in Actis Apostolorum capitulo quarto*, adferentes pretia agrorum aut domorum quas vendebant, ea ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebat uterque autem singulis prout cuiusque opus erat. Actum 4. quod & refertur *cap. Dilectissimis, & cap. Scimus 14. quæst. 1.* Aliqui tamen Christianorum deinde sibi propria bona seruabant, vt *Corinthij teste Apostolo 2. ad Corinth. 9.*

Porro crescente Christianorum numero Laici patrimonium sibi retinere cæperunt, & apud Clericos solum mansit vita communis: nec tamen apud omnes illorum, sed apud eos tantum, qui in commune viuere volebant, in potestate & cura peculiari Episcoporum constituti, vt colligitur ex *Gratiano 12. quæst. 1. per aliquos capta, & ex Canone Apostolorum 39. & 40.* & refertur ab eodem Gratiano loco paulo ante citato. c. *Manifesta.* Itaque cum Clerici vitam communem desererent ex piorum hominum oblationibus, decimis, & alijs Ecclesiæ bonis: portio sancti & separari cæpit, quæ in Clericos inseruientes Ecclesiæ distribueretur: quæ portio dicebatur Canonica; quia iuxta Canones præbebatur Clericis, qui in Ecclesia ministrabant, cum cæteris ex suis proprijs facultatibus viuere volentibus nulla præberetur.

Deinde illi portio Canonica sunt addicta certa quadam prædia, domus, & redditus annui: quæ bona dicitur cæperunt beneficia, ne scilicet Clerici pauperes suo victu fraudarentur: & vt Clerici suum etiam stipendium debitum haberent. Hæc itidem bona, Ecclesiarum patrimonium vocabantur, quoniam ex ipsis Laos Ecclesiæ ministros alebant.

Circa Caroli Magni & Ludouici Pii Imperatorum tempora, huiusmodi bona, beneficia appellabantur, *cap. 1. De Ecclesijs adificatis.* vbi ex Concilio Moguntino, alias ex Synodo Arelatensi I V. quæ sub Carolo Magno coacta fuit, *cap. 24.* hoc refertur: *Quicumque Ecclesiasticum beneficium habent, omnino adiuuent adiecta Ecclesia restauranda, vel ipsas Ecclesijs adificandas Et c. sancitum est, 23. quæst. 8. ex Concilio Vormatiensi dicitur [Sancitum est, vt unicuique Ecclesiæ vnus manus integer absque alio seruitio attribuat, & Presbyteri in eis constituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium non de domibus, neque de arboribus, vel hortis iuxta Ecclesiam politicis, neque de præscripto manso aliquod seruitium faciant, præter Ecclesiasticum.] Idem in eisdem verbis habetur, *lege Franc. lib. 1. cap. 85.* Albertus Kranzius in *V. custodia, lib. 4. cap. 15. Assignantque*, inquit, *trecentos mansos Ecclesijs in perpetuum seruituros.* Idem ait: *Adolphus trecentos quoque mansos permisit Duci, vt per manus eius assignentur in dotem Ecclesijs, & cap. 25. Est Episcopus in Vagiam adhibitis viris industrijs, astimari faciat prædia, quod defuerit ille trecentis mansis, ego supplebo: veniens Episcopus deprehendit prædia vix centis implere mansos. libr. Feudorum 1. lib. 4. §. 4. Si quis de manso vno feud. nomine inuestituram acciperit. Porro mansum ibi Baldus definit, in quo homines commorantur & manent. Aluarottus definit fundum, siue agrum, qui duobus bobus ad laborandum sufficit. Iacobus Curacius sic: agrum siue fundum, unde quis se & familiam tuam commode & domino veltigal siue censum referre potest.**

Sed verius mihi videtur, quod alii tradiderunt: Mansum, neque esse domum, neque aream, neque hortum, sed agrum tertii modii, ac mensuræ, qui propterea metatus dicebatur. Agros enim antiqui teste *Herodoto lib. 7.* funibus vel peticis dimetiebantur, & deinde limitibus distinguebant, qui agrorum mensores vocabantur: & a Cicerone in *Agraria orat.* Finitores appellantur. Siculus Flaccus lib. 1. de condit. agrorum. *Nominibus*, inquit, *agrorum diuisorum, qui institutis limitibus diuisi sunt, & forma varijs appellationes accipiunt, quidam arbores finales, alii in ventis, alii in membris scripserunt: & quamuis vna res, si forma, alii dicunt peticam, alii centurionem, alii limitationem, alii*

metationem. Ager itaque quem quis dimetebatur, & limitibus suis diuidebat, Mansus dicebatur. Ante Caroli Magni sæculum non legitur ita expressa beneficiorum sub hoc nomine mentio.

Tertio quaeritur, An beneficium Ecclesiasticum sit res spiritualis? Sciendum est bonorum Ecclesiasticorum quædam dici temporalia, quædam vero spiritualia, diuina & sacra. Temporalia, vocantur prædia, domus item & oppida, castella, & villæ, & quælibet aliæ possessiones ex liberali Regum, & Principum, & aliorum insignium viro- rum largitione donata, quæ ad splendorem & decorem, & potentiam potius Clericorum, quam ad necessarium vitæ præsidium & cultum spectant: aut in quibus ipsi Clerici quibus donantur, iurisdictionem temporalem habent; cuiusmodi sunt castra, oppida, & vrbes, quæ vna cum iurisdictione temporalit dantur Episcopis, & alijs Ecclesiastica dignitate præditis, imo etiam Abbatibus Monachorum præfectis, & ipsis etiam cœnobijs, Sacra vero bona dicuntur ea, quæ ad Clericos commode sustentandos destinata sunt. Omnia bona Ecclesiæ quadam ex parte, sacra & diuina vocari possunt; quatenus scilicet sunt sacris vsibus & ministerijs addictæ: At vero decimæ, primitiæ, & aliorum piorum hominum munera, quæ Ecclesijs offeruntur, potiori ratione dicuntur sacra bona, quæ sunt ministrorum Ecclesijs inservientium alimenta, & vitæ subsidia, & quasi laboris stipendium & merces. At castra, villæ, vrbes, & oppida, in quibus Clerici temporalem iurisdictionem habent, non ita sacra bona vocantur, quia sunt potissimum data ad ornatum, splendorem, robur, & potentiam Ecclesiarum, & sacrorum ministrorum.

Beneficium igitur quatenus est ius exigendi & percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ ob sacrum ministerium, res sacra censetur. nam non nisi sacris hominibus, id est, Clericis confertur: nec datur nisi auctoritate Superiorum Ecclesijs præsentium: nec itidem datur, nisi ob sacrum ministerium. At vero prædia, agræ, domus, & aliæ possessiones, & annui redditus, in quibus beneficia Ecclesiastica sita sunt, res temporales sunt, & fructus itidem qui ex bonis colliguntur, oleum nempe, vinum, frumentum, & alia huiusmodi, quæ ex beneficijs quorundam Clerici percipiunt: nihilominus tamen sacrilegium admittit, qui hæc aut illa bona furatur.

Quarto quaeritur, Penes quem sit dominium beneficiorum, & aliorum immobilium bonorum quæ habent Ecclesiæ? Hanc quaestionem suse tractat Satmen. *in libello de redditu. Eccl. par. 1. cap. 1. num. 15.* In præsentī loco non quaerimus quis dominium habeat fructuum, qui ex beneficijs colliguntur, de qua quaestione dicemus inferius: sed quis vere dominus sit stabilium bonorum, in quibus Ecclesiastica beneficia consistunt? Quidam existimant penes Deum esse horum omnium bonorum dominium, quoniam passim Sacri Canones hæc bona appellant bona Dei, & Christi Domini patrimonium. l. i. ff. *De rerum diuision.* dicitur: *Diuini iuris sunt res sacre, religiosa, sanctæ, quod autem diuini iuris est, id nullius, hominis videlicet, in bono est, sed Dei, ut ibi Glossa subaudiendum esse testatur, & c. Cum secundum Apostolum, de præb. l. c. Cum ex eo, de elect. in 6. c. qui Christi, c. qui abstulerit 12. q. 2.* Bona Ecclesiæ dicuntur esse in patrimonio Christi. Idem etiam habetur in Concilio Trid. *sess. 25. c. 3. de reforma.* Cæterum bona Dei dicuntur, quia sunt diuinis vsibus & ministerijs dicata, & quia ij qui ea dederunt, religionis gratia, & pietatis studio dedisse videntur, & ad sacros Ecclesiæ ministros honeste sustentandos impenduntur.

Profecto debitari nulla ratione potest, quin Deus sit eorum bonorum dominus: nihil enim est, cuius dominium Deus non habeat: Sed non de hoc communi dominio & iure, quod Deus omnium rerum habet, quaerimus, sed de proprio, quod omne aliud commune excludit: videlicet: An inter homines sit aliquis, qui vere sit proprius horum bonorum dominus.

Sunt qui putent Romanum Pontificem esse dominum, quia in *cap. licet, De præben. in 6.* dicitur, eum plenam & liberam in beneficijs potestatem habere. Isitem tunc cuiuspiam Dominus est, qui suo nutu & arbitrato potest alienare, & in omnes vsus impendere: ac Pontifex potest hæc omnia. Sed hanc opinionem merito rejicit Turresemata, nam S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 1. ad 7. docet eam non esse horum bonorum dominum, sed administratorem. Dimissis ergo his & alijs opinionibus quarum meminit Gloss. in *c. expedit. 12. q. 1.* Dux sunt in hac quaestione sententia: Prima est eorum, qui docent dominum cuiusmodi bonorum non penes Ecclesiarum Antistes, nec penes Romanum Pontificem, sed penes ipsam communitatem esse, v. g. bonorum Ecclesiæ Toletanæ, vel Moguntinæ, vel Lugdunensis dominum non esse penes harum Ecclesiarum Præules, quippe qui administratores sunt, non domini, sed penes ipsam communitatem Toletanam, Moguntinam, & Lugdunensem. Similiter etiam bonorum ad Ecclesiam Romanam pertinentium non est Papa dominus, sed administrator: dominium autem penes communitatem Romanam est. Nam communitas siue vniuersitas persona ficta in iure habetur: & insti. *de rerum diuision. §. vniuersitatis*, dicuntur esse bona vniuersitatis non singulorum quæ in ciuitatibus sunt, vt theatra & stadia, & his similia: sunt enim ciuitatum bona, quæ vel ad ornatum, vel decorem, vel honorem ciuitatis, vel necessitatis causa sunt, vt si quid ad ludos scenicos relictum sit: item ciuitatis sunt aurifodinae argenti, aut ferrifodinae, & linæ, publica vectigalia, cuiusmodi est, quod pro rebus in oppidum inuectis, vel inde euectis ciuitati penditur, iure & ciuitatum fundi vectigales, qui ciuibus ita locantur, vt certam pensionem ciuitati soluant. Si tamen his obijcias: Communitas Toletana, Moguntina, vel Lugdunensis suo arbitrato non potest hæc bona alienare, nisi Rom. Pontificis consensu ergo dominum non habet: Respondent illi, ideo non posse, quia Canones & iura sanxerunt, rerum Ecclesiasticarum alienationem non nisi Romani Pontificis consensu fieri posse: sicut pupillus sui patrimonii dominus est, at de illo nihil suo arbitrato statueri potest, quia id legibus est cautum, ne absque tutoris auctoritate, aut iudicis decreto faciat. Quamuis igitur singulæ Ecclesiæ in commune, suorum bonorum dominium habeant, Canones tamen statuerunt, ne absque Romani Pontificis assensu distraherentur. Si rursus illis opponas, Romanum Pontificem res Ecclesiæ Romanæ pleno iure administrare, ita vt possit eas donare, locare, vendere, & alienare? Respondent, hinc tantum effici, vt plenum ius & potestatem administrandi habeat, non dominium, quoniam res Ecclesiæ Romanæ datæ, non Romanis Pontificibus, sed ipsi Ecclesiæ datæ sunt: Pontifices vero non sunt rerum Ecclesiasticarum domini, sed administratores. Vnde inquirunt, negari non potest, quin Romanus Pontifex iustis ex causis possit Romanæ Ecclesiæ res locare, vendere, donare cui velit, & alienare; verum id iure tantum administrationis habet, non domini.

Quod autem dicitur, Pontificem plenum ius & liberam potestatem in beneficijs habere: eo, inquirunt, spectat, vt beneficiorum, quæ non solum in Romana Ecclesiâ, sed etiam in cæteris omnib. Ecclesijs constituta sunt, plenam ac liberam administrationem habeat. Nam nullus Episcopus, Archiepiscopus, aut Patriarcha potest Episcopos transferre, delicere: nec item Episcopos coniungere, disungere, augere, minuere, quæ tamen omnia potest Pontifex. Item Episcopi nequeunt, cum beneficia conferunt, pensiones imponere, aut illa ad tempus, vel sub conditione, vel antequam vacent, conferre, vel vacatura sibi referuare; cum tamen hæc omnia, & id genus alia Pontifex possit: Ita Adrian. in 4. de restit. in quest. qua incipit; Pro clariori intelligentia doctorum, versiculo Quarta conclusio Sic Cal. 2. a. 9. 53. art. 8. Turresemata in sum. lib. 2. cap. 113. proposuit. Altera sententia est dicentium, talium

bonorum dominum & proprietatem esse penes Christum Dominum. *Sic Maior. 4. d. 24. q. 18. c. 1. & 2. Nauar. in Apolog. de redditib. Eccl. q. 1. monit. 24. & seq.* Et hæc sententia meo iudicio est probabilior, quippe quæ magis cum ipso iure Canonico congruit, in quo, vt dixi, sæpe hæc bona dicuntur esse patrimonium Christi, & esse bona Dei, & in nullius hominis esse dominio, & ideo vocantur res diuini iuris. Et hæc opinionem tenet *Glossa cap. Saluator. 1. q. 3. c. 6. Cum verior. 23. q. 8. Inno. cap. cum super eo. de causa possess. & propriet. Abbas in cap. cum esset, de testa. in repet. num. 29.* Obijciens, omnia esse Dei, quia *Dominus est terra, & plenitudo eius.* Respondeo, omnia esse Dei, sed bona Ecclesiastica esse Dei peculiari quadam ratione: nam sunt tantum diuinis vsibus non profano destinata. Si vergeas adhuc Deum esse commune dominum omnium rerum, & præter Deum esse aliquem hominem qui sitentiam dominus rei. Respondeo, hoc locum habere in bonis profanis, quæ sunt in dominio huius, vel illius hominis, huius vel illius communis humanæ: ac bona Ecclesiastica, de quibus in presenti loco sermo nobis est, ita sunt diuinis vsibus deputata, vt in nullius hominis, vel communitatis humanæ patrimonio sint: & ideo remota sunt à commercio humano, & vsu profano. Dices, si talia bona in nullius hominis dominio sunt, ergo sunt bona communia, vel derelicta, vel vacuata. Respondeo id minime concludi, quia sunt bona Dei, diuinis vsibus addicta & obligata. Quomodo inquit, si bona Dei sunt, alienantur & venduntur, & permutantur auctoritate Episcoporum, & Romanorum Pontificum? Respondeo, id fieri, quia sunt procuratores, & administratores talium bonorum, & qui furat: ut ea sacrilegus est, & debet ea Deo restituere, quia ea ab vsibus humanis separauit, ac propterea ipso iure compellitur ad diuinis vsus restituere & recte.

CAP. II.

Quinam in iure Canonico ab Ecclesiasticis beneficiis arceantur.

Animaduertendam est, ex regulis iuris in sexto, primum regulam ordine hæc esse: Beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine institutione Canonica obtineri. Vbi, vt recte *Glossa notauit*, beneficij appellatio est amplissime sumpta, prout comprehendit psonatum: administrationem, officium; & quodlibet aliud beneficium cum dignitate, animarum cura, vel iurisdictione coniunctum, vel ab his liberum & immune. Canonica autem institutio beneficij esse non potest, cum quis ad beneficium promouetur, quem sacri Canones omnino à beneficijs rejiciunt. Quare opus est, vt explicemus quinam iure Canonico à beneficijs Ecclesiasticis excludantur. Porro aliqui à beneficijs repelluntur non ob vicium ipsorum, & culpam sed ob iustam aliam causam, quam Canones, & iura declarant, & de his dicendum primo loco nobis est.

Quæritur ergo primum, An aliqui iure naturali, vel diuino à beneficijs prohibeantur: hoc est, an qui sunt ad beneficia iure naturali, vel diuino inepti, & inhabiles? Respondeo, esse propterea quod Beneficium propter officium datur, cap. ult. de Rescript. in 6. I ergo qui ab ordinibus, & Clericorum gradu iure naturali, vel diuino repelluntur, eodem quoque iure à Beneficijs prohibentur, cuiusmodi sunt in primis feminae. Nec est quod obijcias, feminas sacris virginibus præesse, cœnobijs præfici: imo in Germania, & Belgia feminas quasdam esse Canonicas, quæ Clericis etiam quadam ex parte imperant, vt constat ex cap. Dilecta. de Maiori. c. obed. c. cap. in demeritis, de elect. in sexto. Fatemur quidem munera & officia administrandi familiam, non solum sacrarum Virginum, sed etiam Clericorum in feminas posse cadere: sed non mini-

sterium sacrum & diuinum, aut gradum, & ordinem Clericorum, quorum gratia beneficium Ecclesiasticum conferretur. Potest quidem femina ratione dignitatis, muneris, & officij quod nacta est, iurisdictionem etiam in Clericos habere, & illis beneficia conferre, sicut & ratione dignitatis, vel officij, quo fungitur, habet iurisdictionem temporalem: nam femina aliquando iure hereditario regnum defertur, vt in cap. Cum deuotissimo. duodecima questione secunda, capit. significasti, De rescript. feminae præficiuntur cœnobijs sacrarum virginum. Imò e iam femina ratione dignitatis, vel muneris quod habet, obtinet ius in Clericos sibi subiectos ob Cappellas, vel Oratoria, quæ ipsi dignitati subduntur, in quibus cappellis potest Clericos instituere, illis beneficia concedere. *Glossa, & Abbas in cap. Dilecta. De Maior. c. obed.* Femina itaque iure diuino capax non est potestatis ordinis, est tamen iurisdictionis temporalis, ciuilibus, & profanæ. Rursus, qui nondum sunt baptisate abluti, iure diuino à Beneficijs excluduntur: ii præterea, qui nullo modo se exercere possunt in eo munere & ministerio, quod est beneficij alicuius proprium, gratia exempli est beneficium, quod sacerdotalem ordinem requirit. Titius vero nullo modo sacerdotis munere fungi potest, quia manibus caret, vel quia mutus est; eo ipso ad illud promoueri iure non potest; quamuis annuus redditus qui ex beneficio colligitur, ad ipsius vitam sustentandam, hoc est, ad victum & cultum possit ex causa, & Rom. Pontificis auctoritate concedi.

Secundo quæritur, An Neophytus sit iure diuino à beneficijs exclusus? Ratio dubitandi est, quoniam Apostolus ad Timotheum scribens: *Oportet*, inquit, *Episcopum non esse neophytum*: ergo iure diuino ab omnibus prohibetur, & proinde à beneficijs.

Sciendum est, Neophytum dici quasi nouum germen, & plantam in fide, & religione Christiana. Itaque Neophytus habetur, qui ad Christi fidem est recens conuersus, eo quod sit nuper in Christus: & quoniam ius diuinum quidam inris Pontificij Consulti late vocant, quicquid in sacris literis, vel præcipitur, vel prohibetur. Ideo quidam, Neophytum ab ordinibus, & beneficijs iure diuino reiectam esse censent.

Verius tamen alitradiderunt, Neophytum iure tantum Canonico ad ordines ineptum esse, cap. Neophytus, dist. 61. c. cap. Quoniam, c. cap. Sicut Neophytus, dist. 48. & p. unde ad beneficium promoueri non possit. Quod si Apostolus prædicto loco verat. Neophytum Episcopum creati; non id iure diuino, hoc est, ex Christi præcepto, sed tanquam Ecclesiæ doctor, & pastor interdixit, & quamuis de Episcopo tantum loquatur. Canones tamen, & Doctores, omnes Clericos comprehendunt. Quo fit, vt Romani Pontificis auctoritate, Neophytus possit ab ea lege Apostoli solui non tamen id facile indulgere solet, nisi quando videlicet bona, & magna de aliquo ipse conleptur; cum alii non desint nostræ huius ætatis temporibus aptiores, & magis idonei. At post biennium, aut triennium, si bona, aut proba & vitæ fuerit, alioqui idoneus. Rom. Pontificis indulgentia potest ad ordines, & beneficia promoueri, tamen eius parentes fuerint à fide, & religione Christiana alieni. Sic Mandos. in Praxis Signatu. Gratia, in verbo. Dispensatio cum Neophytis. Imò ait ibi sic: *Signatura cum Neophytis, seu Marranis dispensat ad omnes ordines & beneficia, quando ipsi semper vixerunt, vt Catholici, licet eorum parentes fuerint combusti. Argument. textus in cap. Cum te, in fine, de rescriptis, & de Indulis conuersi fundata est Ecclesia. cap. in nouo. dist. 21. cap. Recurrat, 32. questione quarta, Staphyl super signat.* Hæc ille, qui in Christiana Religione est veteranus miles, potest ad ordines, & beneficia promoueri. Felin. in cap. Cœm sit, de Indulis. Romanus in singulari 416. Dec. in cap. Cum te, de rescript. iidem Francus, Ripa.

Tertio quæritur, An Hermaphroditus iure diuino ab ordinibus, & beneficijs excludatur? Animaduertendum

1 ad Ti-
moth. 1.

est, Hermaphroditum esse, qui utrumque sexum habet. At in l. *Quaritur*, ff. de statu hominum, habetur: *Quaritur, Hermaphroditum cui comparemus: Et magis puto eius sexus estimandum, qui in eo praeualeat.* Hæc ibi. Vnde fit ut Hermaphroditus tanquam mas, aut tanquam femina censeri debeat, prout in eo magis aut minus sexus virilis, aut femineus dominatur, & praeualeat: quod si muliebris sexus magis in eo vigeat, iure diuino ab Ordinibus, & beneficijs prohibetur. Item si sic in utroque sexu par: at si magis in eo sexus virilis appareat, iure diuino non excluditur. Nihilominus tamen iure Canonico est ei ordinibus, & beneficijs interdictum, si tanquam infamis habeatur: nam in cap. *Si testes* 4. q. 4. §. *Hermaphroditus* inter eos recensetur, qui a testimonio in publicis actis ferendo, iure communi repelluntur. Item ab ordinibus & beneficijs excluditur, si aliorum offensio inde verosimiliter oritura credatur, quod ad ordines & beneficia eligatur. *Aul. Gellius lib. 9. cap. 4.* refert, ex feminis aliquando mutari in mares. *Libitum est*, inquit, in loco hoc miraculorum notare id etiam, quod *Plinius secundus*, vir in temporibus a vis sua ingenij, dignitatisque gratia, auctoritate magna praeclarus, non audisse, neque legisse, sed scire se, atque vidisse in libro *Naturalis historia septimo*, capite quarto scripti. Verba igitur hæc, quae infra posui, ipsius sunt, ex eo libro sumpta: quo profecto faciunt, et neque respicienda, neque recedenda sit norissimè a illa veterum poetarum de *Caneide*, & *Caneo cantilena*: *Ex feminis, inquit, mutari in mares, non est fabulosum. Inuenimus in Annalibus Q. Licinio Crasso, & Crasso Longino Coss. Cassium puerum factum ex virgine, sub parentibus: iussuque Aruspicum deportatum in insulam desertam. Licinius Marianus prodidit visum esse à se Argis Ariconsem, cui nomen Arescusa fuisse, nupsisse etiam, mox barbam, & virilitatem protulisse, uxoremque duxisse eiusdem sortis, & Smyrna puerum à se visum. Ipse in Aphrica vidit mutatum in marem die nuptiarum L. Cassium civem Tisdritanum: vinebatque cum proderem hæc. Ita Gellius Augustinus libro 3. de ciuitate cap. 31. ait: In libro *Genilium* legi feminas, & gallinas, & homines in masculinum sexum fuisse conuersas. Vbi interpretis addit: *Difficile mihi apparet, ex mare fieri feminam. Contra fieri ex femina marem, non ita difficile videtur: tu vero reliqua apud eum lege.**

Quarto quaeritur, An perpetuo amantes sint iure diuino, & naturali ad beneficia & ordines inepti? Durandus in 4. dist. 25. *questione secunda*, censet characterem ordinis non impunitum in eo, qui absque vllò vfu rationis ad ordines promouetur. Ex quo fieret, ut si infans ordinibus initiaretur, characterem ordinis non susciperet. Ac proinde perpetuo amantes, iuxta Durandi sententiam, ad ordines, & beneficia iure diuino sunt prorsus inepti. Sotus tamen in 4. dist. 25. q. 1. ar. 2. communem sententiam Theologorum S. Thomae, Bonauenturae, & Richardi secutus, existimat vsum rationis præcepto quidem Ecclesiae ad ordines maiores, & sacros requiri, non tamen necessitate Sacramenti, hoc est, si infanti ordines sacri conferantur, is characterem ordinis donabitur, quamuis dum infans est, iure diuino & naturali, à functione, & vfu ordinis arceatur. Certe multo probabilior est hæc Soti opinatio, quæ & constans omnium Theologorum sententia videtur: nec enim vlla ratione cogitur allere, vsum rationis necessitate Sacramenti requiri.

Ex his manifestum est, perpetuo mente captos, si ad ordines promouantur, ut idem Sotus annotauit, characterem quidem ordinis suscipere, iure tamen diuino & naturali, à functione & vfu in perpetuum excludi; ac proinde iure quoque diuino & naturali à beneficijs omnibus Ecclesiasticis prohibentur: tum quia beneficium non nisi propter officium conferretur: tum etiam quia electioni, qua quis ad beneficium eligitur, suum præstare debet assensum. Vtrum vero infans sit quoque iure diuino & naturali ad quodlibet beneficium Ecclesiasticum ineptus, dicam inferius: in præfenti loco satis est dicere, eum sic electioni consentire non posse: ac propterea ad beneficium eligi nequire.

Quinto quaeritur, Quo iure prohibeantur à beneficijs ij, qui nondum sunt: prima Clericorum consuetudine donantur? Respondeo: non iure diuino, aut naturali, sed Canonico duntaxat id esse interdictum, cap. *Cum adeo de Rescript. cap. Ex literis, de translat. cap. 2. de institutione.* Quæres, an rata sit & firma beneficij impetratio: & ad pro, si Titus hodie beneficium consequatur, qui cras certo primam Clericorum consuetudinem suscipiet? nam *va colligitur ex l. Filiofamilias, ff. de militi vti testamento*, cinctus miles censetur, qui confestim est miles cingendus, & quamuis filius familias sit, potest testamentum more militum facere: item habetur perditum, quod perdetur statim, l. *si qua cum, ff. pro empto*. item habetur datum, quod paratum est, & continuo dabitur. Item legato *ff. de legatis 3.* dicitur conditio deficere, quam constat statim defecturam. *Authent. vi ex. act. in statu. do §. si deficit conditio*. ergo qui Clericus statim euader, pro Clerico nunc habetur. Ex altera tamen parte videtur prorsus irrita & inanis, nam Titus prima Clericorum consuetudine expertus est, cum beneficium obtinet, & quæ initio non valent, elapsu temporis non conualecent, nam in ca. *non firmatur. de reg. iur. in 6. c. l. quod ab initio ff. de iur. iud. [quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis conualecere.]* Alioqui si Titus hodie est excommunicationis vinculo obstrictus, cras certo absoluetur, tanquam absolutus haberetur, & electio eius hodie nondum idoneam & legitimam ratam attingit, cras ad eam pertinetur, eam iam attingisse videtur, certe longè: hi verius apparet, nullam esse impetrationem Beneficij, Titio nondum hodie prima Clericorum consuetudine prædicto. Sed quid si aliquis primam consuetudinem Clericorum suscipiat ab alieno Episcopo sine sui Episcopi consensu, etiam ne capax beneficij? Respondeo, minime, *Item Cepha cons. 682. volum. 1.* quia vitiose est ordinatus, ut patet ex *1. prima. tit. d. 7. c. eos, qui, cap. nullus, de tempor. Ordinat. in 6.* quoniam paria sunt, nullam Clericorum consuetudinem habere, & vitiosam & inutilem habere: quoties vitiose cautum est, pro non cauto habetur. l. *quoties, ff. qui statim. de cog. vnde qui ita est ordinatus, impetrare debet à summo Pontifice literas, ut valeat ordinatio.*

Septimo quaeritur, Quo iure à Beneficijs prohibeantur ij, qui non sunt legitime nati? Respondeo, iure Canonico, quo est eis interdictum Ordinibus, cap. *ut de filij, de filij Presbytero. cap. 1. c. 2. De fil. Presbytero in 6. ca. cum in cunctis, c. Immo. De elect. c. Accedens de Purgat. Canon. cap. Nisi cura pridem, de Renunciat.* Porro filij non legitime nati censentur, quot quot extra legitimum matrimonium orti sunt: quales sunt ij, quos naturales secundum leges & iura appellamus: Item spurij, nati ex adulterio, incestu, vel sacrilegio *Glossa in ca. 1. de fil. Presbyterorum in 6.* communi consensu approbata.

Si obicias id, quod habetur in capite 23. Deuteronomij. Non ingredietur Manzer, hoc est, de sorto natus, in Ecclesiam Domini; ergo iure diuino spurij interclusus est aditus ad Ordines, & Beneficia. Respondeo in primis, eius loci sensum esse, spurium inter Israelitas censeri non posse, ita ut nomine Ecclesiae ibi intelligatur Israelitarum cætus, ac populus, quasi dicat, Nullum commercium cum populo Dei habebit spurius, nullum ius ipsi erit ducendi uxorem Israelitidem. Vel nomine Ecclesiae intelligitur collegium, & cætus seniorum Republicam administrantium: quasi dicat: Spurius in cætu seniorum non recipietur, nullum ius habebit Republicam gubernandi: Vel tertio appellatione Ecclesiae intelliguntur templaria, in qua ingredi nullis nisi Israelitis licebat; fuit itaque tantum lex eiusmodi ad populum veterem lata.

CAP. VIII.

De filiis extra iustas nuptias procreatis, quædam quæstiones solvuntur.

Primo quæritur, An filius qui non est legitime natus, per ingressum in Religionem, & in ea professionem emissam, eo aptus fiat ad omnes Ordines, etiam sacros recipiendos? Respondeo, cum aptus iure communi fieri, & Presbyterorum *dist. 56. vbi dicitur: filius Presbytero à sacra ministerijs remouemus: nisi aut in cænobijs, aut in Canonijs religiose probatus fuerint conuersati.* Hoc etiam habetur in c. *de filiis Presby.* Ex quo fit vt ad Ordines promoueri queat sine vlla noua superiorum Indulgentia, quoniam ius ipsum commune id gratia concedit, vt patet ex duobus iuris locis iam citatis. Anton. Rosel. *de legit. li. 3. ad finem art. Canones & iura solum habere locum in filiis naturalibus, non in spurjis.* Sed merito eum reprehendit Io. in. Rojas *de success. cap. 2. 3. num. 109.* Et quæmuis Sixtus V. in Bulla [Cum de omnibus] contra illegit. prohibuerit eos admitti in Religionem, aut admissos promoueri ad Ordines, & dignitates, tamen Gregor. XIV. post ipsum in Bulla quæ incipit: *Circumspecta Romani:* temperauit eiusmodi rigorem, reducendo ad terminos iuris communis; iuxta quod promoueri possunt ad ordines, vt dictum est.

Secundo quæritur, An spurius per professionem Religionis factam sit ipso iure aptus ad habenda Beneficia regularia, vel administrationes gerendas, vel qualibet alia munera & officia honorifica in ipsa Religione obeunda? Respondeo, communi iure tantum concedi, vt vitam Religiosam professus, ad Ordines, non ad Præfecturas, seu prælaturas promoueri queat, *capit. prim. De fil. Presbytero. in sexto.*

Sed dubia est quæstio, An possit habere Beneficium simplex nulla præf. cura præditum? nam in eo capite solum arceri & excludi videtur à Præfectura; & in Religionibus Monasticis, & Canonicorum Regularium Ordinibus sunt quædam Beneficia simplicia nullam Præfecturam habentia, *constat ex Clement. prima De supplen. n. giger. Prælato.* Hanc quæstionem tractauit Nauarrus *in tomo. prim. consil. De filiis Presbytero. consil. tertio.* nec tam plene dilucere videtur.

Cæterum simpliciter, qui non est legitime natus, etiam Religionem professus, ab omni adhuc simplici Beneficio, siue Regulari, siue Seculari repellitur ipso iure, quoniam ius ad Ordines tantum, non ad Beneficia Religiosum admittit: nam omne Beneficium gradum honoris, muneris, & officij rationem habet. Vnde fit, vt omnis Religiosus si spurius sit ad Ordines tantum iure communi, non ad Beneficia promoueri queat. Hoc autem locum habet tam in Beneficijs Ecclesiasticis Regularibus, siue secularibus, quam in muneribus, officijs, & administrationibus Monasticis, siue in eodem Ordine, siue in alio: vt constans est omnium opinio *ex c. 1. de fil. Presby. in 6.*

Quæres, An legitimis natalibus carens, per vota tantum simplicia Religionis fiat habilis, & aptus ad Ordines? Respondeo, iure communi antiquo non fieri, quoniam solemnem professionem commune ius postulat, sed iure nouo, & speciali Romani Pontificis fieri potest, vt qui hæc tria vota in aliena Religione approbata fecerint, tempore Probationis exacto, sint vere, & proprie Religiosi, & possint ad omnes Ordines promoueri, & ad officia Ordinis, cuius sunt Religiosi, assumi.

Tertio quæritur, An Episcopus concedere gratiam Canonis queat, vt is qui non est legitime natus, ad Ordines, vel Beneficia eligi, & promoueri possit? Respondeo *ex Glossa, & Abbate capit. vltim. de Filijs Presbytero.* id in dubium portuisse reuocari ante editum sextum librum Decretalium: quamuis iure etiam communi erat opinione receptum, posse Episcopum concedere, vt ad beneficium simplex promoueretur. Sed nunc dubitari amplius non

potest, quin Episcopus spurios promouere queat ad primam Clericorum Tonfuram, & ad minores ordines, & ad Beneficia simplicia, ad maiores autem, & sacros ordines, & ad Beneficia maiora, siue non simplicia non item qualia sunt, quæ habent curam animarum, vel Dignitatem, vel administrationem, vel personatum, *capit. primo, de filijs Presbytero. in sexto, & Glossa, & omnes alij Doctores ibidem.*

Quarto quæritur, An qui legitimis natalibus caret, cui est concessum, vt possit ad primam Clericorum tonfuram, ad minores ordines admitti, eo ipso sit factus habilis ad beneficia simplicia? Communis Doctorum opinio negat, vt tradit Rebuffus *in Praxi Benefic. de Dispensat. super defectu natal. num. 48.* eo quod legis ac iuris relaxatio strictè debet intelligi, cum odiosa esse videatur. Item Religionem professus aptus communi iure fit ad ordines, ad munera vero & officia non item. Huc accedit, quod solutus vna lege, non videtur alia solui, *cap. Personalis, de Præben.* Postremo, iuris relaxatio in similibus locum non habet, hoc est, non ideo quod aliquis vna lege soluitur, altera quoque simili solutus est. Nec etiam si quod maius est, iuris relaxatione conceditur, intelligitur concessum quod minus est, nisi in maiori tanquam pars, aut tanquam necessario inclusum contineatur.

Quidam tamen tanquam probabilis oppositum affirmant, eo quod is, qui ad ordines promotus est, si eo ipso ad beneficia aptus non fieret, sine dubio mendicare cogere, quod Clericis maxime dedecet, & pugnat cum eo, quod habetur in c. *Diaconi, 3. dist. 93. Mendicant.* Deinde in c. *Proposuit, de fil. presbytero.* Pontifex Oxoniensi Episcopo respondet, ei mandans, vt filio sacerdotis, quem Subdiaconum creauerat, beneficium conferat. Quia indignum est, inquit, [vt postquam est in Subdiaconum ordinatus, omnino debeat Ecclesiastici beneficij prouisione carere.] Et c. *Episcopus de Præben. Alexander III. in Concilio Lateranensi,* sic ait: *Episcopus si aliquam sine certo titulo, de quo necessaria vita percipiat, in Diaconum vel Presbyterum ordinauerit, tamdiu et necessaria subministrat, donec in aliqua Ecclesia ei conuenientia stipendia milita clericali assignet.* Item *cap. cum secundum Apostolum. De præben.* dicitur, Dignum esse, vt is, qui inseruit altari, ex altari viuat, secundum Apostolum. Hæc tamen minime obstantibus, prima opinio est verior: cui subscribunt Dominicus & Francus *cap. 1. de fil. Presby. in 6. Abbas in c. Literas, de fil. Presbytero. nu. 3.* hosque secuti Rebuffus *in Praxi Benef. pag. 2. de dispensat. super defectu natal. nu. 48. & 49.* & Nauarr. *consil. 3. q. 5. de filijs Presbyterorum.*

Ad argumenta vero secundæ opinionis. Respondeo, illis recte concludi, spurio, & non legitime procreato, cui superiorum beneficio & indulgentia conceditur, vt possit ad Ordines promoueri, concedi etiam posse, vt ad Beneficia eligatur: non tamen eo ipso, quod ei superior indulget & concessit, vt ad Ordines promoueretur, indulgisse videtur, vt possit absque noua alia concessione ad Beneficia promoueri, nisi in prima expressim dicatur: Et concedo, vt ad Ordines, & Beneficia admitti possit.

Quinto quæritur, An si cui spurio Pontifex concedat, vt ad omnes sacros ordines ascendere queat, concessum quoque intelligatur, vt prouchi possit ad beneficium cui cura animarum inest, vel saltem ad beneficium simplex? Respondeo, minime, ita sentiunt Dominicus, Francus, Antonius, Abbas & Nauarrus *lochs supra citatis.* Et probant quia prima concessione solum est factus habilis & aptus ad Ordines, non ad Beneficia, sicut si Titius è Clericorum gradu omnino deiectus, quem Degradatum appellant, ad Ordines restitueretur, non ob id ille intelligitur ad Beneficia restitutus, vt docet Abbas *in cap. litteras, de fil. Presbytero. num. 6. secutus Ioan. Andream.*

Sexto quæritur, An si spurio Pontificis concessu ad Ordines promoueri queat, hoc ipso ad sacros etiam Ordines possit ascendere? Hostiensis *litteras, de fil. Presbytero. secutus Tancredum, Goffredum, & Innocent.* sentit gratia

Pontificis tantum ad Minores Ordines protendi. nisi dixerit Pontifex: *Concedo ut possit ad omnes Ordines promoveri*, vel nisi, ut Abbas annotavit *cap. lit. omnes, De fil. Presbytero n. 6.* Spurius esset ad omnes minores Ordines iam autem promotus, idem, quod Hostiensis, docet Specular. *lit. derog. iuris §. postremo. versic. Quod si dispensatum est.* Rebus. *in praxi dispensat. super def. natal. n. 47.* Philip. tamen, teste Abbate, censet licere etiam spurio tunc factos Ordines suscipere: cum quia appellatione Clerici Sacerdos intelligitur, *distict. 2. cap. Clericos §. cap. de persona n. quæst. 1.* tum quia alioqui si Pontificis gratia tantum ad Minores Ordines trahitur, trahi quoque deberet ad primam Clericum tonsuram solummodo. Sed prima opinio est verior.

Septimo queritur, An spurio, cui Pontifex concessit, ut ad Beneficia possit eligi, eo ipso ad dignitates promoveri queat? Respondet Panormitanus *e. literas, de filiis Presbytero. Ioannem Andream secutus minime, Rebus. in praxi. par. 2. de dispensat. super def. natal. n. 52.*

Octavo queritur, An si Titio spurio sit Romani Pontificis auctoritate concessum, ut ad dignitates Ecclesiasticas admitti queat, concessum intelligatur, ut ad dignitates etiam maiores & principales promoveri possit? Respondeo, minime; ut colligitur ex Archidiacono. *Ioan. Andr. Dominico. Antonio, & Franc. cap. 1. de fil. Presbyt. in sexto. Rebus. in praxi. de dispensat. super def. natal. n. 86.* Porro appellatione dignitatis maioris intelligitur ea, quæ in Ecclesia Cathedrali post Pontificalem est maior cæteris. Principalis vero ea dicitur, quæ est in Ecclesia Collegiali dignitas omnium maxima. Et multo minus intelligitur concessum, ut possit ad Episcopalem & alias superiores procehi dignitates.

Octavo queritur, An spurio qui ex Pontificis concessu potest ad Beneficia, vel etiam ad dignitates eligi, eo ipso promoveri queat ad dignitates, quibus cura animarum inest? Respondeo, minime, quia quamvis is, qui præest dignitati, sit gradu honoris superior eo, cui cura animarum committitur; est tamen inferior Ordinis potestate. Dignitate enim non semper est sacerdotium annexum: & ad curam animarum plus litterarum requiritur. *e. cum illis, de præb. in 6.*

Decimo queritur, An spurio eo ipso, Quo Pontificis concessu sit aptus, ut possit ad beneficium promoveri, cui est imposta animarum cura, eligi queat ad Dignitates? Respondeo *eum Geminiانو cap. ult. de filiis Presbytero in 6.* minime: quia in legis ac iuris relaxatione, vim non habet argumentum à pari, vel simili, vel etiam à maiori sumptum. Hinc etiam apparet, si Titio spurio Pontifex indulgeat ut ad Beneficia recipi, & admitti queat, non ei intelligatur indulgentum, ut possit eligi ad Dignitates vel Beneficia, quibus inest cura animarum, ut paulo ante iam dixi, *Angelus, Beneficium n. 25. Silvest. Beneficium 3. quæst. 12. Tabien. beneficium 2. n. 23. ex Gemin. cap. ultim. de filiis presbyt. in 6.*

Vndecimo queritur, An Episcopus qui iure potest spurio Beneficia simplicia conferre, eo ipso dare etiam queat Canonicatum in Ecclesia Cathedrali? Dux sunt opiniones, una affirmat, hanc sequuntur Glossa, Archidiaconus, Ioannes Andreas, Dominicus, Francus, *in e. is qui, de filiis Presbytero, in 6. & Oldrad. consil. 213. Iason. consil. 109. vol. 1. Selua. tractat. de Beneficiis par. 3. q. 16. Rebus. in praxi. benef. de dispensat. super def. natal. n. 11. Silo. Beneficium 3. q. 7. Ang. Beneficium n. 19. Tabien. Beneficium 2. n. 16.* Hæc itaque sententia videretur esse communis. Altera opinio negat: estque Ioannis Monachi, & Antonij & Rota & quorundam iuniorum, ut refert Rebus. loco citato, affirmantium, hanc esse usum Curie Romanæ receptam. Qui quidem eo ducuntur argumento: quod Canonici Ecclesie Cathedralis, honoris gradu cæteris omnibus Beneficiariis præstant, quia unum veluti corpus cum Episcopo efficiunt, cuius corporis ipsi sunt membra, caput Episcopus: ac præsertim in publicis supplicationibus, conveniunt, & actis, in

quibus una cum Episcopo, & alijs Beneficiarijs, & Clericis conveniunt: cæteros Clericos secundum Episcopum antecedunt.

Cæterum prima opinio verior videtur: utpote curæ magis est Iuri consentanea. Si tamen usus Romanæ Curie etiam secundam sequatur, ea erit re ipsa potius amplectenda.

Duodecimo queritur, An Episcopus possit spurio duo simplicia conferre Beneficia? Respondeo minime, quandoque, unum Beneficium simplex sufficit ad eum honeste, & commode sustentandum. Quoniam *e. 1. De fil. Presbytero. in 6.* conceditur Episcopo facultas, qua possit spurio Beneficium conferre, dummodo tale sit, ut id Episcopus possit concedere: at Episcopus iure non potest duo Beneficia etiam simplicia eidem Clerico conferre, siue in eadem ecclesie, siue in diversis, quando unum sufficit ad Clericum sustentandum. Quæres, an quando unum Beneficium non sufficit ad spurium concedendum, possit Episc. ei alterum conferre? Ratio dubitandi est, quoniam in Concilio Tridentino conceditur Episcopo, ut quando unum Beneficium simplex ad Clericum victum non sufficit, ei alterum dare queat, dummodo nec utrumque per se sufficiat ad vitam tuendam, nec alterutrum eorum perpetuam Clerici præsentiam requirat.

Rursum qui Beneficium habet, quod eius vitæ sustentandæ non sufficit, pro Beneficentio non habetur, quoniam modicum Beneficium ac tenue, esse Beneficium non videtur.

Accedit quod Beneficiarius habens Beneficium, cuius tenues & exigui sunt redditus, mendicare, aut victum sibi comparare alia ratione compellitur, quatenus eius Beneficium ad vitam non sufficit.

An ex altera parte, videtur iure potestatis, & iuris episcopum non habere: Siquidem iure communi duo beneficia eidem conferri nequeunt: ergo etiam Episcopo sit à Iure data facultas, ut spurium possit ad simplex beneficium eligere, non continuo data est secunda, ut eum ad duo promoveat beneficia. Cum enim due sunt leges, una, ne spurio ad beneficia admittatur, altera, ne in unum plura beneficia conferantur, non simul, ac episcopo datur facultas relaxandi unam, mitigandi alteram quoque intelligitur esse concessa. Adde etiam quod cum Concilium Tridentinum facit episcopo potestatem, ut si unum beneficium ad Clericum vitam sustentandam non sufficiat, alterum dare queat: intelligitur, quando is, cui conferitur, est alioqui aptus, & idoneus, ita ut non sit opus denuo vltima Iuris relaxatione, ac qui legitime natus non est, minime censetur habilis ad duo beneficia, nisi Episcopus in hoc etiam de integro Iuris mitigatione utatur, quæ tamen ipsi hæc in parte denegatur. Hæc opinio mihi magis probatur.

Decimotertio queritur, An episcopus possit in Titium spurium simplex beneficium conferre, si in ecclesia sit statutum iureiurando firmatum, aut Romani Pontificis auctoritate munitum, ut in ea nullus spurio possit ad beneficium etiam simplex admitti? Respondeo, non posse. Ita Ioannes Monachus, Ioan. Andreas, & Geminianus, & Ancharanus *e. 1. De fil. Presbytero in 6.* Si tamen statutum huiusmodi nullo iureiurando, & nulla Romani Pontificis auctoritate confirmetur, id licet episcopo facere; Ratio utriusque horum est: quia in primo obstat, aut iustitrandi Religio, aut Romani Pontificis auctoritas, qua est statutum confirmatum: illud ergo abrogare Episcopo nefas est: alterum vero licet Episcopo facere, quia statuta sola sua auctoritate confirmata, relaxare potest ex parte, aut ex toto abolere.

Decimoquarto queritur, An liceat episcopo spurium ad simplex beneficium promoveri, cui est annexum alterum beneficium curæ animarum coniunctum? Dux sunt opiniones, quarum una affirmat, quam sequitur Archidiacono *in e. is qui de filiis Presbyt. in sexto, eo quod Episcopo facultas iure conceditur spurio ad beneficia simplicia*

promouendū: tale beneficium est omnino simplex, cui per se nulla cura animarum inest. Deinde, quamuis legis, & Canonis abrogationem qua quis iure communi soluitur, sit esse interpretari debeamus, facultas tamen superiori concessa ad aliquem lege soluedum, ample est accipienda, ut docent Iohannes Ann. cap. vlt. de verbor. significat. Imola & Gemina in cap. is qui de filiis presby. in sexto. Siluest. beneficium 3. q. 6. Altera opinio omnino negat, quia tamen beneficium sit simplex, ei tamen coniunctum est alteram, cui impositum est onus, ut beneficiarius curam animarum habeat. Prima opinio magis videtur cum ipso iure, & ratione congruere, sic Gem. in c. is qui de filiis presbyter. in sexto, quia quod accedit alteri sequitur conditionem, & naturam principalis, secus vero esset si beneficium curam animarum habens, ad se traheret beneficium simplex.

Decimo quinto quaeritur, An Episcopo fas sit spiritum ad beneficium admittere, quo non iure communi, sed statuto, consuetudine, vel privilegio sacrum Ordinem requirit: Glossa in cap. 1. de fil. Presbytero. in sexto, negat, ut etiam Iohannes Monachus, & Archidiaconus, & Gemina ibidem, quoniam episcopus nequit spiritus sacros Ordines conferre: ergo nec beneficium: quod sacrum Ordinem postulat. Sunt tamen, qui putent id Episcopo interdictum non esse: eo quod statuta sua vel consuetudines in eius ditione confirmatas ipse potest, vel ex toto, vel ex parte abrogare: ac proinde etiam facere, ut beneficium, quod statuto, vel consuetudine, vel privilegio praefectorum sacrum Ordinem deposcit, amplius non postulet. Certe quod praedicti Auctores tradiderunt, intelligi videtur de beneficio, quod sacrum Ordinem requirit privilegio, consuetudine, vel statuto, in quibus Episcopus nihil habet iuris, & potestatis, Veluti si beneficium ratione, & institutione sua aut privilegio Pontificio, aut consuetudine ubique gentium recepta cum Ordinem deposcat. Rursum intelligitur, quando facit ordo necessarius est ad beneficium, quo tempore imperatur, & recipitur, non autem si solum sit necessarium, ut post acceptum beneficium Clericus ad certum tempus sacris Ordinibus donetur, ut Lopus, & Ancharanus annotant in c. is qui, de filiis Presbyter. in sexto.

Decimo sexto quaeritur, An spiritus, cui Romani Pontificis auctoritate concessum est, ut habeat beneficium, cui cura animarum inhaeret, possit, eo dimisso secundum obtinere, nulla originis spiritus facta mentione? Respondet, minime ut colligitur ex cap. Si uis, de filiis presbytero in sexto. Item non eo ipso est illi concessum, ut duo beneficia similem curam habentia simul obtinere queat. ca. vltim. de fil. presbyter. in sexto.

Siriges, An possit illud cum altero simili beneficio commutare nulla mentione facta natalium? Respondet, non posse ut ait Robus in praxi benefic. de dispensat. super defectu natal. numer. 81. ex ca. non potest, de probat. in sexto, nam aut ea permutatio sola sit auctoritate Ordinarij, aut Romani Pontificis: Si primum, Episcopus nequit spiritum ad beneficium, cui inest animarum cura, prouehere: Si secundum, permutatio quoque non subsistit, quoniam gratia spiritus facta à Romano Pontifice, desit in primo beneficio, quia in eo plenum suum effectum adeptus est: & cū sit odiosa, ultra non protrahitur: & quia vnus tantum beneficij factus est ex pax, ex ca. non potest, de probat. in sexto.

Decimo septimo quaeritur, An spiritus? Papa cui potestatem fecit habendi beneficium curam animarum coniunctum, quod culpa sua nactus non dum est, possit aliud simile obtinere? Respondet, cum Geminiano, Ancharano, & aliis ca. 1. de fil. Presbytero. in sexto, non posse, quoniam per ipsum steuit, quo minus gratia sibi facta effectum suum minime fortiretur.

Decimo octavo quaeritur, Quot fiat genera eorum, qui extra iustas nuptias sunt procreati? Respondet, quatuor, ex Glossa communi consensu approbata, ca. filii eorum pridem, de Renunciat. Alij vocantur secundum leges, & iura ciuilia naturales, videlicet filij, qui gignuntur ex viro ma-

trimonij vinculo soluto, & vnica concubina domi terentia quamuis eomuni vtu tales dicantur, quo quot progeniti sunt ex vtroque parente matrimonij nexu, & omni alio vinculo soluto. Alij Manzeres, qui orti sunt ex viro soluto, & scorto, aut meretrice, aut alia quacumque femina soluta pudicitiam suam venalem habente, siue quæstus causa corpus prostitoente, matrimonij omnis experte. Alij dicuntur Nothi, videlicet nati ex viro matrimonij vinculo adstricto, & concubina aut femina nullum maritum habente. Dicuntur vero spurij, eo quod patrem incertum habeant, quod dupliciter contingit, aut quia reuera eum certum designare nequeunt, aut quia licet is sit certus, eum tamen nominare iure non possunt, eo quod complexus unde prodierunt, fuerit lege damnatus. Omnes hi, sic vti diximus, progeniti, ab Ordinibus, & beneficiis iure Canonico excluduntur. De his spurij filij suo loco dixi.

Decimo nono quaeritur, Ex quot, & quib. causis, qui legitime nati non sunt, ab Ordinibus, & beneficiis iure Canonico arcantur? Respondeo, cum Robus in praxi benefic. part. 2. de dispensat. super defectu natalium, num. 3. & seqq. ex Hostiensis in sum. tit. de filiis presbyter. §. i. qua est causa. ex tribus quamuis. Præposit. in c. 1. §. 2. u. 56. sex defectus legit. Vna est, metus incontinentiæ patris, quoniam sepe accidit, ut mores patris filius sectetur, cap. si gens Anglorum, dist. 56. quamuis in ca. Offens dist. 56. multi referantur non ex iustis & legitimis nuptiis progeniti, qui probata vitæ ac morum viri eruasere. Altera causa est, ut hoc etiam potest generare plectatur crimen paternum. Nam tantus est parentum in filios affectus, ut esse iuris consulto i. isti quidem. ff. de eo quod metus causa, ut molestijs & malis filiorum magis, quam suis sapius teneantur, & diuexentur. Vnde Cicero in quadam ad Brutum Epistola. Nec vero im fugit, quam sit acerbum parentum scelera filiorum patris sui Sed hoc preclare legibus comparatum est, ut charitas liberorum amiores parentes Republicæ redderet. Sic ille, quib. verbis significat, ob crimen perduellionis filios quamquam iniustos puniri. l. Quisquis, C. de naturalib. liberis, Et alibi idem Cicero: Illud videtur esse crudele, quod ad liberos, qui nihil meruerunt, pœna peruenit. Sed id & antiquum est, & omnium ciuitatum. Ita Cicero. Constantinus Imperator statuit de muliere, quæ se proprio seruo iunxit, ut filij, quos ex ea coniunctione habuerat, exuti omnibus dignitatibus insignibus, in nuda manerent libertate. l. 1. C. De mulieribus, qua se propriis seruis iunxerunt.

Tertia causa est, eorum qui ita nati sunt, probam quoddam, & ignominia, ob quam indigni tanto munere iudicantur. Nam et si Magistratus sententia notati non sint, nec inter Infames habiti, ea tamen ferè est hominum de ipsis opinio, is conceptus, ut non immerito, macula quapiam aspectu esse videantur. Item quorum origo contemnitur, vita quoque, & doctrina despicitur.

Vigesimo quaeritur, An si Titius verbi gratia, natus sit ex genitoribus adulteris, scilicet ex patre, & matre coniugij vinculo adstrictis, aut ex incestu, & sacrilegio, ut ipse ex sacerdote, & femina ipsi genere, & sanguine coniuncta, aut ex incestu, & sacrilegio, videlicet ex sacerdote, & puella solemnem castitatis voto Deo dicata, eas circumstantias exprimeat, cum à Romano Pontifice petit, ut Ordinum, & beneficiorum fiat compos; an vero satis sit generatim fateri se non legitime natum? Rursus, An si Romanus Pontifex tacita non legitima originis qualitate, generatim potestatem faciat Titio Ordinibus, & beneficia accipiendi, huiusmodi gratia obtentata, & summa habeatur: Hanc quaestionem copiose tractauit Felinus cap. Postulasti. De rescrip. numero secundo. Sunt qui dicant, natalium vitiorum grauitatem non esse

exprimendam, sed sufficere, si generatim quis fateatur se non esse legitime natum, aut se spurium esse. Atque eadem ratio est de mixto crimine, quod de simplici: quamvis difficiliter à Principe gratia impetraretur, si vitiatæ originis conditio declararetur.

Alij vero affirmant esse omnino aperiendam: alioqui si taceatur, gratia obtenta nullius est momenti. Hæc est longe vetior opinio, quam satis copiose confirmat Felinus loco citato, & pro ea facere testatur, Baldum, Oldradum, Ioannem Andream, Ludovicum, Abbatem, Alexandrum, Anebaranum. Nam ut colligitur ex c. *Postulasti de referip.* Si aliquid in gratiæ impetratione silentio prætermittitur, quod si non taceretur, difficilior em redderet ipsam gratiæ interpretationem, ita ut Principes, aut eam denegaret, aut difficiliter concederet, irrita est, & inanis gratia, ut pote litteris subreptitijs impetrata. Hinc colligitur fieri mentionem oportere, si quis natus sit ex geminato adulterio, hoc est, ex parte matrimonij vinculo adstricto, & ex matre nupta Ioan. Andream, Felinus. Nec satis est, si tantum quis dicat se natum ex adulterio, si quis procreatus sit ex patre nobili uxorem habente, & ex illustri femina matrimonij vinculo soluta, non valet gratia obtenta, nisi mentio fiat de nobilitate matronæ: quia ex *Auben. Si qua illustris, C. Ad Senatusconsultum Orificæ.* filius spurium non succedit matri illustri extantibus legitimis. De nobilitate tamen patris non oportet fieri mentionem, etiam si patet fuerit Dux, vel Princeps. Ioannes Andream. *Hosienfis, Antonius Butrius, quos refert Felinus.* Si quis sit filius Sacerdotis, & matris solutæ quidem matrimonij vinculo, at quam ipse Sacerdos, vel baptisate abluit, vel è sacro fonte suscipit, vel matrem eius, opus est, ut faciat mentionem conditionis maternæ, & paternæ, quia est genitus ex concubitu incesto. Querat aliquis, An si natus sit ex patre Sacerdote, & foemina, cuius confessionem audit ipse Sacerdos confaueat, & cui alia Sacramenta ministravit, ut Parochus, facere mentionem debeat conditionis maternæ? Felinus ait, non debere, quia non est genitus ex congressu incesto; nec opus est declarare, si quis sit natus ex serua.

Vigesimo primo quaeritur, Quando quis integris ac legitimis natalibus communi iure restituatur? Respondeo, persequens matrimonium. *cap. Conquestus, & cap. Tanta, qui filij sint legitimi. Auben. Quibus modis naturales efficiantur legitimi. Coll. 6.* veluti, natus est Titius ex parentibus matrimonij vinculo solutis, nec vlllo alio iure impeditis, qui tempore quo filius est conceptus, nuptias contrahere poterant, postea vero matrimonium iniierunt. Titius ante matrimonium procreatus, iure communi sit legitimus, ita ut possit ad ordines, & beneficia promoueri, imo etiam ad dignitates. *Glossa communi consensu recepta in c. Tanta paulo ante citato.* Quæres, An etiam possit ad maiores eligi dignitates, ut ad Episcopatum, & alias etiam superiores? Teste Abbate in *cap. Ad extirpandas. De fil. Presbyterorum, num. 11.* Raynerius negavit. Sed Goffredus, & Hosienfis affirmant: eo quod Matrimonij cause semper fauere debemus: à qua sententia ipse Abbas non dissidet. Sic etiam Antonius sensit in *c. Ad extirpandas, de fil. Presbytero.* quos etiam sequitur Syluest. *verb. Illegitimus q. 3.*

Secundo, si quaeras, quid sit dicendum, si Titius antequam eius parentes matrimonium contrahant, Ordines susceperit, aut obtinuerit beneficium, num legitimus fiat, hoc est, idoneus, & habilis ad ordines, & beneficium, videlicet ad celebrandum in ordinibus susceptis, & ad retinendum beneficium, quod suscepit, si postea parentes nuptias ineanat? Quidam negant, propterea quod sit ad ordines, vel beneficium iam ante promotus, cum legitimus non esset. Sed alij dicunt, eum quidem peccasse, sed legitimum fieri omni natalium vitio sublato, quia est matrimonij fauor, ut per subsequens matrimonium legitimus reddatur filius ante susceptus, qui fauor est amplissime interpretandus. Quare inquit, Titius superiorum ordinum, & beneficiorum factus est compos, & sacris operari potest, si fuerat ad Sacerdotium promotus. Mandosius

in *Praxi Signatura gratia* primam sententiam dicit esse veram, quia natalium vitium obstat cum factus est Clericus, aut adeptus est beneficium, tunc enim legitimus nondum effectus erat, & semper indiget Pontificis indulgentia, ut vel Clerici officium obeat, vel beneficii fructus acquirat: nam Datae tempus inspicitur, ut iudicetur, an quis sit habilis. *Gigas de pension. q. 22. n. 16. & seqq.* ita ego dicendum existimo.

Vigesimo secundo quaeritur, An filius legitimus censetur is, qui est natus ex matrimonio, quod non valet ob occultum aliquod Canonicum impedimentum? Respondeo, aut parentes cum nuptias contraxerunt, bona fide ignorarunt, aut secus. Si primum, legitimus habetur iurisdictione. Ius enim Canonicum pro legitima habet prolem sic susceptam, *cap. Cum inter, cap. Ex senore, & c. Referente, qui filij sint legitimi.* Quæres, quid dicendum sit, cum alter parentum illud impedimentum nouit, alter vero ignorauit? Respondeo, omnem prolem ita susceptam, iuris fictione legitimam censeri; quia iura in factorem matrimonij pro legitima haberi eam prolem voluerunt, ut est constans omnium opinio: ut suo loco futurum dixi.

Vigesimo tertio quaeritur, An quando vitium originis, & natalium est penitus occultum, ita ut Titius ab omnibus pro legitimo habeatur, eo ipso ille sit capax ordinum, & beneficiorum? Respondeo, Alphonsum Cast. *lib. 2. de lege Pavnali, cap. ult. conclus. 3.* docuisse, eum, qui non est legitime natus, sed macula natalium, & vitiatæ originis est omnino occultata, irregularem non esse: hæc opinio, ut ait *Noyat. in Manual. c. 27. n. 194.* est noua, & sine textu, & ratione: & ideo merito rejicitur: oppositum enim tradit communis sententia, quam habent Anton. *c. 1. de fil. presb. & Angel. irregularit. n. 53. Sylo. illegitimus n. 1.*

Vigesimo quarto quaeritur, An filius fidem habens matri dicenti, ipsum non esse legitimum, ab ordinibus, & beneficijs excludatur? Respondeo, dum matri credit, excludi: peccare enim alioqui ordines, vel beneficia suscipiens, quia se non legitimum putat: iure tamen non cogitur matri fidem habere, ut communiter omnes affirmant *ex l. 1. ff. de Carb. edicto. Barr. & alij. ibi. & Gloss. in l. si vitium. C. de nup. & in l. Si posthu ff. de lib. & posthu. Abb. in c. 1. de fil. presb. eo quod matres sæpenumero, prout ipsis libet, facile ac temere, modo aiunt, modo negant: Accedit, quod melior est conditio possidentis. Sufficit ergo, si ab omnibus pro legitimo habeatur. Maior itidem hæc in parte est matrimonij fauor, cum natus est ex parentibus matrimonio iunctis, & simul habentibus. In *c. Accedens de Purga. Can. statutum est, ne Titius ad ordines promoueat, si iniusta est illi infamia vitiatæ originis, donec se ab ea ignominia & infamia putget.**

Vigesimo quinto quaeritur, Quid sit dicendum, quando Titius alioqui spurius sacris ordinibus est insignitus, & ad beneficium promouetur, ac postea nouit se non esse legitimum? Respondeo, aut sciens id fecit, aut secus: si primum grauitur peccauit, denuo tamen irregularitatem non contraxit. *Inno. in c. si celebrat. de cleri. ex comm. Specul. tit. de dispensat. §. iuxta Archidia. & Dominic. in cap. Apostolica dist. 16. Abb. in cap. si celebrat. de Cleric. ex comm. Plonius de irregul. regula 40. Rebus. in Praxi beneficiorum de dispensat. super defectu Natalium. n. 13.* quamvis recentiores quidam id affirmauerint, sed sine Canone, & ratione; si secundum, nec peccauit, nec in vllam irregularitatem incidit: siquidem id per ignorantiam fecit. Sed quid si sacris sciens operetur, denuo irregularitate afficietur? Respondeo, minime. *Specul. Archidia. & Rebus. locis citatis, vnde non est necesse, ut exprimat se sacris fuisse operatum, cum peccit ab antiqua irregularitate solui. Rebus. ibidem, satis est si fateatur se non esse legitimum, & sacros ordines suscepisse. Rebus. ibid.* Dubitabit etiam quis, An in suspensionem incurrat eo quod fuerit sacris operatus, vel ordinatus? Solutus in quarto, *dist. 25. q. 1. art. 3. conclus. 1.* censet eum esse ipso iure suspensum. Sed nullus extat Canon, vnde id colligatur. Siue igitur spurius scienter sacris ordinibus sit initiatus.

us sine insignibus ordinibus, sciens factis operetur, lethale crimen admittit, sed denuo irregularitatem non contrahit, nec suspensionis vinculo obstringitur, *Archidiaconus. Specul. Plouit. Rebus. locis citatis Dominici. ca. Apostolica. dist. 56.* quam opinionem dicunt esse communem. *Rauennas in Alphab. libro. fol. 186. col. 2. Couar. in Clem. si foris. de homin. par. 1. §. 1. n. 3.* Nauar. in e. si quando, de rescrip. excop. 11. Verum quamdiu spurium est quis, & legitimis natalibus Pontificis beneficio minime restitutus, & ad ordines ascendere prohibetur, & in susceptis ministrare. Petere igitur, & impetrare gratiam debet, qua à vitio originis, & natalium purgetur: nec vlla lege compellitur in ipsa gratia petitione declarare, se cum spurio sit irregularitatem contraxisse, quod ordines suscepit, aut quod in eis ministraverit ante susceptis, satis est si Pontifici referat se spurium esse, & ideo petere facultatem, qua possit, & ordines exercere, & beneficia possidere, sicuti docet Arch. *Apost. dist. 56.* spurium, aut corpore vitiatum, si se factis intrudat, noua irregularitate non affici, agere tamen semper Pontificis gratia, ut ministrare queat.

Vigesimo sexto quaeritur, Quae sit formula, qua Romanus Pontifex Legato solet concedere facultatem, ut possit spurios reddere ordinum & beneficiorum compositos? Respondo, talem esse: *Concedimus tibi, ut super natalium etiam si qui ex adulterio, incestu, vel nefario, aut quocumque illicito conu. procreati fuerint, defectibus dispensare queas, ut quacumque, quocumque, & qualiacumque beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, secularia, Canonica, & praebenda sint, et si de nobili genere procreati fuerint, etiam maiores, & principatus personatus, vel officia in Cathedralibus, & Metropolitanis, vel collegiatis Ecclesiis, & in illis, & in quibus dictorum pariter defectum natalium patres beneficia obtinuerint: dum tamen in simul non insistant in altaris ministerio, recipere beneficia per eorum patres obtonca; dum tamen illis immutatae, non succedant, recineret: Et quod de natalium defectibus nullam odi nullam in quibuscunque, literis, & gratis sibi concedendum mentionem facere teneantur, indulgenti. Formula vero, qua facultas datur Comitibus Palatinis ad spurios in legitimorum naturam restituendos, sic habet: *Concedimus facultatem, ut possit cum quibuscunque, etiam ex quocumque, illicito, & damnato conu. procreatis, dispensare, ut in bonis parentum, cognatorum sine prauidicio venientium ab intestato succedere queant. Comitibus. itaq; Palatinis non datur facultas, qua possint spurios ad ordines, & beneficia aditum praebere, sed vt in bonis parentum, & cognatorum succedant.**

CAP. IV.

Quibusnam aliis hominum generibus iure Canonico ad beneficia aditus intercludatur.

Capite, Quicunque §. Haereticus, & c. statutum, secundo de Haereticis in sexto, filij Haereticorum, vel credentium Haereticis, Fautorum, Receptorum, & Defensorum, à beneficiis prohibentur. Haec autem lex vsque ad secundum gradum eorum, qui per patrem descendunt, extenditur, hoc est, excluduntur à beneficiis filij, & nepotes ex parte patris; eorum vero qui per matrem descendunt, solum excluditur Primus gradus, & statutum 2. de Haereticis in sexto. v. g. Titius Haereticus, vel receptor, defensor, vel fautor Haereticorum habuit filium, vel filiam, filius beneficiorum capax non est. Item nullus ex filio nepos, ut si filia Titij filij habuerit, is ex filia nepos, beneficii capax est. Item si mulier haereticis infecta est, vel fauorit, vel receptatix Haereticorum, & filios pariat, hi à beneficiis repelluntur, non tamen nepotes ex filijs. *Sic Glo. c. statutum 2. de Haereticis in sexto.* Secundo quaeritur, An haec lege teneantur filij omnium Haereticorum, videlicet, eorum etiam, qui in gratiam ecclesiae redierunt, an vero solum eorum, qui ecclesiae non restituti decesserunt? Respondo, solum teneri filios eo-

rum Haereticorum qui ecclesiae nondum reconciliati obire, ut aperte docet c. statutum, paulo ante productum.

Tertio quaeritur, An comprehendantur omnes filij eorum Haereticorum, quos certo contiterit haereticis obstrictos obijisse, an vero solum filij eorum, qui priusquam obijissent, iudicis, sententia haereticos condemnati fuerint? Aiunt quidam comprehendi omnes filios eorum, quos ante obitum Haereticos fuisse contiterit manifeste, vel per euidenciam facti, vel per iudicis sententiam, vel per propriam in iudicio confessionem. His enim tribus modis crimen aliquod dicitur in iure notorium, ut colligitur ex c. Quaesitum est, de Cohabita. Clerico, & in ultimo.

Alij vero censent comprehendi tantum filios eorum qui ante obitum fuerint iudicis sententia damnati tanquam Haereticis, vel fautores, vel receptatores, vel defensores, Haereticorum. Primam sententiam probant quoniam in c. statutum aperte dicitur: *Filij eorum, qui probantur obijisse in haerese.* Vbi verbum probantur verbum est iuris, quasi dicat, Filij eorum, quos in haerese decessisse notorie contiterit, vel sententia iudicis, vel per euidenciam facti, vel propria in iudicio confessione. Ex quo, inquit, efficitur, ut si quis fuerit Haereticus penitus occultus, de cuius haerese nullo horum modorum aliquid contiterit, filius eius, aut nepos ex filio, ordinum & beneficiorum sit capax. Mihi vero nec prima, nec secunda sententia placet. Dicendum existimo, satis esse, si filijs contiterit suos parentes in haerese perstitisse vsque ad mortem, ita vt illis sit manifestum eos Haereticos decessisse, hoc est, ab haerese non absolutos: nam in c. statutum 2. de Haereticis in sexto dicitur: *Filij eorum, qui probantur in haerese obijisse.* Quid si obierint correcti & emendati, quia ante obitum respuerunt per manifestam cordis penitentiam, sed non fuerint ab haerese absoluti? Respondo, non sufficere; vt filij eorum sint ad beneficia habiles: quia c. statutum 2. de Haereticis in sexto habetur: [Non autem illorum quos emendatos esse contiterit, & reincorporatos ecclesiae unitati.] Sicut enim Haereticus quamuis occultus non per haerese mentem, & animo solo conceptam, sed per haerese externam est irregularis, & inhabilis ad beneficia, etiam si respiscat per penitentiam: sic filij Haereticis beneficii capax non est, si pater obierit ecclesiae nondum restitutus.

Si quartas, An tali poena efficiantur filij Haereticorum non solum legitimi, sed etiam qui extra legitimum coniugium nati sunt? Ratio dubitandi est, quia in potestate patris non sunt et ulno di filij, *Instit. de nupt. ad finem.* Respondo, omnes affici, *Glossa in c. statutum. 2. de Haereticis in sexto in verbo volumus. Archidiaconus. Ioannes Monachus. Ioan. Anchar. Anchar. Francus ibidem. Couarru. lib. 2. var. resolut. c. 8. nu. 3.* quia talis poena constituta est, in filios Haereticorum, non quod in potestate patris sint, sed quod a parte Haereticis processerint: nec aequum est, ut plus habeat luxuria, quam castitas, ut dicitur in *Ambrosio. de rescrip. c. ea qua patris 11. mensis.* Sed nunquid talis poena afficit filios solum naturales, an etiam spurios, & vulgo quae sitos? Dominicus, Ancharanus, & Francus in eo cap. Glossae opinionem aiunt locum tantum habere in filijs naturalibus, sic etiam Salicet. in *quisquis ff. ad legem Iuliam marit. ff.* Ac Cynus, Albericus, & Couarru. loco citato sentiunt probabilius, tali poena puniri filios etiam spurios, & ex complexu damnato progenitos.

Dubie quaestio est, An filij penitent ante crimen patris talem poenam contrahant, an solum filij nati post scelus patris? Sunt duae opiniones. Vna est asserentium solum incidere talem poenam filios post crimen patris: ita *Calder de Haereticis. conf. 3. Dominici. & Francus in cap. 2. §. Haereticus, de Haereticis in sexto. Anan. in cap. vergentis, de Haereticis. Cynus, Angul. & Petrus in l. quisquis supra citata. Simon. de Cathol. institut. tit. 29. num. 23.* Altera opinio est in poenam incurere etiam filios ante progenitos. Albericus, Salicetus, Petrus cognomento Bella pertica in *l. quisquis, allegata. Glossa in ca. si quis cum militib. sect. 2. q. 1. in verbo filij. Couarru. lib. 2. var. resolut. c. 8. nu. 5.* Haec opinio meo iudicio pro-

babi-

babilior est. Quamuis pro prima opinione multa facere videantur, videlicet textus in l. 2. C. de libert. & eorum lib. filios eam parentum conditionem sequi, que est tempore natiuitatis, aut certe conceptionis, non que ante fuerit, aut postea: vbi Bartolus notat, delicta parentum non nocere filijs primo natis, sed tantum nascituris, qui conerantur rubiginem à linea iam infecta, & Glossa in cap. iam itaque, in verbo. reatum 1. quæst. 4. ait: Reatum patris, transire ad filium postea natum, non ad eum, qui prius natus iam erat. & Glossa in l. Imperiali, §. illud. C. de nuptijs scribit, filium Regis non dici, qui natus fuerat priusquam pater Regnum haberet. Sic etiam Bald. ibi. Glossa itidem in l. Diuo Marco C. de quæst. ait: Maculam patris filijs ante natis non nocere, ita vt uti queant priuilegijs, quibus utebantur ex paterna dignitate, ante crimen commissum. Ad hæc omnia singulatim respondet Couarruias loco citato, ea scilicet in alijs locum habere, non tamen in penis Hæreticorum, quibus filij afficiuntur.

Dubie etiam quæstionis est, An filij Hæreticorum relapsorū, qui seculari curia traditi igni exusti sunt, quamuis per veram cordis pœnitentiam respuerunt, sint inhabiles ad beneficia? Dux sunt opiniones. Vna est asserentium habiles esse, ita Gemina. in c. Statutum. 2. de Hæret. in sexto. §. hoc sane. Reperi. Inquisitorum in verbo filij. §. nunc videndum. versiculo. sed circa prædicta. Montanus interpret legum Castella. l. 2. §. 26. par. 7. versicul. Et si ergo conclusio. Decanus Segobienensis tract. de Hæret. ca. 18. Altera sententia est, eos esse inhabiles. Ita Ioann. Andr. in c. Statutum. 2. de Hæret. in sexto, super Glossam in verbo, incorporatos, quem sequitur Franciscus Siman. in Enchir. violat. e. Religione 1. 63. nu. 2. & de Cathol. instit. 1. 29. nu. 17. Ioannes Roias de Hæret. part. 2. ass. 42. num. 337. Hæc est verior opinio: quia tales relapsi, etsi eos sui peccati pœnituerit, non sunt tamen ante mortem ab hæresi per ecclesiam absoluti, nec in ecclesiæ gremium reducti: at in eap. statutum, requiritur, vt constet eos esse emendatos, & reincorporatos (vt ibi dicitur) ecclesiæ vnitati.

Si roges, An idem iuris sit de filijs eorum qui obierunt suspecti de hæresi? Respondeo, idem iuris esse, si constituerit eos tales decessisse.

Si quæras, An filij Hæreticorum possint ad ordines ecclesiasticos promoueri? Quidam censent posse, quia ius Canonicum locis citatis, solum videtur eos excludere à beneficijs, & officijs publicis: at ordines non sunt beneficia nec officia. Dicendum est, eos irregulares censeri, & ita ad ordines promoueri non posse sine Romani Pontificis auctoritate ita declarasse dicuntur Inquisitores in tertia instructione Hispalensi, tum quia ordines ad officia ecclesiastica instituti sunt: tum quia filij Hæreticorum in fama notantur, & ab alijs inferiorib. honorib. excluduntur, & colligitur ex c. scilicet. §. nulli, de penis in sexto. ca. Clericos. dist. 21. L. qui indignus ff. de Senatorib. Sic Nauar. in Manuali.

Quarto, Inepti sunt ad beneficia ij, qui scienter obtinent beneficium Hæreticorum precib. ca. Quisunque. §. Ad hac. de Hæret. in sexto. Dicitur, scienter, videlicet sciendo esse Hæreticos eos, qui preces pro beneficio obtinendo obtulerunt.

Quinto, beneficium obtinere non possunt, qui sunt matrimonij vinculo adstricti, c. 1. & 2. ca. Quid à se. diuersis. Cum decorem, de Cleri. coniug. quia tales ab ordinib. iure Canonico repelluntur: Præterea, dist. 28. Hæc porro lex locum habet in his, qui nuptias per verba presentis temporis concepta inierunt, quamuis matrimonium non consummauerint.

Sexto, Bigami beneficiorum capaces non sunt, quoniam nequeunt ad ordines promoueri. cap. 1. & 2. cap. Debitum, de bigamis. & dist. 36. & 24. ca. Si quis de Laicis vsque ad finem, & dist. 17. c. Quicumq. Bigami vocantur, qui ad secundas nuptias transierunt. Tribusq. modis Bigami iure Canonico censentur, de quib. Glossa in c. super eo, de Bigamis sic ait: Vere, vel interpretatiue dicitur Bigamus, Vn-

de inter Bigamos habentur quotquot virginitatem pollicentem præuaricati sunt professione contempta. Quotquot 27. q. 1. tem qui uxorem duxit viduam, vel corruptam, & cum cognouit, c. Maritum, dist. 33. & c. Debitū, & c. A nobis, de Bigamis. Item qui vnam factū & opere alteram iure uxorem duxit diuersis temporib. c. Nuper, de Bigam. Item, qui uxorem adulteram sciens cognouit. ca. Si cuius, dist. 34. Item, qui diuersis temporib. iure duas uxores habuit, & vtramq. cognouit. c. Acuius, dist. 26. Hactenus Glossa.

Septimo quæritur, An Romani Pontificis auctoritate Bigamo concedi queat, vt ad ordines eligatur? Quidam iuris Canonici periti senserunt id Romanum Pontificem facere nequire, quoniam diuino, inquit, iure Bigamus ab ordinib. excluditur; cum dicat Apostolus de Episcopo, & Diacono oportere vtrumq. eorum esse vnus vxoris virum; at Apostolorū iussa & scita, sunt iuris diuini præcepta. Multa de hac quæstione, Glossa, & alij iuris Pontificij Doctores in c. Super eo. de Bigamis scripserunt. At constans est eorum opinio, videlicet Archid. in c. Lector. dist. 24. Innoc. in c. nisi cum pridem, de renunc. Ioan. Andr. in c. super eo. de Bigam. Anchar. ca. 1. de Bigam. ad finem sicut etiam Theologorum omnium, in quarto, dist. 27. Bigamum non diuino, sed Canonico iure ab ordinib. submoueri, ac proinde Romani auctoritate Pontificis posse ad ordines admitti. Nam in c. Si subdiaconus. dist. 34. dicitur: Necessitate tamen exigente Bigamus vsque ad Subdiaconatum potest promoueri. Et in ca. Lector, eadem distinctione ex Martino Papa habetur: Lector si viduam alterius uxorem acceperit, in Lectoratu permanet: aut si necesse sit fuerit, Subdiaconus fiat nihil autem supra Similiter si Bigamus fuerit. Sic ibi.

Cæterum dubie est quæstionis, An Romani Pontificis concessu possit Bigamus in aliquem ordinem factum recipi? Ratio dubitandi est, quoniam in duobus illis capitibus proxime positus, solum habetur posse vsq. ad Subdiaconatum, non ad alium superiorem ordinem ascendere: Et quia Subdiaconatus tunc temporis non inter sacros, sed inter Minores Ordines confabatur, ideo quæstioni locus est: An Bigamus ad sacros Ordines; & maiores Pontificis possit auctoritate promoueri?

Communis est Theologorum, & Iurisperitorum sententia id fieri posse. Glossa in cap. Lector. dist. 34. refert Lucium IIII. Pontificem ad Episcopatum Panormitanum prouexisse Bigamum. Nec obstat Apostoli Constitutio id vetans: neque enim omnia Apostolorum iussa, & scita sunt iuris diuini præcepta. Nam ibidem Apostolus constituit, ne percuissor, neque criminofus, Diaconus, Episcopus creetur: Et Apostolorum statuto, ca. Presbyter. dist. 8. scortator, periurus, homicida ab ordinib. deijciuntur: & tamen ca. Presbyter. dist. 82. Concilium statuit, vt hi in susceptis Ordinib. ministrare permittantur. Immo in c. At si Clerici, de Indictis, Episcopi possunt Criminofus, cum crimen adulterio minus est, concedere, vt ad ordines admittantur, & in susceptis ministrent.

Obijcies, Criminofum posse lege solui, eo quod vitium per pœnitentiam deleat, & definit esse criminofus, qui talis antea fuerat. Secus vero est de Bigamo, neque enim per Baptismum, vel pœnitentiam desinit vnquam esse Bigamus: Respondeo, parum, aut nihil hoc referre, si quidem Apostolus tum criminofum, tum Bigamum ab Ordinib. excludit, ac prohibet: & cum vtrumque sit Apostoli præceptum: sicut Pontifex vnus relaxat, potest & alterum: alioqui si quia est Apostoli præceptum, in id Pontifex ius non habet, inde fiet, vt nec in alterum habeat: quod tamen cum vsu, & consuetudine pugnat. Vnde fit, vt Couarruias in Clement. si furiosus, de homiti. part. 1. §. 2. n. 4. Henricum. c. 1. De Bigamis, & Staphileum in tractatu de litteris Gratiæ, & iustitia ad finem, merito confutet, asserentes, posse Romanum Pontificem auctoritate quidem absoluta, non tamen ordinaria Bigamum ad ordines promouere. Nam ordinaria Pontificis potestas est, quæ ipsi iure naturali, diuino, & Canonico permittitur: at nullum est ius, quo Pontifex id facere prohibeatur.

Si secundo obijctas, in cap. super eo. de Bigamis Lucium III. afferentem: Cum Bigamis contra Apostolum dispensare non licet. Idem proferat Innocentius III. in cap. super eo. de Bigamis. Respondeo, id de Episcopis, non de Rom. Pontifice esse intelligendum: quod si eum quoque comprehendat, intelligi non licet, videlicet sine iusta aliqua causa, & honesta.

Octavo queritur, An Episcopo fas sit Bigamum lege soluere, & ad primam Clericorum tonsuram, & quatuor minores Ordines admittere: Duæ sunt opiniones: Prima negat, quam probant Ioann. Andreas, Gemianus, Franciscus, Ancharanus, cap. 1. de Bigamis. in sexto, Abbas capit. super eo. numer. 5. ad finem de Bigamis, Angel. in verbo, Bigamis numer. 8. Nauarr. in Man. cap. 27. numer. 196. & Præpositus cap. Lector. distinct. 34. vbi refert hanc esse sententiam communem, quod idem afferit ipse quoque Covarruias loco citato. Vnico argumento ducuntur huius opinionis auctores, quoniam nusquam id potestatis Episcopis Canonibus, & iura concesserunt. Nam in capit. Si Subdiaconus & capit. Lector. distinct. 34. solum permittitur, vt si quis Bigamus vsque ad Subdiaconatum eligatur, in Minoribus Ordinibus, videlicet inter Lectores, & ostiarios ministret. Non itaque conceditur, vt Bigamus ad ordines admittatur, sed solum vt ministret in Minoribus Ordinibus quos ante susceperat. Immo in cap. Quisquis. distinct. 84. ex Siricio Papa refertur: Quisquis Clericus aut viduam, aut secundam duxerit uxorem, omni Ecclesiastica dignitate privilegio denudetur, laico sibi tantum commensatione concessa. & capit. 1. de Bigam. in sexto. Bigamus prohibetur tonsuram, & habitum Clericorum deferre.

Secunda opinio affirmat, & sequitur S. Thomas 4. d. 27. q. 3. ar. 3. Pala. 4. dist. 27. q. 4. ar. 5. concludit. 4. Dur. q. 4. ex dist. So. 11. 4. ead. dist. q. 3. ar. 3. Turrocr. in c. Lector. dist. 32. Sylu. Bigamus q. 7. Tabien. eo. verb. q. 7. Rosa pratorij, decis. 447. teste Nauarro. quam quidem opinionem illi auctores colligunt ex ea. Si Subdiaconus dist. 34. vbi dicitur: Nec sinit e tantum exigente Bigamus vsque ad Subdiaconatum potest promoveri, & in cap. Lector. eadem dist. Lector si viduam aliterius uxorem acceperit, in Lectoratu permaneat: aut si necessitas fuerit, Subdiaconus fiat, nihil autem supra, similiter si Bigamus fuerit, ergo in his Capitulis non solum conceditur, vt Bigamus ministerio fungatur in Minoribus Ordinibus, quos ante susceperat, sed vt necessitate exigente, vsque ad subdiaconatum ascendere queat. Hæc opinio videtur Syluestro magis eum ipso iure congruere, vt probat loco citato. Nec impedit, quod Bigamus privilegio Clericorum sic iure priuatus, & quod prohibetur tonsuram, & habitum Clericorum gerere: nam vt ait Syluester, hæc omnia recuperat, si Episcopus concedat, vt ad minores ordines prouehatur. Mihi secunda opinio placet.

Nono queritur, Quibus de causis Bigamus ab Ordinibus arceatur? Ratio dubitandi est, quod secundæ nuptiæ sunt iure concessæ. Respondeo, in primis dubitari non posse, quin secundæ nuptiæ iure permittantur, vt bonæ, vt constat ex cap. super illa, & cap. cum secundum Apostolum. de secun. nups. nam Paulus ad Rom. 7. ait: Que sub viro est mulier, viuente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viui. Et subdit: Igitur viuente viro vocabitur adultera si fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viui: vt non fit adultera, si fuerit cum alio viro. Et primæ ad Corint. 7. Quod si dormierit vir eius, liberata est à lege viui, cui vult nubat, tantum in Domino. Quæ profecto verba non sunt Apostoli permittentis secundas nuptias tanquam minus malum, sed concedentis tanquam bonum. Et ideo subiungit: Dico autem non nuptiæ, & viduis, bonum est illis si sic permanserint sicut & ego, quod si non se continent, nubant.

Oppones Chrysostrum apud Græsanum ca. de his 11. quæ 1. dicentem: Hæc ratione, & Apostoli præceperunt secundas adire nuptias propter incontinentiam hominum. nam secundam quidem accipere uxorem, secundum præceptum Apostoli licitum est: secundum autem veritatis rationem, vix scilicet

ratio est. Et Ambrosius eo loco ait: Prima quidem nuptia secundam Deum sunt instituta, secundæ vero sunt permissa. Et Canon tertio Concilij Nocesariensis, laicis poena imponitur, qui plures nuptias contraxerunt. Eius enim verba Concilij hæc sunt: De his, qui frequenter uxores ducunt, & de his, qui sæpius nubunt: tempus quidem poenitentia his constitutum, manifestum est, si conuersatio, & fides eorum tempus abbreviat. Respondeo ad hæc omnia, secundas nuptias nullo iure, tanquam malas damnari, sed Patribus non admodum probari polygamiam, quod cuiusdam incontinentiæ argumentum esse videretur. Qui itaque vxore mortua ad aliam transiit: incontinentis censetur, ea Propositi dist. 82. vnde non ab ordinibus arceatur, quis ob id, quod secundam uxorem ducendo peccauerit, sed quia incontinentiæ argumentum dederit. Item, quia vt ait Ambrosius, quomodo potest hereticus esse viduaris apud populum, qui & ipse coniugia frequenter auerit: c. vna dist. 26. Præterea quomodo coniugia Bigami referent vnicæ illæ coniunctione spirituali; qua Christus sibi ecclesiā copulauit. Debitū, de Bigamus.

Decimo queritur, An Bigamus per Religionis professionem fiat aptus ad ordines? Respondeo Glossa c. ult. 11. quæst. 5. omnem maculam, & irregularitatem per Religionis professionem aboleri, quod probat ex Authen. de Monachatu, in principio. vbi dicitur omnem maculam per Monachatum tolli. sed Glossa in c. 2. de Apostat. ait, per ingressum in Religionem non omnem irregularitatem deleri, quoniam non tollitur ea, quæ contrahitur ex proprio delicto, sed gratia Religionis, & auctoritate Superioris facilius auferuntur, & detentur cæteræ irregularitates, & ita intelligi debere contendit Authenticam de Monachis Abbas c. 2. de Apostat. sentit, per ingressum in Religionem, eam irregularitatem solummodo tolli, quam Canones, & iura expressim declarant. Et ideo ex Abbate quidam inferunt, non tolli irregularitatem ex bigamia natam, quoniam nullus extat Canon, quo sancitur sit, hoc impedimentum per Religionis professionem submoueri: Immo nec illud impedimentum Baptismus delet, vt Theologi in quarto, dist. 27. Augustinus in c. Actius 25. q. 1. secuti contra Hieronymum c. oportet 28. q. 3. sentiunt: nec enim est poena, vel culpa, quæ Baptismi aqua deleatur. Mihi tamen probabilius videtur, eam irregularitatem minime deleri per ingressum in religionem, cum nullus sit de hoc Canon in iure.

Vndecimo queritur, An Episcopi concessu possit Bigamus ad simplex aliquod beneficiū promoueri? Respondeo, nullum extare in iure Canonis, quo huiusmodi facultas Episcopo concedatur: & cum Apostoli, & Concilia ab ordinibus submoueat, & arceant, non videtur Episcopo permitti, vt eum admittat ad beneficia. Ceterum si vera est sententia S. Thomæ, posse Episcopum bigamo concedere, vt minores ordines suscipiat: eadem ratione poterit Episcopus indulgere ex causa, vt aliquod beneficium simplex habeat: sed neutrum est vsu receptum.

Duodecimo queritur, An Bigamus omni clericorum privilegio in iure censetur exutus? Respondeo, c. 1. de Bigamis in 6. Gregorium X. id in Concilio Lugdunensi definisse, vbi Bigamos, inquit omni privilegio Clericali declaramus esse nudatos. Porro Clericorum Privilegium, aliud dicitur Fori, aliud Canonis Fori, quia c. 2. De foro compet. Clericus ad iudicem vel Magistratum civilem conueniri non potest. Idem c. ult. De vita, & honesta Clerico. liber est, & immunis ab omni tributo & onere personis vel rebus imposito. Canonis vero privilegium dicitur, quo habetur in c. Si quis suadente. 17. q. 4. vbi Clerici percussor vinculo excommunicationis obstringitur. His itaq; privilegijs Bigamus spoliatus est. Et in eodem c. 1. De Bigamis citato, subiungitur. Ipsis quoque sub anathemate prohibemus referre consuetudinem & habitum Clericalem. Ceterum si Bigamus Monasticum institutum susceperit, ac professus fuerit, his poenis non afficitur, nec prædicto privilegio priuatur, vt recte Panor. annotauit in iudicio, verb. Bigamus. Porro si sacerdos nuptias contrahat, quæ nuptiæ iure non sunt, post bigam poenitentiam

cutiam

rentiam, & vitam laudabilem potest Episcopi auctoritate in suum officium restituere. *Sane, de Cleric. coniugat.* Ad dicit Glossa si contrahat nuptias cum virgine, & dimittendo ante Sacerdotium primas nuptias non contraxerit. Imo Diaconi qui uxorem duxit, potest perfecta penitentia Episcopi auctoritate suo officio fungi, & si perfecta vitæ fuerit, poterit ad Sacerdotium promoueri. *c. i. qui Clerici, vel vobis. & ibi Abb. Cardinalis, & alij.*

Decimo tertio queritur, An beneficiorum capaces sint ij, qui in iure corpore vitiosi dicuntur? Respondeo, minime, quia iura eos ab ordinibus prohibent, & arcent, ut pater ex toto titulo, *De corpore vitiosis.* Et sciendum est, eorum aliquos iure naturali, & diuino, non solum Canonico ab ordinibus excludi, ut qui manib. caret, mutusve est, aut elinguis, ad sacros ordines promoueri non potest: Alios vero tantum iure Canonico. Omnes vero isti à beneficijs repelluntur. Si qui vero naturali, & diuino iure ab ordinibus alieni sunt, eos lege soluere nullo modo Pontifex potest: quos autem ius tantum Canonico ab ordinibus abijcit, his Pontifex iustis de causis concedere potest aditum ad ordines, & beneficia: Quomodo vero episcopi sit iure denegatum, ut possint corpore vitiosus ad ordines promouere, dicemus, cum de irregularitate tractabimus. In presenti sufficit dicere cum Nauarro in *Manuali c. 27. n. 200.* Solus Papa concedere potest ut corpore vitiosus possit ad ordines promoueri. Innocentius. Ioan. Andreas, Antonius, quos ille citat. Quamuis Syluester verbo corpore vitiosus quæst. ult. vna cū alijs sentiat, posse episcopum id concedere, cum vitium corporis est occultum, dummodo non sit testiculorum abscissio, siue amputatio: hæc enim se et in facie, & vultu prodit episcopi iudicio relinquunt, an hæc illa corporis deformitas impediatur ordines. Innocentius, Cardinalis, & alij in *ca. i. De corpore vitiosis.* non autem Prælatorum Regularium, ut male ait *Talibus in verbo Corpore vitiosi. & Maior de irregularibus lib. 1. ca. 2.*

Decimo quarto queritur, Quid dicendum de eo, qui postquam legitime primam tonsuram suscepit, & minores ordines, sinistri oculi laborat infirmitate, ut ad ordines sacros promoueri non possit, eo quod factus sit irregularis ob oculi sinistri vitium: an ei beneficium simplex conferri queat? Ex vna parte videtur id non posse conferri, quia irregularis beneficij capax non est, sicut nec ordinis. Ex altera parte videtur huiusmodi irregularitas non impedire, quo minus beneficium suscipere queat: nam loquimur de eo qui sanctorum dextrum oculum habet, quo vitium ad legendum: & licet sinistram habeat debilem, & infirmam, nihil tamen in eo patitur, quo deformis esse videatur: ita vt astantes nihil iudicare queant, eum habere sinistram oculum infirmum. Meo iudicio quamuis auctorem non habeo quem sequar, videtur is posse beneficium simplex habere: quia talis irregularitas nihil impedit, quo minus beneficij simplicis capax sit, quum in oculo deformitatem non pariat talis infirmitas, idem iuris est de eo, qui capitis morbo laborat, ita vt irregularis sit post acceptam primam tonsuram ad sacros ordines: nihil tamen in eo deformitæ apparet: nam si morbo capitis, vel corporis vel oculi deformitatem afferret, tunc non solum esset irregularis ad ordines, sed etiam ad beneficia: quales sunt Epileptici, furiosi, lunatici, & ceteri, qui morbo ita laborant, vt deformes sint, *Glossa in c. communiter, d. 34. c. Maritum. ad distinet.*

Quinto decimo queritur, Quo pacto filius ab eo beneficio, & Ecclesia arceatur, in qua pater eius beneficiarius aliquando ministravit, vel nunc ministrat? Respondeo, in *c. Ad presentiam, & Presentium, ca. Conquerente. c. Veniens, & c. Dilectus, de filijs Presbyti.* filius penitus excluditur ab ea ecclesia, in qua pater eius beneficium adeptus ministravit, vel nunc ministrat. Animaduertendum est, id iuris locum habere in filijs, siue legitime, siue secus procreati sint; hoc est in filio, qui ex parte post sacerdotium, vel ante illud genitus fuerit. *cap. Ad extirpandas, De filijs Presbytero.* Rogabis, cur si legitime natus sit, à beneficio

repellitur? Respondeo: quia Ecclesia omnem in beneficijs quasi hæreditariam successionem deseruatur, *c. Venerabilem, De elect. Præterea in c. Ex transmissa, Defil. Presbytero.* Alexander III. constituit, vt filius possit illud beneficium obtinere quod pater habuerat, dummodo ei non succedat, hoc est, si post obitum patris alter in eius beneficium successerit: quam tamen Constitutionem Clemens VII. abrogauit, alia edita, quæ incipit: *Ad Canonum conditores:* vbi præcipit in vniuersum, ne filius obtineat beneficium patris, siue in eo succedat proxime post obitum patris, siue postquam alter intermedius intercesserit: quæ quidem Constitutio modo vsu seruatur. Deinde hoc præceptum ecclesia, vt omnis aliorum offensionis occasio, quæ inde nasci solet, penitus euellatur.

Decimo sexto queritur, An possit filius beneficium habere non idem quidem illud, quod pater obtinuerat, sed diuersum, in eadem tamen Ecclesia, cui pater inseruierat? Respondeo, cum Hostiensis, Ioannes Andreas, & Abbas, *cap. Ad extirpandas, de filijs presbyti.* iure communi antiquo posse, nisi alioqui ad beneficia inhabilis sit, eo quod legitime natus non fuerit. *c. Ad hæc De filijs Presbytero.* solum enim ibi filius à beneficio excluditur, quod idem, vel quasi idem pater habuerat. v. g. idem beneficium est si pater in certa aliqua ecclesia fuerit Parochus vel rector, & filius sit quoque Parochus vel rector in eadem ecclesia: quasi idem verus; vt si pater fuerit rector, & filius illud idem habeat beneficium tanquam Vicarius perpetuus, vel e contrario, pater fuerit Vicarius perpetuus, & filius in eodem beneficio succedat tanquam Rector. iure communi filius prohibetur beneficio simili ei, quod in eadem Ecclesia pater habuit. Vt si pater in aliqua Ecclesia fuerit Canonicus, non potest filius in eadem Ecclesia alium Canonatum obtinere. *c. Ad abolendam, & ca. Michael, & c. Cum diceretur, De filijs Presbytero.* At in Concilio Tridentino *sess. 25. s. 15. De reformat.* sic fuit iuris: *Non liceat filiis Clericorum qui non ex legitimo nati sunt matrimonio in Ecclesijs, vbi eorum patres beneficium aliquod Ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quocumque, etiam dissimile, beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesijs quocumque modo ministrare, nec pensionem, super fructibus beneficiorum, quæ parentis eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere. Quod si in presenti pater & filius in eadem Ecclesia beneficia obtinere reperiantur, cogatur filius suum beneficium resignare, aut cū alio permutare extra ecclesiam intra trium mensium spatium: alius ipso iure eo priuatus existat, & super ijs quacumque dispensatio subreptitia censetur.* Hæc ibi.

Decimo septimo queritur, An eodem iure communi, quo filij Presbyterorum à beneficio repellantur, repellantur quoque nepotes, & alij inferiores Glossa in *c. Ad extirpandas, de filijs Presbytero.* censet idem esse iuris de nepotibus, quod de filijs: propterea quod Canones, & iura hæreditariam in beneficijs successionem omnino damnant Innocentius vero ita distinguit: Aut nepos obtinet beneficium adhuc viuente patre, quod aus habuit, & hic nullo iure damnatur, quia omni successiohis suspitione vacat, aut obtinet beneficium aut post eius obitum, & hic omni beneficio communi iure excluditur, eo quod in eo quedam hæreditaria successio esse videatur, Ioan. And. cui Abbas negat subscripsit, generatim negat hac lege comprehendere nepotes, quoniam cum Canones, & iura ecclesiastica quippiam volunt ad nepotes etiam extendi, id declarat: ergo quado id non faciunt, minime eas tenent.

Decimo octavo queritur, An eodem iure prohibeatur pater à beneficio, quod filius obtinuerat? Archidiaconus, & Hostiensis, *post Panormitanum in ca. ex transmissa, de filijs Presbytero.* affirmant: at vero Ioan. Andreas, Philippus, & Abbas negant, id inde probantes, quod solum iura vetera, filium beneficium habere, quod pater habuerat: Ex quo etiam sit, nullo Canone esse interdictum, ne frater beneficium obtineat, quod frater eius habuerat, *vt Ioan. And. & Abbas annotarunt in cap. Ad extirpandas, de fil. Presbyti.*

Decimo nono queritur, An si pater certum aliquod beneficium habuit, vel iure tituli collatum, vel commendatum,

tum, vel ratione administrationis in perpetuum, vel ad tempus, filius possit illud idem habere aut commendatum ad tempus, aut causa administrationis ad tempus? Iure communi, *secundum Abbatem in cap. Constitutus*, hoc non erat interdictum. Ceterum Clemens VII. Constitutione illa, quam supra in 13. q. 1. est protulimus, omnino prohibet, quo minus si ius beneficium, quod habuit pater, obtineat, vel iure tituli, vel commendatum, vel causa administrationis in perpetuum, vel ad tempus. Et hoc, inquit ille, *sive beneficium sit seculare, sive Regulare*: quoniam de hoc nihil in hac parte ius commune sancierat.

Vigesimo queritur, An filius Episcopi legitimus possit aliquod habere beneficium in aliqua p[ro]uincata Ecclesia patri subiecta? Iure antiquo habere potest, *ut ex cap. Ad hac de fil. presby. deditur Panormitanus*.

Vigesimo primo queritur, An si filius sacerdotis auctoritate, & concessu Pontificis habeat beneficium cui pater praesuit, possit frater eius ex eodem quidem patre natus, sed legitimus, habere? *Hanc questionem tractauit Abbas cap. ad extirpandos de fil. presby. num. 10.* Ratio questionis est, quia ex parte videtur id esse licitum, quoniam filius legitimus patri non succedit proxime, sed postquam alter filius, ac frater eius beneficium habuerat; ex altera parte id videtur esse lege vetitum quoniam filius, ac frater, qui paulo ante successerat, non videtur vitium hereditaria successione purgasse. Verum quid iudicet de iure communi, constituto Clementis VII. & Decretum Concilii Tridentini id videtur penitus prohibere.

Vigesimo secundo queritur, An monachi, vel religiosi professi beneficiorum secularium sint capaces? Respondeo, minime, *capit. 1. de elect. & cap. Cum singula. cum beneficiis de praeben. in 6. cap. secundum de statu monacho. cap. placuit 16. q. 1. c. in noua actione, eadem causa q. 7.* Ceterum religiosus aliquis, Episcopus creari potest absque ulla iuris relaxatione. *Clem. 1. de elect. & cap. Si quis Abbas. de elect. in 6.*

Querens, An itidem aliquis religiosus absque ulla iuris relaxatione promoueri possit ad beneficium curae animarum coniunctum? Quidam affirmant, quidam vero negant *in cap. quod Dei timorem. de statu monacho.* Synodus Tridentina *sessio. 14. cap. 11. de reformat.* prohibet omnino regulares ex vno ordine religiosorum, ad alium transire: nisi ut in ordine ipso, ad quem transferuntur sui superioris obedientia, in claustris perpetuo maneant: ac taliter translati, etiam si Canonico regularium fuerint, ad beneficia secularia etiam curata, omnino incapaces existant.

Vigesimo tertio queritur, An clerici seculares, sint beneficiorum regularium capaces? Respondeo, minime *cap. cum de beneficio de praeben. in 6. Clem. Ne in agrum. §. sane 1. de statu monach. c. possessiones, de rebus Ecclesiae non alienan. cap. Inter quatuor. de religio domib. quae iura Synodus Tridentina renouauit sessio. 14. cap. 10. de reformat. & sessio. 25. c. 2. de reformat.* Hinc est, vt cum Pontificis concessu, Praefecturae Monasticae, vel regulares, quas Abbatis, vel Prioratus, appellant, Cardinalibus dantur, commendentur perpetuo, vel iure administrationis etiam perpetuae conferantur. nam si iure tituli darentur, vel Cardinales religionem ipsam, cuius sunt beneficia, profiteri iure deberent, vel iura relaxare Pontifex coogeretur.

Vigesimo quarto queritur, An religiosus, qui vnam certam professus est religionem, iure sit compos beneficiorum ad alium religionum ordinem pertinentium? Respondeo, minime. *cap. Cum singula. §. Probibemus. de praeben. in sexto, & Concilium Tridentinum, duobus illis locis paulo ante productis: nisi denuo in eo ordine Monastico, cuius est beneficium, solemnem professionem emisserit legitime translatus, & cum facultate in eo ordine beneficia possidendi.*

Vigesimo quinto queritur, An beneficia quae iuris patronatus esse dicuntur, non nisi certis clericis, ex certo hominum genere delectis conferri iure debeant? Sciendum est, multa beneficia esse constituta ex bonis, ac rebus pio-

rum hominum, ea lege, & conditione, vt non nisi vnus ex consanguineis, siue cognatis, siue ex familia eius, qui beneficium, siue Ecclesiam fundauit, vel dotauit, vel extruxit, praeficeretur. Item, Regum, Principum, Ciuitatum statuta, & leges extant, vt beneficia in locis eorum diuini subiectis constituta, non exteris, & alienigenis conferantur. De quibus conditionibus beneficiorum solet in dubium vocari, An cum iure communi congruant? nam Maior in quarto, *distinct. 24. quest. 3. ad 1.* has leges, & conditiones videtur improbare, eo quod in e. *Ad decorem, de institut.* Innocentius III. reprehendit Patriarcham Constantinopolitanum, quod ius Ecclesiarum ministros non praeficeret ex omninatione delectos, sed ex sola Venetorum gente ascitos. Deinde, quia in Ecclesia is est eligendus, qui est ceteris melior, doctior, magis idoneus: ergo non ex vna tantum familia & gente. Accedit, quod si ex vna familia, & natione deligatur Ecclesiae minister, seu Beneficiarius, videtur esse quaedam haereditaria successio, a quo Canones, & lata plurimum abhorrent. Vnde Innocent. III. *in cap. venerabilem. de elect. prope finem ait: Videtur Imperium non ex electione, sed ex successione debere, & in prauidium Principum redundaret, si non nisi de domo Ducis praedicti videretur aliquis ad Imperium assumendus.* Denique *cap. Nos qui. d. 40. ex Gregorio dicitur: Nos qui praesumus, non debemus inuolueri loco, aut dignitate generis, sed morum nobilitate, nec vrbium claritate, sed fidei puritate.*

Ceterum has conditiones, & leges beneficiorum approbat S. Thom. 2. 2. q. 63. ar. 2. ad 4. Et teste Soto *lib. 4. De iustitia. q. 6. ar. 2. ante 10. Conclusionem*, in Concilio Tridentino tractatum est, Expediretne, vt qui ad beneficia promouentur, ex ipsa Ecclesia cuius est beneficium, assumi deberent. Sixtus V. Constitutionem edidit anno salutis humanae 1587. quae incipit: *In sacrosancto*, qua prohibet admitti ad beneficia in regno Valentiae constituta, Clericos alienigenas oriundos ex aliis regis Hispaniae, vbi ipsi Valentini a similibus beneficiis excluduntur: quae regula Cancellariae decimasexta habet, vt in beneficiis, ceteris paribus, oriundos non oriundo, Diocesano non Diocesano praeficeretur.

Et certe multis de causis, huiusmodi conditiones sunt licitae, & honestae. In primis, indigentia, & qui sunt ex loco oriundi, magis amantur, & coluntur a populo, quam exteri: magis quoque ipsi diligunt Christi reges sibi commissos, eorum virtus & doctrina est magis percipienda, magisque proinde eis utilis, & salutaria est.

Deinde cum alienigenae praeficiuntur Ecclesiis, nunquam soleat ea reuelata, quae rex, vel Princeps, vel publica celati vellet. Adde his, quod alienigenae, aut exteri alterius Idiomatis linguae, & sermonis ac morum saepe sunt, & propterea difficile admodum suo muneri, & officio satisfacere queunt. Exteris idem cum dulci patriae amore teneantur, consueuerunt abesse ab Ecclesiis, in quibus commorati ipso iure coguntur. Accedit, quod alienigenae nihil in fundandis Ecclesiis exinaniant, & de regno pecunias asportant. In l. Diuus ff. de tutoribus, & curator. *dotis ab eis*, statuitur, vt tutela detur oriundis e loco, vnde pupillus originem dicit. Et Lyt. C. de offic. Praetoris: vt Praetor in vrbe, non nisi qui in vrbe laetem, & domicilium habet, creetur. Hinc est, vt statutis, & legibus Ciuitatum, Principum & Regum exteri, & alienigenae penitus excludantur a beneficiis in regno, prouincia, vel vrbe institutis. Quae leges iure Canonico permittuntur, non improbantur. In Francia certe, beneficia non dantur exteri. Glossa in prolog. pragmat. sanctionis in verbo. *exterioribus*. Rebuff. in praxi benef. par. 3. in regula de utilitate, quod idem etiam in Aragonia, Castella, Navarra, Lusitania, & idem in republica quoque Venetorum seruatur, & olim seruabatur in Anglia, & Hungaria, Britannia, vt testatur Gregorius Tholosan. in suis institut. benef. cap. 37. num. 17. cap. Nullus in iuris *distinct. 6.* dicitur: *Tunc assuetudine de altera eligatur Ecclesia, si de equitate ipsius Clero, cuius est Episcopus ordinandus, quod d' euenire non credimus, nullus dignus poterit re-*

periri. Et Abbas in cap. Ad decorem de institutio. num. 4. ait: Credo tamen ubi indigena essent idonei, quod non debent postponi propter extraneos: *Esset valde sanctum, & fructuosum, & quisque in patria sua beneficiaretur.* Sic ille Innocentius in cap. Quia diuersi, de concess. preben. ait: *Institum est, ut Episcopus prouideat Clericis in terra propria.* Denique constans est omnium opinio, beneficia Ecclesiastica esse oriundis, non exteris Clericis concedenda. Ripa, Decius, Ioannes Selua, Barbarius, Parisius, Rebuffus, quos refert Mandosius in regula 16. Cancellaria, quest. 41. nu. 9. Et pro hac sententia faciunt, quae dicuntur in capit. Hortiamur, distinct. 71. & cap. vltim. de cler. iure.

Nec mirum videri debet, si quis beneficium instituat ea lege, & conditione, ne in eo vllus, nisi ex sua familia, vel gente locum habeat: hanc enim conditionem Ecclesia non damnat nec improbat. Et pii homines ad fundandas, extruendas, & dotandas Ecclesias facilius, & promptius impelluntur, & ardentius excitantur. Item, quia vult Ecclesia esse iis grata, qui de republica Christiana bene merentur. Praeterea quisque potest res suas, & bona Ecclesiae donare ea lege, quam ipse constituit, videlicet iure aliquo sibi reseruato.

Obiicies, accidere posse, ut qui in familia, vel genere, vel loco inueniuntur Clerici, sine incepti, & indigni beneficio. Respondeo, conditionem adiectam intelligi dummodo aliquis in familia, vel gente idoneus, & aptus reperiat; quod si talis non inueniatur, Ecclesia alicui commendatur ex loco oriundo, qui eam administret, & regat, donec idoneus in familia aliquis existat.

Nec contra Canones, & iura, Patronus Ecclesiae petit, cum idoneum, & dignum ex suis gentilibus, vel tribulibus Clericum Ecclesiae a se fundat, vel dotat praefici postulat.

Si roges, An ea etiam sit approbanda conditio, qua Patronus Ecclesiae, vel etiam Capellae fundator beneficium ex suis bonis ita constituit, ut non nisi aliquis in sua familia Clericus in ea Ecclesia, vel Capella instituat; cum tamen Praefectura sit cura animarum coniuncta? Socus loco citato, hanc conditionem improbat in beneficiis, quibus est cura animarum iniuncta. At eam quidam alii, vel licitam, & honestam probant. Certe non est cur in his quoque beneficiis condemnetur. Nam vel in familia inuenitur aliquis idoneus, aut nullus. Si primum, is est iure eligendus, id enim merito potuit Patronus exigere, cum bona sua Ecclesiae donauit; nec Ecclesiae damno aliquo afficitur, si idoneum est ministrum nacta: Si secundum, is eligendus non est, nec Patronus id voluit: cum recta etiam ratione pugnet, ut qui idoneus, & aptus non est, praeficiatur Ecclesiae.

Querat aliquis, An si exteri, & alienigenae sint magis idonei, vel alii extra familiam, ac gentem aptiores, his beneficia sint conferenda indigenis, gentilibus, & tribulibus praetermissis? Respondeo, minime, quoniam licet illi sint doctiores, & meliores, praeferebant tamen non sunt, quando cunque in patria, tribu, aut gente apti, & idonei Clerici reperiantur. Nam ea lege posita, ne beneficia Ecclesiastica exteris & alienigenis, aut aliis extra familiam gentis conferantur, exteri, & qui tribules, aut gentiles non sunt capaces beneficiorum minime censentur, ac proinde non apti, & idonei. Siquidem leges quibus a beneficiis repelluntur, iure Canonico permittuntur, & approbantur, in hoc proinde iustae sunt ac seruandae.

Ad obiecta vero respondeo. merito ab Innocentio III. Patriarcham Constantinopolitanum reprehendi, non quia ad beneficia eligebat indigenas, sed quia cum multum ex exteris adficiuisset, ex vna tamen Venetorum gente assuuebat: & quia Venetos tantum promouebat, quasi eis conuentione, ac pacto, & iure beneficia deberentur. At caetera veto dicimus: In beneficiis rationem haberi meritorum: genus tamen, & patria aliquando ministrum Ecclesiae vtiliorem, & aptiorem efficiunt. Item, quamuis beneficium vnius gentis, ac familiae hominibus

debeatur, non inde haereditaria successio in beneficiis locum habet: neque enim illis conferuntur ratione generis, & sanguinis; sed quia vtiliores, & magis idonei sunt, aut saltem, quia digni, & idonei cum sint, leges, & Canones eos praefici Ecclesiis iubent, caeteros excludunt.

Queres, An satis sit, Si huiusmodi sint leges, & consuetudines, & statuta, quibus cautum est, ne beneficia concedantur nisi Clericis ex certo hominum genere assumptis laico: um auctoritate approbatis? Respondeo, minime, quia laici de beneficiorum causis nihil decernere queunt: quare necesse est, ut Romani Pontificis privilegio, aut consensu approbentur, aut ipsius Canonici iuris auctoritate confirmentur.

Ex his etiam perspicitur beneficia, quae in Hispania patrimonialia vocantur, qualia sunt in Episcopatu Burgensium, Palentino, Calagurritano, Legionensi, dari non posse nisi Clericis ab eadem patria, vel loco oriundis, hoc est, qui vel ibi nati sunt, vel quorum pater, & mater, auia, vel avus maternus, vel paternus ibi ortus fuerit: caeteri enim Clerici talium beneficiorum compotes non sunt.

Vigesimosesto quaeritur, An iure a beneficiis excludantur ii, qui genus, & originem ex Iudeis, vel Sarcenis parentibus, siue maioribus trahunt? Sciendum est, in quibusdam Hispaniarum Ecclesiis Cathedralibus, & Collegialibus statuta esse communi Canonico rum suffragio confirmata, imo etiam aliquando iureiurando, & ipsorum Antistitum auctoritate munita, ne tales Clerici ad beneficia Ecclesiastica admittantur. Quidam haec statuta improbare non dubitant, eo quod Clericos alioqui spectate vitae, & virtutis, & probate doctrinae a beneficiis prohibent. Deinde quia licet homines ex eo genere procreati, merito a ciuilibus dignitatibus, magistratibus, & honoribus areantur, non tamen ab Ecclesiasticis beneficiis, cum Ecclesia suo gremio excipiat omnes.

Accedit quod Paulus solum Neophytum ab ordinibus repellit: non cum, qui a maioribus longe remotis, Iudeis nempe, & Sarcenis, originem duxerit. Praeterea Ecclesia hoc hominum genus ad Ecclesiasticos ordines admittit: ergo non est cur Canonico rum huiusmodi collegia illum a suis beneficiis excludant. Ego tamen eiusmodi statuta cur improbentur, non video; cum ex penitentia magistra didicerimus tales homines non raro a fide, & religione Christiana deficere: Eos, item, suae gentis hominibus additos, favore propinquis plus quam par sit. Adde his, quod eorum constantia, & virtus a suis sepe tentatur. Solent iridem, esse caeteris odiosi, & infensi, & ab omnibus despecci, & quasi ad lites, dissidia, & ambitionem nati.

Vigesimoseptimo quaeritur: An is qui in iure dicitur intrusus in beneficium, sit solum inhabilis ad illud beneficium, in quod se intrusit, an etiam ad omnia alia beneficia. Intrusus vocatur, qui sine auctoritate illius, cuius est ius conferendi beneficium, illud sibi sumit, & vendicat propria auctoritate. cap. ad aures. de excess. Pralat. item, qui nullum titulum habet. cap. quia diuersitatem. de concess. preb. Glossa in c. Bona, v. de elect. in verbo. metuebant. & cap. Nisi. de renun. Respondeo; intrusus dumtaxat inhabilis esse ad illud beneficium, in quod se intrusit, cap. si compromissarius, de elect. in 6. vnde si illud impetret, nulla facta mentione intrusionis, nulla est impetratio. Felin. c. postulasti. ad finem. de rescrip. Selua de benefic. part. 3. 4. 11. Rebuff. in Praxi benefic. par. 2. in regulam. de subrogan. colligant. Glossa 4. num. 26.

Vigesimooctauo quaeritur, An qui obtinet beneficium auctoritate laici, sit inhabilis ad omnia beneficia, an solum ad illud, quod a laico habet. Iure vetitum est, ne quis beneficium suscipiat a laico 16. q. 7. per multa cap. & cap. si quis Clericus. 16. q. 7. habetur: *Si quis Clericus, vel Monachus, vel Canonicus per laicos Ecclesiam obtinuerit, secundum sanctorum Apostolorum Canones, & Antiocheni Concilii decretum excommunicationi subiacet.* In cap. quae quis. de elect. dicitur: *Quisquis electioni de se facta per secularis potestatis auctoritate consentire praesumpserit contra Canonice libertatem, ele-*

titio commodo caret, & ineligibilis fiat: nec absque dispensatione ad aliquam valeat eligi dignitatem. Sic ibi. Vnde si is, qui dignitatem a laico obtinuit, postea impetret eam a superiore, sine ulla dispensatione legitima irrita est impetratio. *Abb. in eo capite.* At si Papa sciens et talem dignitatem conferat, tacite dispensasse videtur: & ideo rata est concessio. *Abbas ibidem.* Secus esset, si alius superior prater Papam contulerit: quia is dispensare non creditur nisi praxmiserit causae cognitionem, in qua dispensat. *Abbas ibidem.* *Joan. And. & alii in cap. fraternitati. de schisma.*

Si quaeras, An huiusmodi textus locum habeat in electione cuiusvis dignitatis? Hostien. censet solum habere locum, cum quis eligitur a laico ad dignitatem episcopalem. Innoc. dicit habere locum in electione cuiuslibet dignitatis. Hæc opinio, teste *Abbate* est communiter recepta. & vera.

Si iterum roges, An is qui consensit in sui electione contra huiusmodi textum possit promoveri ad Canonicatum, vel beneficium, quod non sit dignitas. Potest: quia hic textus solum efficit inhabilem ad quamlibet dignitatem, sic communiter omnes teste *Abbate* ibid.

Nunquid poterit promoveri ad beneficium habens curam animarum? Minime, quia tale beneficium æquiparatur dignitati. *e. dudum, de elect. sic Abbas antiquus, & Panor. ibidem.*

Quid dicendum, si laicus habeat ius eligendi? Respondeo, cum Abbate, si id iuris habeat privilegio Papæ, huiusmodi textus tunc locum non habet; at vero si habeat ius eligendi ex præscriptione, vel consuetudine etiam longissimi temporis, cuius memoria initium non det, tunc textus prædictus locum habet: quia non potest laicus consuetudine etiam diuturni temporis, de cuius initio memoria non extat, acquirere ius eligendi. *Joan. And. cap. 2. de præb. in 6. & Abbas in cap. quisquis de elect.*

Nunquid poterit Episcopus dispensare? *Glof. in eo capite* censet posse. At Philip. & Butrius dicunt non posse, quia huiusmodi constitutio est Concilii Generalis, in quo nequit Episcopus dispensare. Innocent. & Panormitan. affirmant posse: quoniam licet sit Concilii constitutio, at Concilium dixit, posse dispensari, & eo ipso intelligitur, dare potestatem dispensandi episcopo, nam alias frustra fecisset mentionem dispensationis, cum dubitari non posset, à Papa in hoc dispensari posse.

Vltimo in *Extravauganti. Execrabilis. de præb. Ioan. 22.* habetur. *Qui habens dignitatem, vel personatum, vel beneficium habens curam animarum, secundum simile receperit, possessionemque eius adeptus sit, ipso iure est primo priuatus: quod si illud non dimiserit eo modo qui ibi dicitur, utriusque amittit, & fit inhabilis ad quodlibet aliud beneficium.*

CAP. V.

De ætate, que in singulis beneficiariis iure communi requiritur.

Primo quaeritur, quomodo ætatis annum in Episcopis & cæteris superioribus Canones, & iura postulant? Respondeo, trigessimum annum ætatis expletum requirere. *cap. Episcopus distinct. 77. ex Concil. Agasben. & cap. cum in cunctis. de elect.* In quo Ecclesia Christiana, & Evangelica, aliqua ex parte veterem Iudæorum ecclesiam videtur imitata. Nimirum apud Hebræos erat in more positum, ut nullus ante trigessimum ætatis annum ad populum conditiones haberet, Doctores, Prophetæve munere, & officio functus. Vnde Ioannes Baptista à septennio, in solitudine viginti tribus annis: mox triginta vitæ annos agens, docere populum cepit, & ad baptismum, & pœnitentiam cohortari. Christus quoque Dominus triginta natus annos, se in munere, & officio magistri, & doctoris exercuit: cum antea in miro silentio vitam transegeret. Iustinianus in *Novell. 123.* ætatem 35. annorum in Episcopo requirit: sed id servatur, quod est in iure Canonico statutum.

Secundo quaeritur, quomodo ætatis annus in Abbatibus Decanis, Præpositis, Archiepiscopis, & cæteris beneficiariis dignitate præditi requiratur? Respondeo in omnibus beneficiariis habentibus dignitatem, cui est cura animarum imposita, requiri annum vigesimum quintum. *cap. Cum in cunctis. §. Inferiora, de electio. Concil. Trident. sess. 24. capit. 12.* Porro hic annus satis est, si sit inceptus, verba enim Concilii hæc sunt: *Nemo igitur deinceps ad dignitates quasvis quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem 25. sue ætatis annum attigerit.* Et idem proflus, atque eisdem verbis dicitur in *cap. Cum in cunctis* citato.

Tertio quaeritur, Quomodo ætatis annum ius deposcat in personatibus, officiis, & dignitatibus quibus nulla cura animarum inest? Ante Conc. Trident. Innocentius, teste *Abbate* in *cap. Præterea, de atate, & qual. & ordine proficiendorum*, sensit, nullam esse certam ætatem iure decretam: & sufficere in his annum ætatis decimum quartum inceptum. Sed Archidiaconus, Ioan. And. Anchatanus, Geminianus, Francus *cap. 1. de atate, & qual. in 6.* & Panormitanus loco ante citato censent requiri quoque iure communi vigesimum quintum annum inchoatum. Nam in prædicto *cap. 1. & de atate qual. ordine.* Bonifacius VIII. sic ait: *Permittimus, ut Episcopi cum his, qui vigesimum annum compleverint, quoad dignitates & personatus, quibus animarum cura non immittet, valeant obtinere, possint, si aliud non obstat Canonicum impedimentum, libere dispensare.* Sic ille & *cap. In nouamus*, statutum est, ne Decanatus, vel Archidiaconatus adolecentibus conferatur. Adolescentia vero, ut *ibidem Glossa* annotauit, usque ad annum vigesimum quintum à decimo quarto exacto durat.

Cæterum Innocentus de iure tantum Canonico loquebatur ante Bonifacium Octauum, sancito: & *cap. In nouamus*, interpretabatur de Decanatu, & Archidiaconatu curam animarum habentibus. Porro quidquid sit de iure communi antiquo: Synodus Tridentina *sess. 24. cap. 12. de reformatione* ita statuit: *Ad cæteras autem dignitates, vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, Clerici aliqui non idonei, & viginti duobus annis non minores adscendantur.* Sic ibi. Annus autem vigesimus secundus requiritur inceptus tantum, non expletus.

Quarta quaeritur, Quomodo ætas requiratur in beneficiariis Parochiam, vel curam animarum habentibus, quamvis dignitate non præditi? Respondeo, requiri annum vigesimum quintum inceptum, *cap. Cum in cunctis §. Inferiora, de elect.*

Præterea in Vicario perpetuo Parochialis Ecclesiæ necessaria est eadem ætas, ut dicitur in *Clem. 1. de officio Vicarii* his verbis. *Qua de Ecclesiæ curam animarum habentibus, de ipsarum Rectoribus promovendis ad sacerdotium, & de eorum atate à iure statuta noscuntur, in perpetuo Ecclesiarum Parochialium Vicariis, & assumptis ad eus volumus obseruari: vbi Glossa recte annotauit, dictum esse, in Vicariis perpetuis Ecclesiarum Parochialium, non autem simpliciter Ecclesiarum, quæ curam animarum habent. Item is, cui Parochialis Ecclesia commendatur, necesse est, ut ad vigesimum quintum annum peruenerit. cap. Nemo deinceps, de elect. in sexto. Nemo, inquit Gregorius X. Parochialem Ecclesiam alicui non consueto in atate legitima, & sacerdotio commendare presumat.*

Si quaeras, An totidem anni requirantur in eo, qui Parocho datur adiutor? Respondeo, nihil de hoc expressim iura sanxisse: sed ex ipso tamen iure communi colligitur, annum vigesimum quintum inchoatum in his adiutoribus requiri. Nam Parocho non datur adiutor nisi sacerdos, qui ipsum in Parochia regenda, & administranda iuuet.

Quinto quaeritur, Quomodo anni in iis requirantur, qui Canonicatus, vel Portiones habent in Ecclesiis cathedralibus? Respondeo, olim quidem Hostien. in *cap. super in ordinata. de præb. versic. sed horum aliud*, sensit in Canonicis Ecclesiæ cathedralis requiri annum decimum quartum inchoatum: huic sententiæ subscripsit *Abb. in cap. super in ordinata*

ordinata de præb. versic. sed horum aliud, sentit in Canonicis Ecclesie Cathedralis requiri annum decimum quartum inchoatum: huic sententia subscribit Abb. in c. super inordinata modo citato, & ante eum Archid. in cap. si eo tempore. de rescript. in sexto, & in cap. ex eo. de elect. in sexto, de his enim nihil omnino ius commune antiquum expressim præfinit. Et quia tales Canonici soleant Episcopos suo consilio, prudentia, & opera iuuare: multorum fete iuris Canonici Doctorum sententia, quam plerique sequuntur, ut ait Mandosius in regul. 18. Cancell. quatuordecim annorum esse debent: quod ea ætate solet aliqua iudicii maturitas adesse. At Glossa in capit. ex eodem. de elect. in sexto in verbo, in tua Ecclesia. & in cap. si eo tempore, de rescript. in sexto, in verbo, ætatem. sentit minorem quatuordecim annis posse iure communi esse Canonicum in Ecclesia Cathedrali, quod probat ex cap. ex eod. de elect. in sexto, ubi habetur, quendam in pupillari ætate constitutum esse Canonicum, sed ad electionem Episcopi suffragium non ferre propter pupillarem ætatem. sic etiam Rotæ in decis. 203. in nouis. Misit in reperiario. in verbo, minor 14. annis. Decius in l. femina. §. impubes. numero 6. ff. de regul. iur. Hanc sententiam communem esse testatur Francus in capit. si eo tempore, de rescript. in 6.

Verum, quidquid sit de iure communi antiquo: Tridentina Synodus sessione 24. cap. 12. de reformat. ita definit: Neminem etiam deinceps ad dignitatem, Canonicatum, aut portionem recipiant, nisi qui eo Ordine sacro, aut sit initiatus, quem illa dignitas, præbenda, aut portio requirit: aut in tali ætate, aut intra tempus à iure, & ab hac sancta Synodo statutum, initiari valeat. Hæc ubi. Quo fit, ut in his Canonicis, quorum præbendæ sacerdotium requirunt, necessarius sit annus vigesimus quintus inceptus, aut certe ea ætas, ut ad annum vnum fieri presbyteri queant: in his vero, quorum præbendis est Diaconatus annexus, requiritur annus vigesimus tertius inchoatus: in quibus autem subdiaconatus annexitur, sufficit annus vigesimus secundus. Nam ad singulos hosce ordines hanc ætatem requirit ipsa Synodus Tridentina sessione 13. cap. 4. de reformat. Regula 18. Cancellaria postulat in Canonico Ecclesie Cathedralis, annum ætatis decimum quartum completum. At seruari debet, quod est in Concil. Trident. statutum, ut dixi. Sed quid dicendum, si in Ecclesia Cathedrali Canonici designati non fuerint, ut alii sint Presbyteri, alii Diaconi, alii Subdiaconi? Respondeo, saltem tunc Canonicum debere esse in ea ætate, ut Subdiaconus fieri queat, quia omnes Canonicatus Ecclesie Cathedralis habent annexum ordinem sacrum Sacerdotii, Diaconatus, vel Subdiaconatus: eo quod in Concil. Trident. sess. 23. c. 12. dicitur: In omnibus vero Ecclesiis Cathedralibus, Omnes Canonicatus, & portiones habeant annexum ordinem Presbyterii, Diaconatus, vel Subdiaconatus, & quod dictum est de obtinere volentibus Canonicatus, intelligi etiam debet in obtinere volentibus portiones, in dictis Ecclesiis Cathedralibus.

Sexto quaeritur, Quota ætate esse iure debeant ii, qui Canonicatus, aut portiones habent in Ecclesia Collegiata? Respondeo, neque Concil. Trident. neque ius commune expresse de his certam ætatem præfixisse, Et ideo ante Concil. prædictum alii senserunt, in his Canonicis requiri annum 14. alii vero tantum septennarium. Regula Cancellaria, 18. annum ætatis decimum completum postulat. At Synod. Trident. sess. 23. c. 6. generatim constituit sic: Nullus prima tonsura initiatus aut etiam in Minoribus ordinibus constitutus, ante decimum quartum annum posse beneficium obtinere, quod Concilii decretum reuera cõgruere videtur cum eo, quod iure antiquo communi in c. super inordinata, de præb. Greg. IX. statuerat, scribens Argentinensi Episcopo hunc in modum: Cum autem illi sint in Ecclesia idonei reputandi, qui seruire possunt, & volumus in ipsis Consultatione tua respondimus, quod pueri, & beneficiati, qui non possunt in eadem Ecclesia deservire, in eam non debent idonei reputari. Vbi quamvis Glossa intelligi appellatione puerorum putet eos, qui septem annos nondum habent: ve-

rius est tamen, quod tradit Panormitanus, puerorum appellatione accipi, qui à septennio elapso quatuordecim annis minores adhuc sunt: nam ante septennium, infantes vocantur: à septennio veto exacto usque ad decimum quartum annum, pueri proprie dicuntur, ut docet Glossa prope mo, verbo, Præf. in 6.

Sciendum est, in Canonico penitentiario, qui iuxta Concil. Trident. sess. 24. c. 8. de reformat. in omnibus Cathedralibus Ecclesiis, ubi id commode fieri poterit vbiue præbendæ proxime vacaturæ, ab Episcopo debet institui, requiri annum quadragesimum inchoatum.

Septimo quaeritur, Quamnam ætas requiratur in ceteris omnibus beneficiariis simplicibus, & inferioribus? Olim duæ fuerunt opiniones: Vna fuit assertentium, annum decimum quartum requiri ex cap. In decorem, de utra. & qual. & cap. super inordinata, de præb. cap. de his, d. finit. 18. cap. In singulis, & cap. Quicumque d. ff. 77. Altera opinio fuit sufficere septennium inceptum, quod probat, quia olim beneficium Clerico dabatur, non enim ordinabatur Clericus sine aliquo titulo Ecclesie, cap. 1. dist. 70. & c. Cum scilicet Apostolam, de præb. At consuetudo Clericorum dari potest anno septimo, cap. ult. de tempor. ordinat. in 6. Abbas in c. super inordinata, de præb. num. 11. ita distinguit: Aut beneficiarius est Ecclesie, siue Capellæ per se à ceteris iunctæ præfectus, ita ut sit rector illius, & in hoc requiritur annus decimus quartus, ut insinuat in ipso cap. super inordinata: nam puer ante eam ætatem seipsum gubernare, ac regere commode nequit: quomodo igitur regeret Ecclesiam sibi commissam? Aut non est vlti certæ Ecclesie, aut Capellæ præfectus, sed vna cum aliis Clericis beneficiariis inferuit, & in hoc, inquit ille, sufficit septennium expletum. At enim Concil. Trident. sess. 23. c. 6. generatim in beneficiario decimum quartum annum, saltem inchoatum requirit, ac postulat. Et merito hoc statutum est: quia ante illam ætatem sapienter se regere nemo potest: sicut ante talem ætatem testari nequit, l. ult. C. de test. si minor. nec potest per se, vel per procuratorem agere, vel defendere causam spirituales. cap. Si annis, de iud. in 6. neque ad honores, & officia publica admitti l. 2. §. impubes. ff. de iure iurisdictionis. l. 2. §. Item impubes. ff. de reg. iur.

Octavo quaeritur simpliciter, An pueris tunc conscientia beneficii Ecclesiastica conferatur indulgentia Rom. Pont. Felin. in cap. Si quando, de rescript. ait: Si Papa beneficium infanti siue minori septennio conferret, inferiores non debent ipsi obedire. Caietan. in sim. verbo Ecclesiastica beneficia, cap. 2. sic ait: Conferre autem em pueris Ecclesiastica beneficia, existantibus aliis adultis idoneis, non solum inexcusabile, sed inolerabile videtur, tum quia pueri sunt solum idonei in spe, adultis autem in re: tum quia officium diuinum deuote, & studiose persolvere nequeunt, cum nec humana officia valeant exercere nisi ut pueri, & tamen beneficiatorum nullus excusatur ab officio diuino. Nec est verum, quod secundum iura Canonica, concedatur beneficium pueris: imo expresse hoc reprehenditur cap. Super inordinata, de præb. Et si alicubi sunt ordinati a aliquo præbendæ pro pueris: vnde illorum statuta, & ut pueri inuenias, quod non sunt beneficia Ecclesiastica, sed quedam provisiones ad sustentandos, & alendos pueros in seruitio Ecclesie. Vnde non tenentur tales ad officium diuinum, sed ad id, ad quod sunt constituendi. Hæc Caietanus, quæ ab eo dicta videntur contra Canonici iuris interpretes, quorum communis sententia fuit ante Concilium Tridentinum, in beneficiariis simplicibus, & inferioribus sufficere septennium. Vnde Abbas in dicto cap. Super inordinata, de præb. num. 18. docet in his latius esse ætatem septem annorum: nam in multis Ecclesiis sunt beneficia pro Clericis minoribus, qui Collegium non faciunt, sed tamen sunt simpliciter beneficiati. Et Glossa ibidem tradit, pueros, quibus beneficia cõfetti nequeunt, intelligi septem annis minores: nam post septennium, cum pueri minoribus ordinibus initiari queant, dolique sint capaces, cap. Pro pueris, de delictis pueris. Iuxta quoque beneficiatorum compotes. In cap. ex eo. de electione in sexto, fit mentio de Canonico in pupillari ætate constituto, qui Ca-

nonicus dicitur, quamvis suffragium non ferat in electione propter infirmam ætatem. Et Canonicatum in Ecclesia collegiata haberi posse in decimo ætatis anno completo, regula 18. Cancellariæ tradit. Idem etiam docuerunt Hostiensis, & Archidiaconus, & Ioannes Andreas. Certe non est, quod Caietanus horum sententiam, tam facile reiciat. In primis pueri proprie in iure dicuntur ab exacto septennio usque ad decimum quartum annum: qui vero sunt in ætate septem annis minori, infantes nominantur. Si infanti, C. de iure deliberandi, ubi dicitur: Si infanti, id est, minori septem annis in potestate patris, vel aui, vel proavi constituto.

Deinde dubitandum non est, quin post Concilium Tridentinum, in quolibet beneficiario requiratur annus decimus quartus: id enim, ut supra annotavi, aperte dicitur sess. 23. c. 6. de reformat. Sed à iure communi antiquo alienum non erat, ut pueris à septennio elapso, ante decimum quartum annum beneficia simplicia, & minora conferrentur. Nam cap. De his, dist. 18. dicitur: De his quos voluntas parentum à primis infantia annis Clericatus officio mancipaverit, id statim observandum, ut mox detonsi, vel ministerio Lectorum traditi, in domo Ecclesiæ sub Episcopali praesentia à Proposito sibi debeant evadere.

Ubi Glossa, infantiam recte interpretatur pueritiam, à septennio usque ad decimum quartum annum. Et in c. in singulis ex Zozimo, c. in cap. Quocircaque, ex Siricio, dist. 77. pueri ab infantia, id est, à septennio usque ad decimum quartum annum, minoribus ordinibus initiantur: sed qui ad minores ordines promoventur, idonei iudicantur ad præstanda, quæ sunt in Ecclesiâ officia minora; ac proinde apti quoque conferantur ad beneficia simplicia, quibus ministeria minora sunt annexa. Unde cap. Pueri, l. 7. c. decernitur: Ad sacros ordines pueri nulla ratione admittuntur. & cap. ex ratione, de atate, & qualitate, & ordine præficiendo. Alexander III. reprehendit Episcopum Cantuariensem, ne paruulis, hoc est, infra annum decimum quartum, Ecclesiâ tradat administrandas. Et cap. Super inordinata, de præben. pueri tanquam inepti ad inseruiendum in Ecclesiâ, excluduntur: quod quidem licet pro Caietano facere videatur, videtur tamen Pontifex intelligere Ecclesiâ, quæ regenda pueris conferuntur.

Quidquid sit de iure communi antiquo: dubium esse non potest, privilegio, siue indulgentia Romani Pontificis pueris à septennio usque ad decimum quartum annum, posse beneficia simplicia, & minora concedi, dum alii ad ultimum ætatis magis idonei desiderantur. Ratio huius est, quoniam hi Clerici in cæterorum maiorum cura, & potestate sunt, à quibus dirigitur, nec munia & ministeria, quæ in Ecclesiâ obeunt, eorum captum, & ætatem superant. Nec sunt inepti, dum Latine legere, & scribere norunt, ad divini officii pensum persolvendum.

Sed querat aliquis, An Romani Pontificis auctoritate & indulgentia possit beneficium infanti concedi? Oldrad. consil. 325. & 329. ait, posse. Certe negari non potest, id posse, cum in beneficiis plenam potestatem habeat summus Pontifex. cap. Proposuit, de concess. præben.

Sed dubitandum non est, has iuris relaxationes Ecclesiis multum obesse, & ex eis maximum animæ periculum creari, cum in ipsis infans, cum etiam in iis, qui eas impetrandas curant. Satis esset fructuum aliquam portionem infantibus dari ex beneficiis ex aliqua causa iusta, ut quia parentes eorum fuerint de republica Christiana optime meriti, aut fore creditur, ut sint Ecclesiæ Christi plurimum profuturi.

Nono queritur, Quandonam Episcopi concessu beneficia conferri queant Clericis nondum legitimam iuris ætatem habentibus? Respondeo, sola Romani Pontificis auctoritate Episcopatum conferri posse ante trigessimum annum. Item, ut testantur Abbas in cap. Præterea, de atate, &

qualiter, & Ioan. Andreas in cap. Indemnitatis, de elect. in sexto, solus Romanus Pontifex concedere potest, ut quis eligatur, & creetur Abbas ante vigesimum quintum annum. Imo Episcopus iure non potest concedere, ut quis promoveatur ad dignitatem aliquam, cui animarum cura subest, ante vigesimum quintum ætatis annum, quia hæc ætas requiritur ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. ut habetur in cap. Cam in cunctis, de electione, & ex Concilio Tridentino sess. 24. r. 12. de reformat. & Episcopus ius commune Concilii Generalis solvere nequit, nisi in casibus sibi permittis. At vero Episcopo permittitur, ut conferre queat dignitates, & personatus, quibus nulla cura animarum inest, his Clericis, qui vigesimum ætatis annum compleverint, c. 1. de atate, & qualitate, & ordine præficiendorum in 6.

Sed hoc olim iure communi locum habebat ex illo capite: at in Concilio Tridentino sess. 24. r. 12. de reformat. statutum est sic: Ad ceteras dignitates, vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, Clerici aliquatenus idonei, & viginti duobus annis non minores adsciscantur: ac quia ius Concilii Generalis, ut diximus paulo ante, Episcopus solvere non potest: ideo nequit Episcopus concedere, ut quis promoveatur ad huiusmodi dignitates, si sit minor viginti duobus annis.

Si quaeras, An Episcopi auctoritate fieri queat, ut quis post septennium exactum, sed ante decimum quartum ætatis annum inceptum, habere possit beneficium simplex? Respondeo, id olim fieri potuisse iuxta multorum sententiam, qui ut supra dixi, iure communi putabant, posse aliquem post septennium ad ordines minores prouehi, & nemo olim ordinabatur sine beneficio, hoc est, qui non esset certæ alicui Ecclesiæ adscriptus. At hunc post Concilium Tridentinum, id Episcopus non potest, quoniam in Concilio prædicto sess. 23. c. 6. de reformat. statutum est: Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere. Episcopus vero hoc ius commune Concilii Generalis relaxare non potest.

Cæterum quaestio est dubia, & incertæ, An Episcopi concessu ex iure communi antiquo beneficium curæ animarum coniunctum concedere queat Clerico decimum quartum annum agenti? Archidiaconus, Ioannes Monachus, Innocentius, Hostiensis, ut ait Ioannes Andreas in c. 1. de atate, & qualitate, in 6. sensere id esse Episcopo communi iure permittum: Nam in capitulo, Præterea, de atate, & qualitate dicitur: Dispensatus tamen in minoribus ordinibus constituti consueverunt assumi, videlicet ad regimen Ecclesiæ animarum curam habentis: dum tamen tales sint, quod intra breue tempus possint in Presbyteros ordinari. Sic ibi. At constans est cæterorum omnium opinio, Geminianni, Franci, Ancharani, & Abbatis locis sup. cit. id Episcopo non licere facere: quoniam in c. Cum in cunctis, §. inferiora, de elect. Alex. III. in Conc. Lateranen. constituit in huiusmodi beneficiariis annum vigesimum quintum requiri, & teste Ioan. Andr. Bonifacius VIII. sententiam tulit: ut id Episcopo fas non esset: & mirari se aiebat, quod Episcopus Generalis Concilii Canonem relaxare possit.

Nec obstat quod in c. Præterea, citato dicitur: Clericos minoribus ordinibus initiatos, Episcopi concessu posse ad Ecclesiâ Parochialem promoveri: quoniam statim subiungitur: Dummodo tales sint, ut ad breue tempus presbyteri fieri queant. Porro quantum tempus illud esse debeat, ibi non exprimitur. Glossa interpretatur annum cum dimidio, quia intra id tempus potest Clericus minoribus Ordinibus præditus ad factos, & maiores prouehi. Hostiensis dicit esse id arbitrio iudicis relinquendum, quia intra annum & vnam Quadragesimam, quam solemnium ieiunio ante Pascha proxime colimus, potest creati sacerdotes. Sed in c. Licet, de elect. in sexto, declaratum est, quantum esse possit huiusmodi tempus. Est enim ibi definitum, ut qui ad Ecclesiâ Parochialem promotus fuerit, sacerdos fiat ad annum, ab eo tempore, quo beneficium possessionem adeptus est, computandum. Idem etiam iuris est de eo, de

quo est sermo in cap. de pro Clerico, de prab. in sexto, ubi Bonifacius VIII. constituit: Si Clericus minoribus Ordinibus initiatus à Romano Pontifice gratiam impetret, vt ei episcopus possit beneficium conferre, cui inest cura animarum, Pontificiam gratiam locum habere etiam si sacros Ordines nō suscepit, nec eorum vllam mentionem fecerit. Subiicit tamen hæc quæ sequuntur verba: *Oportebit tamen, vt ipsi ad ordines, quos requirunt collata eis beneficia, se faciant in proximo statutis à iure temporibus promoueri.* Sic ille, quod quidem intelligitur iuxta prædictum caput. Licet, dummodo videlicet in ea ætate sit Clericus, vt intra annum possit ad eum sacrum ordinem ascendere, quem beneficium ipsi collatum requirit. Eodem modo intelligitur id quod dicitur in cap. Si is, de institutio. in sexto, ubi Bonifacius VIII. sic definit: *Si Patronus Clericum nondum sacris ordinibus initiatum ad Parochialem Ecclesiam offerat, admittendum decernimus, dummodo alias sit idoneus, & infra tempus à iure statutum, ad ordines, quos ipsius Ecclesia cura possit, possit promoueri.*

Querat aliquis, An si Clericus tantum minores Ordines adsecutus, vna cum aliis tanquam candidatus, Parochialem Ecclesiam petat, admitti queat: An vero eo ipso sit excludendus, quod nondum sacros ordines suscepit? Respondeo, distinguendo, aut est in ea ætate, vt intra annum presbyter fieri queat, & hic excludi iure non potest, si alioqui sit idoneus: aut intra annum in sacerdotem eligi nequit, & hic admitti non potest.

Querat deinde quis, Quid dicendum sit, de Titio Clerico, qui cum ad sacros ordines nondum esset euectus, Parochialem ab episcopo beneficium accepit, cum eam ætatem haberet, vt intra annū ad sacerdotium posset ascendere, nihilominus tamen episcopus intra annum proximum, ei sacerdotium denegauit, an amittat beneficium, & an peccauerit cum illud accepit? Respondeo, nec eum in susceptione beneficii peccasse, quoniam bona fide putauit intra anni spatium se ad sacerdotium ascensurum: nec beneficium amisisse, siquidem per episcopum, non per ipsum stetit; quominus intra id præfixum tempus presbyter crearetur.

Obiicit, in Concilio Tridentino sess. 23. cap. 11. de reformat. statutum esse, ne Clerici minores nisi post annum à susceptione postremi gradus minorū ordinum ad sacros ordines promoueantur: ergo post Concilium Tridentinum Clerici minoribus ordinibus initiatus, ad annum integrum non potest sacerdotium capessere, nec proinde eligi ad Ecclesiam Parochialem? Respondeo, ibidem Concilium subiecit hæc verba: *Nisi necessitas, aut Ecclesie utilitas iudicio Episcopi aliud exposcit.* Ergo licet interstitia temporum Concilio seruati iusserit: iudicio tamen episcopi id liberum reliquit.

Decimo queritur, An aliquando Episcopi facultate possit Clericus ante legitimam ætatem ad Parochialem Ecclesiam, quæ curam animarum habet, eligi, etiam si intra annum presbyter fieri nullo modo possit, quia legitimam ætatem non habet? Respondeo, in cap. Cum ex eo, de elect. in sexto, Episcopo concedi, vt gratia studii literarii ad septennium duraturi, possit tempus vltra annum prorogare, ita vt Clericus ad beneficium Parochiale promotus, intra annum sacerdos fieri non cogatur: dummodo tamen (vt ibidem dicitur) intra annum proxime sequentem subdiaconus creetur, ne postquam in literarum studium Ecclesie fructus impenderit, ad nuptias transeat. Non tamen conceditur Episcopo, vt possit ad Ecclesiam Parochialem promouere Clericum eam ætatem, in qua intra annum presbyter fieri queat. In eo enim cap. Cum ex eo, solum conceditur Episcopo, vt possit tempus vltra annum differte, non tamen vt Clerico, qui ætatem non habet, in qua intra annū ad sacerdotium prouehi queat, Parochiale beneficium concedat. Porro, vt ibidem Glossa annotauit in verbo literarum, appellatione studii literarii, intelligitur quodlibet literarum studium, siue Grammaticæ, siue Dialecticæ, aut Philosophicæ. Iuris Canonici, vel Civilis, siue

Theologicæ. Rursus Clericus, cui hoc privilegium Episcopus concesserit, debet reuera, vt idem Caput insinuat, in literas operam conferre: alioqui turis non est. Præterea, elapsō illo septennio, vt habetur in eo c. Cum ex eo, intra annum octauum proxime sequentem oportet eum sacerdotem creati: alioqui ipso iure beneficium amittit: sicut etiam amittit, si intra primum annum à privilegio studii ad septennium duraturi, in subdiaconum non eligatur.

Vndecimo queritur, An si quis eam ætatem habens, quæ requiritur ad ordinem annexum Canonicatus, seu Portionis, quam obtinet, infra annum promotus non fuerit, penam aliquam incurrat? Respondeo in Concil. Trid. sess. 23. cap. 4. de reformat. statutum esse sic. *Quicumque in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, vel seculari diuinis mancipatus officii, in Subdiaconatus ordine saltē constitutus non sit, vocem in huiusmodi Ecclesiis in Capitulo non habeat, etiam hoc sibi ab alio libere fuerit concessum.* Er in Clem. Vt hi qui, de astate, & qualitat. illi, qui dignitates, personatus, officia, vel prebendas, quibus tertii ordines sunt annexi, nisi impedimento cessante, ad huiusmodi ordines se promoueri fecerint intra annum, ex eo tempore, donec ad eos promoti fuerint, nullo modo vocem in Capitulo habeant: & distributionem, quæ dantur in his, qui certis horis interfunt, dimidiam partem amittant. Renouata est hæc Clementina à Concilio Tridentino, sess. 22. cap. 4.

Duodecimo queritur, an si beneficium ante legitimam ætatem Clericus obtineat, impetratio sit ipso iure irrita, & inanis? Respondeo, ex communi omnium sententia eam irritam esse. Abbas in c. ex ratione, de astat. & quali. num. 4. Sed quid faciet is qui per ignorantiam beneficium accepit, ratus se legitimam ætatem habere? Respondeo, nullam fuisse ademptionem: ac proinde oportere, vt beneficium sibi conferendum denuo curet, cum ad legitimam ætatem peruenerit: sin minus, eo se debet abdicare. Fructus vero, quos ex beneficio percepit, aut bona fide consumpsit, aut mala, si mala, restituere debet: si bona, nihil, nisi id, in quo ditior est factus: si vero fructus adhuc extant, siue mala, siue bona fide percepit, restitui debent. Sic communis opinio.

Decimotertio queritur, An si quis ante legitimam ætatem, vel ante annos ad suscipiendum ordinem definitos, fuerit promotus ad ordinem, quem beneficium postulat, sit beneficii capax? Ratio dubitandi est, quia promotus est ad ordinem, & vere ordinem habet. c. vel non est corpus, de tempor. ordinat. ergo est beneficii capax. Respondeo, cum Glossa in cap. Et cui prouideri, de prab. in sexto, cum ad beneficium promoueri non posse, quia vsum, & functionem ordinis non habet, donec ad legitimam ætatem peruenerit: cap. Vel non est corpus, modo citato.

Item melioris conditionis non debet esse, qui deliquit, quam qui non deliquit. cap. Eum qui, de prab. in sexto, at deliquit, qui sine vlla iuris relaxatione debita sese intulit in ordines ante legitimam ætatem suscipiendos. capitulo 1. de Clerico per saluum promotus. Accedit, quod paria sunt non esse, & esse perperam, & quod lottini non possit effectum. l. Quoties ff. Qui satis dare cogam. ergo perinde est, esse ab ordine suspensum, quod est ordinem non habere. Neque enim inspicimus quod factum est perperam, sed id quod faciendum erat. cap. Cum causam, de elect. & cap. Legimus. dist. 93. Sic etiam Archidiaconus & alii in cap. Et cui, de prab. in sexto. cum Glossa senserunt.

Decimoquarto queritur, An iura certam aliquam ætatem in Cardinalibus postulent? Quidam affirmant iure communi requiri, vt is qui in Cardinalem eligitur, tricesimum annum excedat, quod quidem illi ex Concilio Basilien. sessio. 23. deducunt vel certe ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 1. de reformat. vbi dicitur: [Ea verò omnia & singula, quæ de Episcoporum proficiendorum vita, ætate, doctrina, & cæteris qualitatibus alias in eadem Synodo constituta sunt, decerni: eadem etiam in creatione sanctæ Romanæ Ecclesie Cardinalium, etiam si Diaconi sint, exigenda. Alii vero in Cardinali Diaconi sunt, exigenda.] Alii vero in Cardinali Diacono solum annum 23. in-

ceptum; in Cardinali Presbytero, annum 25. in Cardinali Episcopo, trigefimum annum explem requirunt.

Decimoquinto queritur, An ius scriptum certam aetatem in Romano Pontifice creando requirat? Respondeo, iure scripto nullam esse praefinitam aetatem: ac ius naturale prohibet, vllum in totius Ecclesiae pastorem eligi, qui aetate, & iudicio maturo non sit; nec, vt Baldus monet cap. Licet. de elect. in 6. credendum est, adeo stolidos, inconsideratos, & temerarios Cardinales futuros, vt puerum, vel adolefcentulum sibi, & quod plus est, toti Ecclesiae praeficiant, quamuis rationis compotem. Nam etsi contra electionem Pontificis, a suffragiis duarum partium Cardinalium factam nihil opponi possit, quod iuris scripti sit: opponi tamen potest, quod ius naturale & diuini facti prohibet: vt si infans, vel amens, mutus, vel furdus, hermaphroditus, vel foemina in Romanum Pontificem eligatur.

CAP. VI.

Qua scientia, & literarum cognitio in singulis beneficiariis iure communi necessaria sit.

Primo queritur, in Episcopo, & caeteris eo superioribus, quamnam literarum Canones, & iura deponant? Episcopus debet habere notitiam veteris, & noui testamenti, & articulorum fidei explicite, vt videtur colligi ex c. qui Ecclesiastici. §. Ecce. d. 36. & cap. omnes fallentes. d. 38. Caeterum Concilium Tridentinum, sess. 22. cap. 2. De reformat. constituit, ne vllus in episcopum promoueatur, nisi qui in vniuersitate studiorum Magister suo Doctor, aut Licentiatus in sacra Theologia, vel iure Canonico merito sit creatus, aut publico alicuius Academia testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur: quod si regularis fuerit, a superioribus sua religionis similitudo fides habent. Sic ibi. Quares. An satis sit Doctorem esse, vel praedictum testimonium habere, quamuis reuera idonee literaturae non sit, vt impetratio, & adeptio eius dignitatis vim & locum habeat? Quaestio est generatim a multis agitata, An ii, qui ad gradus literarum honorificos promoti sunt, si tamen rudes & ignari literarum fuerint, gaudeant privilegio caeterorum doctorum? Ripa in l. Centurio. num. 17. ff. de vulg. ait, se respondisse, Doctorem quamuis ignatum torqueri iure non posse, ne Doctorem dignitatem contemnat. Sic etiam Boer. de auctori. mag. conf. 93. Butrius & Felinus, quos citat, ac sequitur Mandosius in regula 16. Cancellariae, quaest. 13. licet in eadem regula antiquus Glossae auctor oppositum tradat. ait enim; Leges & Canones aliquid statuentes de personis, imo etiam de locis, & rebus, intelligi debere de personis alioqui idoneis, habilibus, & aptis. vt gradatim. ff. de muneribus §. homo. l. 2. cum Glossa 1. C. De sacros. Eccles. Sed verior est prima sententia. Respondeo itaque, in foro Ecclesiae iudiciali, eam impetrationem dignitatis ratam esse, & firmam; iure tamen naturali, & diuino is qui impetrauit, eam sibi scientiam comparare debet, qua possit suam manus, & officium obire; aut saltem aliquem Vicarium sibi, & adiutorem ad seiscere, cuius opera, scientia, & consilio vtatur in Ecclesia administranda, alioqui profecto se le. hali peccato obstringere. Nec enim dignitatem deponere iure vlllo compellitur. Si etiam quis querat, An cum quis ad Doctorem, vel Licentiatum gradum contra Academiae ratam, vel consuetudines fuerit promotus, alioqui tamen satis literatus & doctus, valeat in eo episcopalis dignitatis adeptio? v. g. Doctorem, vel Licentiatum gradum Titius obtinuit falsis & corruptis testibus, probans se curriculum literarum absoluisse, vel certos annos in Academia audiuisse, vel singulis annis in Scholasticorum numerum relatum fuisse. Respondeo valere, si illa ad Doctorem, vel Licentiatum gradum promotio non fuit ipso iure irrita, & inanis: quamuis iudicis sententia rescindi potuerit: quoniam licet ad honorificum literarum gradum fuerit contra Academiae leges, vel consuetudines prouectus, promo-

tio tamen valet. Quod si Academiae legibus ipsa promotio fuerit ante vllam iudicis sententiam, vel declarationem in ipso foro conscientiae infirma & irrita, adeptio quoque Episcopatus inanis est. Porro iure quoque communi, vt etiam dixi, Episcopus nosse debet veteris, & nouum Testamentum, vt omni poscenti reddat rationem Christianae fidei, ac religionis. cap. Qui Episcopus, distin. 33. Debet item iuxta Innocentium, Hostiensem, Ioannem Andream, & Panormitanum in cap. cum cunctis, de elect. scire iura Canonica vt in causis recte iudicare possit.

Secundo queritur, Quam scientiam ius commune in caeteris beneficiariis postulet? Respondeo: quoniam ad omne beneficium, vt minimum prima Clericorum tonsura requiritur, & ad quaedam etiam aliquis ordo, vel ex minoribus, vel ex maioribus: consequens est, vt in singulis beneficiariis ex literatura necessaria sit, quam ordo beneficii annexus exposcit. Porro ex Concil. Trident. sess. 23. cap. 7. de reformat. is qui ad primam tonsuram promouendus est, scire debet rudimenta fidei: insuper legere, & scribere. Et quamuis Concilium non expressit in qua lingua: videtur tamen intellexisse linguam vulgarem, seu maternam: ita vt quisquis in sua lingua patria, & natua legere, & scribere norit, possit prima Clericorum tonsura donari. Sed cum singuli beneficiarii debeant diuini officii diurni nocturnique praedicti, cum ad aliquod beneficium promouetur, quodcumque sit illud, scire debeat Latinae legere, & intelligere, vt preces horarias quotidianas recitare possit. solum igitur ad primam tonsuram sufficit, si hic beneficiarius sciat legere, & scribere lingua vernacula, quamuis propter beneficium necesse sit, vt sciat legere, & intelligere Latine.

Ad minores ordines requiritur, vt qui promouendus est, intelligat linguam Latinam. Ita Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 11. & bonum a Parocho, & Magistro scholae, in qua educatur, testimonium habeat, bonum videlicet, de literis, & moribus. Ibi. cap. 5. Qui Subdiaconus, vel Diaconus est eligendus, scire debet ea, quae pertinent ad sui ordinis munus & officium obeundum, & qui probe versatus sit in minoribus, & de his bene instructus. Concilium Trident. eadem sessione, cap. 13. Qui est presbyter creandus, ex eodem Concilio, & sess. cap. 14. eum scire oportet, quae nosse omnibus necessarium est ad salutem, cum vis pariter, quae ad administrandum rite populo sacramenta pertinent. Praeterea. c. Quae ipsi dist. 38. dicitur: Sacerdotibus necessaria sunt ad discendam, Sacramentorum liber, Lectionarius, Antiphonarius, Baptisterium, Computus, Canones poenitentiales, Psalterium, Homilia per circuitum anni in Dominicis diebus, & singulis festiuitatibus apta. Ex quibus omnibus si vnus defuerit, Sacerdotis nomen vix in eo constabit: quia valde periculosa Euangelica mina sunt, quibus dicitur: Si caecus caeco ducatur praestet, ambo in foueam cadunt. Sic ibi. Haec igitur communi iure requiruntur in beneficiariis presbyteris, quibus parochialis Ecclesiae cura committitur.

Archidiaconi, Diaconi, Archipresbyteri, & caeteri Praepositi, dignitatem & personatum & curam animarum habentes, ex communi sententia Doctorum ante Concilium Tridentinum, scire iura, vel Canones debent, ad quorum praescriptum sententiam ferre, & iudicare eos oportet. Sic Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, & Abbas in cap. Cum in cunctis, de elect. Hoc tamen, vt recte idem Abbas annotauit, locum habet in iis Praepositis, qui ratione sui muneris & officii ius in foro dicunt: in iis enim, qui vsu & consuetudine recepta, nomine tenus Praepositi sunt (qualis, inquit, est Archidiaconus, Praepositus Senensis) tanta scientia necessaria non est: sed ita tantum requiritur quod sufficit ad officium suum praestandum, pro sua dignitatis & ordinis conditione. At vero post Concilium Tridentinum seruanda sunt, quae sequuntur. sess. 23. cap. 18. versiculo. De caetero, habetur: De caetero vero officia, & dignitates illa, quae Scholastica dicitur, non nisi doctores, vel Magistros, aut Licentiatos in sacra pagina, aut in iure

Canonico, & alia personis idoneis. Et qui per seipfos id munus explere possint, conferantur, & aliter facta promissio nulla sit & inualida.

Sell. 24. cap. 8. Canonici Penitentiaris in Ecclesia Cathedrali nemo eligi potest, nisi Doctor, aut Licentiatas in sacra Theologia, vel iure Canonico fuerit.

Sell. 24. cap. 12. Archidiaconus Ecclesie Cathedralis nemo debet eligi, nisi fuerit Doctor, aut Licentiatas in sacra Theologia, vel iure Canonico. Ibidem hortatur sancta Synodus, ut in provinciis, ubi id commode fieri potest, dignitates omnes aut saltem dimidia pars Canoniarum in Cathedralibus Ecclesiis, & Collegiis insignibus conferantur tantum Magistris, vel Doctoribus, aut etiam Licentiatas in sacra Theologia, vel in iure Pontificio. Sicibi.

In iis, qui Canonici, vel Portiones, vel alia simplicia, & inferiora habent beneficia, sufficit ea literarum notitia, quam eorum ordo, munus, & officium deposcit; ut minimum requiritur, ut hi beneficiarii sciant Latine legere, & intelligere, ut horarias preces recitare possint.

Quinto quaeritur, An penitus illiteratus possit ad beneficium promoveri? Respondeo, minime cap. illiteratos, dist. 36. & cap. ult. De temporibus ordinationum in 6. c. precipimus, d. 34. c. 1. d. 55. Sed in dubium vocatur: quisnam in iure censetur penitus illiteratus? Glossa & Cardinalis in Clement. 1. De concess. preb. videntur innuere, eum talem esse, qui nescit Latine legere, construere, & cantare.

At Navarrus de rescriptis, cap. Si quando, except. 14. num. 8. tradit, non esse illiteratum eum, qui scit Latine legere & scribere, quamvis non intelligat: nam eo ipso quis Latine legit & scribit, literarum expertus & ignarus dici nequit. Alii illiteratum vocarunt eum qui prima Grammaticae rudimenta non didicit.

Sciendum tamen est ex Innocentii sententia cap. Cum in cunctis, de elect. communi omnium consensu recepta, scientiam in beneficiariis, esse triplicem, eminentem, mediocrem, & eam quae tanquam idonea sufficit. Ea est eminentis scientia, qua quis omnia etiam obscurissima, maxime dubia, & difficillima, quae ad suum munus, & officium spectant, potest prompse explicare & definire. Medio cras vero scientia est, qua quis potest explicare quae in suo munere & officio frequententer, & passim occurrunt, quamvis non obscurissima & difficillima quaeque. A donea vero & sufficiens scientia ea dicitur, qua quis novit suo munere & officio fungi licet alloqui, vel auctores legendo, vel doctos consulendo, vel qua dubia, & perplexa novit, interrogando.

Deinde scire oportet, alios esse, qui parum norunt: quorum scientia non idonea censeri potest. Quandoquaque igitur in beneficiatio est scientia idonea, & sufficiens, nihil amplius ab eo, quod necessarium sit, requiritur. In singulis autem Clericis, etiam iis, qui ad simplicia tantum, & inferiora beneficia promouentur, necessarium est, ut Latine legant, & aliquo modo intelligant, quamvis opinio Navarrus loco citato quibusdam probabilis esse videatur: ita tamen, ut etiam si ignorent quae in lectionibus; hominibus, & ceteris officiis Ecclesiasticis obscura, dubia, & difficilia occurrunt, & multa facile, & expedite legant; sed si in legendo solacismos interdum, & barbarissimos effutiant, non propterea illiterati penitus habeantur. Nam in cap. Sedulo, dist. 38. Ex Augustino adfertur, Sedulo monendos esse Scholasticos, ne irrideant, si aliquos Antifites & ministros Ecclesiae forte animadverterint, vel etiam barbarissimis, vel solacismis Deum invocare, vel eadem verba quae pronunciant, non intelligere, perturbateque distinguere: non quia ista minime corrigenda sunt, sed quia pie toleranda sunt ab eis qui didicerunt. Nouerint enim non esse voces ad aures Dei, nisi animi affectum.

Quarto quaeritur, An Romani Pont. auctoritate concedi queat, ut penitus illiterato beneficium conferatur? hoc perinde est ac si quaeretur, An in beneficiis literata iure diuino, an vero tantum Canonico requiratur? Turrecremata in cap. illiteratos, d. 36. & in c. si in laicis, d. 48. Felinus in c. inquisitioni, de senten. excomm. & cap. si quando, de re-

script. ex Inno. in c. dilectus, de temp. ordin. sentunt iure diuino requiri literaturam: ac proinde Romani Pontificis auctoritate hanc legem relaxari non posse. Nam Otzer 4. dicitur: Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotis fungaris mihi. Item beneficium propter officium datur, ut qui nescit Latine legere, nequit pensum diuini officii persolvere. His tamen posset obici, Romani Pontificis auctoritate fieri posse, ut beneficiarius a lege diuini officii preces recitandi eximatur, & ad ordines minores & simplex beneficium promotus ab omni ordinis & beneficii functione & administratione liberetur. Item Clericus prima tonsura praeditus, beneficium compos est: at is qui est omnino illiteratus, Monachus fieri potest, c. Legi 16. q. 1. & Monachus eo ipso quod est Monachus, potest primam Clericorum tonsuram accipere, & proinde capax fieri regularium beneficiorum. Accedit quod Pontifex licet illiteratum ad beneficium promouendo male faciat: non tamen continuo sequitur, ut ipsa beneficii adeptio sit irrita: multa enim prohibentur, quo minus fiant, quae tamen facta valent. Meo sane iudicio distinguendum est. Nam iure quidem diuino cauetur, ne illiteratus ad beneficium promouatur: eodem tamen iure ipsa impetratio beneficii nequaquam est irrita, & inanis, sed vel irrita fieri, vel beneficiarius a functione & administratione submoueri, aut liberari, & eximi, vel Vicarii seu adiutoris opera & ministerio subleuari debet. Ex quo fit, ut non idem iuris sit in episcopo, quod in Romano Pontifice. Nam si Episcopus, ut statim dicam, illiterato beneficium concedat, nullius est momenti quod fecit: at si Romanus Pontifex sciens concesserit, male quidem facit, sed impetratio, & adeptio beneficii valet: Dixi, sciens; quia si illiterato beneficium per ignorantiam contulerit; putans eum legitimam literaturam habere, cum nullam penitus habeat, impetratio suae adeptio beneficii irrita est, & inanis, quia tunc Pontif. non creditur iuris relaxationem vti, cum inscius beneficium illiterato dederit: quare necesse est, ut ius ipsum deuo scienter relaxet.

Quinto quaeritur, an Episc. auctoritate is, qui est penitus illiteratus, possit lege Canonica solui, & ad simplex aliquod beneficium promoveri? Respondeo, minime: Sic enim Innoc. in c. Cum in cunctis, de elect. & Archid. lo. And. & Geminianus c. ult. De temporibus ordinationum in 6. Rogabis, An is, quem breui speramus literatum fore, possit episcopi concessu ad beneficium prouehi? Innoc. Archidiaconus Hostien. Ioan. And. & Panor. docent locis supra citatis eum qui nihil penitus scit, non posse promoveri: at eum qui parum scit, sed creditur in literis profecturus, posse episcopi indulgentia ad minores Ordines eligi, & assumi: quod si nulla sit de profectu in literis spes, non posse, nisi tali Ecclesiae fuerit adscriptus, quae nunquam indigebit eius opera, aut sacris Ordinibus, aut nisi sit Monachus, qui potius indiget contemplatione, quam scientia c. Legi 16. q. 1. Haec illi auctores, qui tametsi expressim de beneficio nihil meminerint, videntur tamen insinuasle, eum ad beneficium simplex posse, sicut ad minores ordines promoveri.

Quares, an eum, qui parum scit, episcopus deligere queat sine vlla spe de profectu in literis faciendos, solum eo nomine quod ei dabitur vicarius, vel adiutor? Respondeo, minime: neque enim ea est iusta causa episcopo ius Canonico relaxandi: ac proinde impetratio non subsistit. Subsistere tamen a Romano Pontifice facta, quamuis in eo alloqui Pontifex peccaret, si nulla Ecclesiae necessitas, vel utilitas subesset.

Sexto quaeritur, An qui diuturno vsu ea nonit, quae necessaria sunt ad sui muneris functionem, assumi queat ad beneficium illi ordini annexum, quamuis Grammaticam, Latinam linguam ac literas nunquam didicerit? Respondeo posse: neque enim tam Grammaticae studio comparatae, quam prudentiae, & exercitationis eius muneris & officii ratio habenda est. Sic Abbas in c. 1. de atar. & qualis. ubi alios citat idem docentes.

Septimo quaeritur, An qui illiteratus ad beneficium promo-

promotus est, sit beneficio deiciendus? Respondeo distinguendo, si sit penitus illiteratus, eidem beneficium est abrogandum, sic Glossa, Archidiaconus, Philippus, Geminianus, & plerique alii. Si vero parum sciat, non omnino tamen sit literarum rudis, remouendus non est, sed ei Vicarius adhibendus, vel adiutor dandus: ut etiam Glossa, & Archidiaconus, & Geminianus docuerunt. Nec obstat quod habetur: in cap. Nunc autem, dist. 23. Et cap. Qualiter, 7. q. 1. Et c. Statuimus, dist. 87. Ea enim Decreta locum habent in eo qui est promovendus, cum tamen parum sciat: nec enim promovendi iure potest, non autem de eo, qui iam ante promotus est, qui quamvis parum sciat, beneficio privandus non est, sed Vicarii, vel adiutoris opera, & ministerio subleuandus.

Octavo quaeritur, An cum Clericus parum sciat, ardens in eo charitatis, & religionis studium, & morum ac vitae probitas, supplere queat idonea scientia, & literaturae defectum? Respondeo, posse: accedente tamen Antistitis indulgentia: cap. nisi cum pridem, de renuntiati. Olim id aliquando permissum fuit, ut testatur Glossa, in c. sollicitudo, 5. d. 51. Flavianus Episcopus Constantinop. Macedonium Anachoretam ad Sacerdotium promovit, qui vir erat literarum expertus, sed optima vitae, ut scribit Theodoretus in vita Macedonii.

Nono quaeritur: An qui est ad vnum beneficium promotus praemisso examine, possit ad aliud transferri beneficium citra aliud examen? Respondeo, distinguendo in primis: si ad beneficium superius sit promovendus, examinari eius scientia nihilominus deuo debet, quoniam literaturae, pro dignitatis maioris, vel minoris conditione, maior minorve requiritur. Item si ad simile beneficium promovetur, in Ecclesia tamen vel loco ampliori maiore aut nobiliori, vel celebriori, est etiam examinandus. Nam ut recte Abbas in cap. cum in cunctis, in principio, de electi. Et in cap. qualiter, eod. tit. sequens Innocentium annotavit, pro magnitudine, amplitudine, aut celebritate loci, maior, vel minor scientia in beneficiario est necessaria, verbi gratia, non tantum scientia requiritur in eo, qui praestit loco, vel Ecclesiae, ubi pauci commorantur, vel ubi rustici, & vulgares homines, quantum in eo, qui praestitit loco, ubi multi viuunt, vel ubi viri primarii, & insignes degere consueverunt. Praeterea, quamvis ad simile, & aequale beneficium similis loci, & Ecclesiae transferatur, examinari tamen debet, si in priori examine minus idonee, & apte respondit: aut si creditur, eum post examen se negligenter in studio literarum gessisse, & oblitum esse eius quod ante didicerat: aut si alii sint candidati, qui vna cum eo beneficium petunt: alioqui sufficit, eum semel esse examinatum, & approbatum. Hoc dicitur seruari stylo curiae Romanae.

Decimo quaeritur, Quae & quanta rerum scientia in Cardinalibus requiratur? Respondeo, indignum esse, ut illiterati ad Cardinalitium dignitatem eligantur: nam si Mosi Exod. 18. dixit Dominus: *Prouide de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas.* Quid dicturus sit Deus, de Cardinalibus, qui eliguntur, ut iudicent de causis totius reipublicae Christianae, quis non videat? *Magnis odio est illiteratus* ait Innocent. in cap. Cum nostris, de concess. praeb. quam homicida. *Mundus sine doctrina regi, & gubernari non potest.* C. ne fil. pro patre. *Per sapientiam reges regnant, principes imperant, & potentes iusta decernunt.* Proverb. 8. *Ecclesia plurimum literatis hominibus indiget.* c. cum ex eo, de electi. in 6. *Si caecus caecum duxerit, ambo in foueam cadent.* Non est rationi consentaneum, ut is, qui discere debet, alios doceat, & instruat. Cardinales inter causam & causam iudices sunt. cap. per venerabilem §. rationibus, qui filii sine legit. in labyrinthum erroris incidit, qui priusquam intelligat, animi sui sententiam explicat. c. sciendum, dist. 29. Temerarium est iudicium, quod ei, qui iudicat, non illi de quo iudicatur nocumentum affert. cap. Temerarium n. 9. Non sufficit, si Cardinalis literarum rudis, doctrinae, & sapientiae expertus in consultationibus ad aliorum suffragia accedat, aliorum sententiae adhaereat, nam in-

ter suffragia, & sententias aliorum iudicare sapienter non potest; & rationum momenta ponderare nequit.

Quanta doctrina requiratur, iure definitum non est, id Romani Pontificis iudicio relinquatur: ratio ipsa videtur innuere, Cardinales oportere esse, vel Theologiae, vel Canonici, vel Ciuilius iuris peritos, ut inter causam & causam discernant prudenter, & iudicent. Patres qui Concilio Basiliensi intererant, iudicabant sess. 23. Cardinales non esse eligendos nisi Magistros, vel Doctores seu Licentiatos cum rigore examinis in iure diuino, vel humano: Sit, inquit, *tertia, vel quarta pars de Magistris, vel Licentiatibus in sacra Scriptura.* Inter Cardinales autem esse aliqui poterunt admodum perillustres filii, fratres, aut nepotes regum seu magnorum principum, in quibus cum circumspiciatur, & maturitate morum competens literaturae sufficiat.

CAP. VII.

Quae morum, & vitae probitas iure communi in beneficiariis requiratur.

DE hac quaestione legendus est Ioannes Selua in tractatu de beneficiis p. 3. q. 2. Et 3. & Casar Lambertinus in tract. de iure patrona. Prima parte lib. 2. q. 9.

Primo quaeritur, An qui in iure dicitur Criminosus, sit beneficii capax? Sciendum est, in iure Canonico, non omne peccatum crimen appellari; nec omnem peccatorem, criminofum. Crimen igitur, primo fufus, ac latius sumitur pro eo etiam peccato, quod veniale appellatur. Ita dicitur: *Nemo sine crimine viuus.*

Secundo accipitur, pro quolibet lethali peccato. Sic sumitur ab Apostolo, dicente, Episcopus, Presbyterum, & Diaconum eligendum, debere sine crimine esse. cap. Apostolica. dist. 82. Et c. Vnum, dist. 25. apud Gratianum §. Nominem autem criminis, Et c. Illi qui, 6. quest. 1.

Tertio accipitur pro peccato lethali, quod ex scientia, & certa animi deliberatione committitur, apud Gratianum c. Vnum, dist. 25. §. Peccata quae ex ignorantia. Hac ratione non omne lethale peccatum dicitur crimen: ea enim lethalia peccata, quae per ignorantiam, imprudenciam, temeritatem, aut aliam quamvis infirmitatem naturae admittuntur, vocari solent leuia, non graua, & eatenus facillius dimittuntur, quatenus naturae quadam fragilitate sunt facta.

Quarto pressius adhuc & strictius accipitur pro peccato, quod notatur infamia, vel cui est irrogata excommunicatio, suspensio, interdictum, vel quod auctorem suum afficit irregularitate, vel dignum reddit qui ab ordine vel officio deiciatur, vel ob quod is qui peccat, in aliorum offensionem incurrit: & his tribus modis vltimis sumitur crimen in iure, cum dicitur, criminofum non esse ad beneficia, vel ordines promovendum, ut colligitur ex Glossa c. Vnum, dist. 25. Et ex Innoc. Hostiensis. Ioanne Andrea, & Pazornitano in c. Ex tenore literarum. De temporib. ordin.

Secundo quaeritur, An qui est vinculo excommunicationis obstrictus, aut irregularitate irretitus ad beneficium promoueri queat, ita ut sit beneficii capax? Respondeo, eos omnes, qui sunt excommunicationis, suspensionis ab officio, vel beneficio, interdicti sententia, vel vinculo, iure, vel ab homine illigati, non posse promoueri; nec eos etiam, qui sunt irregularitate affecti. Nam irregularis ad ordines prouehi iure non potest, nec item in ordinibus ante susceptis ministrare: quamobrem cum sit ab ordinis functione submotus, & beneficium propter officium conferatur, beneficii capax non est, irregularem beneficium capacem non esse probat Conat. in regula peccatum, p. 2. §. 8. n. 6. Et in c. alma mater, de sentent. excomm. in 6. par. 1. §. 7. nu. 1. ex Diuo in 1. reg. 1. de reg. iuris in 6. Et Innocent. in c. Cum nostris, de concess. praeb. Felino in c. 2. de rescript. Lambert. de iure patrona. lib. 2. p. 1. q. 9. nu. 4. ubi dicit hanc esse communem sententiam. Miles in reperi. in verbo. irregularis ut homicida. Paulus Paris. consil. 136. num. 40. lib. 4. Rebut. in tract.

de pacif.

de pacif. possit. num. 226. & id videtur colligi ex cap. dudum. 1. de elect. quidquid voluerit Francus in 1. reg. iur. in 6.

Excommunicatum non esse beneficiorum competentem constat ex cap. postulasit. de Cleric. excomm. & probat Couarru. in c. Alma mater. p. 1. § 7. num. 1. idem iuris est de suspensio ab ordine, officio, vel beneficio, & de interdicto: quia beneficium datur propter officium c. Cum secundum, de prob. c. r. de rescript. in 6. c. concessio. 12. q. 2. cap. Generaliter, 16. q. 1. At suspensus, vel interdictus officium sacrum exequi non potest.

Si quæras, an Episcopi indulgentia siue dispensatione concedi possit, ut excommunicatus, cui dum erat excommunicatus, collatum est beneficium, illud retineat post absolutionem ab excommunicatione? Respondet Glossa. cap. Postulasit, citato in verbo, dispensatum posse, dummodo absolutio impetretur ab eo, qui iure illam concedere queat. cum Glossa sentiunt Abbas, Ioan. Andreas & communiter omnes, ut ait Couarr. in c. Alma mater. p. 1. § 7. n. 8. quamuis, inquit, Henric. & alii contrarium docuerint. Ratio huius sententiæ est: quia quum ius commune dispensationem permittit, & eam Episcopo non denegat, is poterit dispensare, ut ait Innoc. in c. dilectis. de tempor. ordin. & sentiunt Abb. & Edin. in c. At si Clerici. §. de adulteris, de iudic. & colligitur ex c. nuper. de sent. excom. sed in prædicto cap. Postulasit, permittitur dispensatio, nec denegatur Episcopo, ergo is poterit dispensare.

Quid dicendum, si ius conferendi beneficium ad alium, quam episcopum pertinet, an possit episcopus dispensare ut retineat beneficium is qui erat excommunicatus, quando collatum est beneficium? Abbas in c. postulasit, citato dicit, posse episcopum dispensare. Couarr. loco citato non admittit sententiam Abbatis, nisi si, ad quem spectat ius conferendi beneficium, in dispensatione consentiat. Sed Abbatis sententia mihi placet, quoniam episcopus suo iure videtur dispensando.

Tertio quæritur, an infames possint ad beneficium promoveri? Respondeo, minime: cap. Et inter dilectos, de excess. Prælatorum, Quæres an etiam ii quos infamia ius civile notauit, tanquam infames iure Canonico à beneficiis repellantur? Respondeo, repelli; nam c. Infames 6. quæst. 1. dicitur ab Ecclesia repelli omnes, quos Ecclesiastica statuta vel Christianæ leges infames pronuntiant. Idem habetur in c. Omnes eadem causa & quæst. his verbis: Omnes vero infames esse dicimus, quos leges sæculi infames appellant.

Sed quinam, rogabit aliquis, infames civilibus legibus, & humanis habentur? Respondeo, in l. ff. De iis, qui notantur infamia, dicitur: Infamia notatur, qui ad exercitum ignominia causa, ab Imperatore, eoque, cui de ea re statuendi potestas fuerit, dimissus erit: qui artis ludicæ, pronuntiandiue causa in scenam prodierit: qui lenocinium fecerit: qui in iudicio publico, calumnia, per iurisdictionisve causa, quid fecisse iudicatus erit: qui furis vel bonorum raptorum, iniuriarum, de dolo malo, & fraude suo nomine damnatus pactusve erit. Qui pro socio, tutela, mandato, deposito, suo nomine, non contrario iudicio damnatus erit. Ac deinde in eadem lege ponuntur aliarum causarum, ex quibus infamia iure ipso irrogatur.

Alibi tamen crimina quoque percensentur quæ notabantur infamia, ut crimen expilatae hereditatis. l. si te expilasse, C. de iis, qui notantur infamia. & crimen sepulchri violati, l. ff. de sepulchro violato: & cum mulier, quæ per calumniam, possessionem adeptæ est tanquam grauida. l. Notatur, ff. de iis, qui notantur infamia. Alii tamen sunt, qui iure Canonico non civili infames habentur, ut dicemus.

Sciendum etiam est ex Glossa 6. quæst. 1. c. Omnes, Infamiam esse triplicem; vnam iuris, alteram facti, tertiam Canonice. Infamia iuris est, quæ contrahitur ex delicto, cui ipso iure est infamia irrogata. At teste Abbate in c. Olim de rescript. num. 9. & Bartolo, l. illius sustinuit, ff. De iis, qui notantur infamia, hæc infamia non surgit, nisi quis in iudicio criminis eodem demeratur: nec sufficit crimen esse notorium, vel euidentiæ facti, vel propria confessione ipsius

delinquentis in iudicio facta. Infamia facti est, cum quis delictum admittit, aut aliquid aliud facit ita manifesto, ut apud homines bonos & graues infamis habeatur.

Canonica infamia, ea est, quæ ex facto, vel delicto contrahitur, cui iure Canonico, non civili est infamia constituta. Porro iure Canonico infamia irrogatur omni peccato lethali. Nam in c. Illi qui, 6. q. 1. sic habetur: Illi qui in peccata perperant, de quibus Apostolus: Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur: valde cauendi sunt, & ad emendationem, si voluntarie venire noluerint, compellendi. quia infamia macula sunt aspersi, nisi eis sacrosancti auctoritate subuentum fuerit. Similiter & illi, de quibus ipse ait, Cum huiusmodi nec cibum sumere, quia infamia sunt notati antequam sacerdotali auctoritate eurentur, & gremio sanctæ matris Ecclesiæ redintegrentur.

Ceterum, infamia Canonica, ut ait Glossa in c. Illi qui citato, poenitentia penitus aboletur. Is vero qui infamis est à iure, in integrum non restituitur fame nisi auctoritate Principis, vel absolutione criminis ab eo iudice, vel superiore data, qui sententiam de criminis infamia tulerat.

Infamia facti non nisi per factum ipsum omnino tollitur. Quæres, quenam sint in vniuersum crimina, ex quibus infamia iuris, vel facti contrahitur? Respondeo; in c. Constitutum, 3. q. 5. dicitur: Ab accusatione, & testimonio repelli, quia infames sunt, homicidas, maleficos, fures, sacrilegos, raptores, adulteros, incestos, veneficos, periuros, & qui rapum fecerunt, vel qui falsum testimonium dixerunt, seu qui ad sortilegos, diuinisque concurrunt. Item c. Infames 6. q. 1. Infames vocantur omnes, qui Christianæ leges normam & statuta Ecclesiastica contemnunt: Sepulchrorum quoque violatores, & omnes qui aduersus patres armantur, & de bellis publicis fugientes, & qui indigna sibi petunt loca tenere, aut facultates Ecclesiæ auferunt iniuste: & qui fratres calumniantur, aut accusant, & non probant: Et qui contra innocentes, Principum animam ad iracundiam prouocant, hoc est, delatores, & omnes anathematizati, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia repulsi: Sicubi.

Denique, ut summam perstringam, omnes, qui iure sunt ex delicto, vel facto infames, sunt qui sequuntur: Fidei, & Christianæ religionis delatores, qui dicuntur Apostatae: Fures & raptores: Contemptores Ecclesiasticorum Canonum: qui aduersus Ecclesiasticos arma capiunt: Homicidas, Periuri, hoc est, qui fidem datam, vel promissionem violant, vel in iudicio mendacium iureiurando confirmant: qui adulterium, stuprum, raptum virginum, incestum, & alia grauiora luxuriæ crimina admittunt; Malefici, Venefici, Militiæ desertores, Hæretici: Fautores, Receptatores, Defensoresque Hæreticorum, & eis credentes: & eis fauentes: Schismatici, Blasphemi, siue Maledici, Vsurarii: qui simoniam in beneficiis, vel ordinibus conferendis, vel recipiendis admittunt: Duellum offerentes, vel oblatum ab aliis admittentes: qui calumniantur, aut accusant: cum tamen crimen factum esse non probent.

Item infamis est, qui duxit uxorem vilem & abiectam, vel meretricem, vel reiectam & repudiatam, ioculatoricem, saltatricem, scenicam, ancillam, concubinam. cap. Si quis viduam. 6. q. 6.

Item habetur in famis, qui artem aliquam vilem, abiectam, vel ignominiosam proficitur, & publice exercet: vel qui officio vili fungitur, quales sunt Mimi, Histriones, Scenici, Ioculatores, Lenones, Carnifices, Lictores, Macellarij, Tabernarij, Cauponarij, Aurigæ, & alij similes, Aleatores itidem, & condemnati ob dolum & fraudem in tutela, mandato, deposito, & pro socio: Item Tutor, vel Curator, qui pupillam sibi, vel filio matrimonio iunctam, Clerici item, qui publice cum scorto rem habent.

Quarto quæritur, Quæ sint Clericorum crimina, quæ iure poenæ suspensionis merentur? Respondeo ex Innocentio, Hostien. Ioan. Andrea, Abbate, & Antonio in c. At si Clerici, de iudicis, esse ea crimina, ex quibus aliquis notatur infamia, vel de quibus est apud iudicem accusatus, vel

caus crimina sunt iudici denuntiata, vel ob quæ in ea a iudice inquiritur, quamdiu accusatio, denuntiatio, inquisitio in iudicio pendet, *cap. ult. De testibus, c. Omnipotens. De accusatiõ. c. Si quis presbyter. de purgat. Canonica.*

Cæterum animaduertendum est, quodcumque alicui est iniusta infamie nota, eo quod eius crimen per accusationem, vel denuntiationem, sit ad iudicem delatum, vel propterea quod in ipsum iudex inquirat: tota infamia aboletur, si is apud iudicem sese Canonice purgauerit: & quando crimen est graue, aut alios offendit, statim iudex accusatum, suspectum, vel infamatum potest ab officio remouere, iuxta Panormitanum in *cap. Inter, de purgat. Canonica.* Secus quando non est ita graue, vel aliorum offensionem non gignit: videntur docet Panormitanus in *cap. Si quis. cod. tit.*

Quinto quaeritur, Quidnam de presbytero, vel diacono, aut subdiacono notorio concubinario iura decreuerint, an sine ipso iure suspensi? Quidam, vt Ioan. Lignanus & Cardinalis, teste Panormitano in *c. vestra. num. 7. de tababit. cleric. & mulierum* sentierunt, non esse iure suspensos: quoniam in *c. Si qui. dist. 32.* solum statuitur, vt nullus eorum ministeris & officis intersit; non autem, vt ipsi à sacris abstineant: sicut si præceptum nobis daretur, ne doctorem aliquem publice docentem audiremus, non propterea ipse docere prohiberetur. Cæterum probabilius est Panormitam sententiam, eos esse iure ab officio submotos, Nam in *c. Præter hos. dist. 32.* dicitur: *Præcipimus, vt Missas presbyter non canet; Diaconus Euangelium non legit; Subdiaconus Epistolam non canet ad Missas.* Et *cap. Si qui. dist. 31.* præcipitur eidem presbyteris, diaconis & subdiaconis, vt se abstineant ab ingressu in Ecclesiam, donec eos sui peccati pœniteat. Sed hæc locum habent in iis, qui sunt concubinarum notorii, vel per sententiam iudicis, vel per propriam ipsorum confessionem in iudicio factam, vel per euidenciam facti, quod celati, ac negari nulla ratione potest. Vt cum presbyter domi suæ publice concubinam habet, & cum ea ad mensam comedit, & filios domi nutrit. Quærat quispiam, An hos clericos concubinarum notorios per euidenciam facti, cæteri ante legitimam admonitionem vitare debeant in sacramentis, & omnibus diuinis officiis? Respondeo, distinguendo: olim iure communi eos denotare cæteri cogebantur, vt in alio loco diximus; At post Concilium Constantiense excommunicatus, suspensus, aut interdictus vitari non debet, nisi qui est, vel notorius clericus percussor, vel nominatim denuntiatus: Quærat itidem aliquis: An si huiusmodi clerici notorii concubinarum ante peractam pœnitenciam sese diuinis officiis, aut sacramentis intrudant, irregulares fiant? Innocentius, Ioan. Lignanus & Cardinalis negant, quoniam credunt eos non esse ipso iure suspensos. Verum affirmant eos irregularitatem contrahere, quoniam sine iure suspensi, nec eos sui peccati pœniteat. Nam peracta pœnitentia in integrum famæ restituntur, & suo munere, & officio fungi queunt, & in integrum restituti, beneficiorum sunt composites.

Sexto quaeritur, An idem iuris sit de cæteris notoriis horum clericorum lethalibus criminibus, quod de notorio concubinato? Respondeo minime. Nam Concubinarum statim, vt est notorius, ab officio iure communi submouetur citra vllam aliam admonitionem: ac cæteri criminosi, non item, nisi prius fuerint admoniti & admonitioni parere renuerint. Et hoc est, quod in iure dicitur: infames esse Ecclesiasticorum statutorum contemptores? hoc est, qui admoniti, & non correcti negligunt. Contemptio enim iure minime censetur, nisi cum quis admonitus recusat parere. Et illud etiam, cum dicitur: infames esse, quotquot sunt capitalibus criminibus obstricti, eodem modo intelligitur, ita vt infames habentur ij, qui in lethale peccatum lapsi, admoniti officio iudicis, non resipiscunt.

Septimo quaeritur, An qui excommunicationis minoris vinculo obstringitur, ad beneficium sciens promoueri

queat. Et; An impetratio beneficii in eo vires, & locum habeat? Aiunt nonnulli, ei quidem beneficium conferri fas non esse: sed beneficii tamen adeptione valere. Nam in *cap. Si celebrat, de clericis excommunicato ministrante*, dicitur: *Si eligatur, electio eius est irritanda.* At Glossa, Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Cardinalis, & Panormitanus in eodem *cap. Si celebrat*, sentiunt esse irritam, & inanem. Et ibidem ratio redditur: eo quod excommunicationis minoris vinculo illigatus sacramenta percipere iure nequit: at is qui ad beneficium promouetur, ratione sui muneris, & officii non solum debet sacramenta tractare, sed etiam suscipere. Id vero quod adfertur ex *cap. Si celebrat, electio est irritanda*: supradicti doctores ita interpretantur: declaranda est, irrita & inanis.

Quæres, An si per ignorantiam iustam atque probabilem, beneficium Clericus excommunicationis minoris sententia ligatus assequatur, adeptio subsistat? Quidam affirmant, eo quod in *cap. Si celebrat*, dicitur: *electio scienter facta, est irritanda.* Sed verius est quod cæteri passim docent: irritam esse. Siquidem excommunicatus, beneficii compos non est: Beneficium enim propter officium datur, *capit. ult. De script. in 6.* at minoris excommunicationis vinculo obstrictus, percipere sacramenta non potest. Ergo siue sciens, siue ignorans ad beneficium promouetur, promotio nullius est momenti, quoniam qui beneficii capax non est, id sibi collatum non acquirit.

Octauo quaeritur, An cum dicitur, nullam esse beneficii concessionem, siue collationem, vt vocant, cum excommunicatus beneficium consequitur, etiam nomine collationis intelligatur, quælibet beneficii impetratio, & quoduis ius ad beneficium? Respondeo, intelligi, vt docet Couarr. in *cap. Alma mater. part. 1. §. 7. num. 1. 2. & seq.* siue enim excommunicatus nominetur, designetur, præsentetur, & offeratur à Patrono, siue auctoritate superioris instituat, siue clericorum suffragiis eligatur, siue postuletur, nominatio, præsentatio, designatio, institutio, electio, postulatio, irrita est, & inanis.

Item, hæc omnia locum habent in omni excommunicato, siue occulto, siue publico, denuntiato, siue secus: à iure, siue ab homine, vt dicit Couarr. loco citato. Item, siue ipse sciat, siue ignoret se esse vinculo excommunicationis obstrictum, vt est communis sententia, teste Couarruua, in *cap. prædicto, Alma mater, de senten. excommu. in 6. n. 3.*

Præterea, si excommunicatus suum beneficium cum alio commutet, nullius est momenti permutatio, vt ait idem Couarr. loco prædicto. num. 2. is enim qui suum beneficium, cum alio permutat, suo se abdicat, & alterum acquirit. Si excommunicatus itidem literarum Apostolicarum gratiam ad beneficium obtinendum impetret, impetratio non subsistit. Couarr. eodem loco. num. 2.

Nono quaeritur, Quid sit dicendum, si Titio absenti collatum fuerit beneficium, antequam vilo vinculo excommunicationis teneatur: & postea vinculo excommunicationis adstrictus, illud sibi iam ante collatum ratum & acceptum habet, huiusmodi ne collatio valebit? Dæ sunt opiniones, Prima negat, quia cum excommunicatus eligi & promoueri ad beneficium non possit, sequitur vt beneficium ratum & acceptum habere nequeat: quoniam cum aliquid denegatur, id quoque denegatum esse videtur, per quod deuenitur ad illud. sic Cardinalis, Felin. & alii apud Couarruuiam in *cap. Alma mater. part. 1. §. 7. n. 4.* & quia is, qui beneficium sibi collatum concessit, in ea concessione acceptam eam habendo, iuris acquisitionem inducere videtur.

Secunda opinio affirmat, quam sequitur ipse Couarruuias vna cum aliis, quos idem auctor loco prædicto citat, scilicet Decisiones Rotæ, Rebuffum, Ioannem Seluam, Gomeium, qui quidem eo argumento permouentur, quod ratum & acceptum habere beneficium, non est res iuris, sed facti. Item assensum præbere, non est ius acquirere, sed ius ante iam datum & acquisitum, ratum & acceptum habere. Magis mihi hæc sententia probatur.

Decimo

Decimo queritur, An si Titius excommunicatus, Beneficium sibi ante excommunicationem collati possessionem apprehendat, ea possessionis adeptio valeat? Respondet, valere. Ita Panormitanus, & Ioann. Selua, quos citat Couarruias loco prefato, num. 4. quia apprehensio est res facti, non iuris. Idem profus dicendum est, quando is, qui est excommunicatus, alium in Beneficium possessionem mittit; aut quando Canonicus excommunicationis vinculo ligatus, admittit alium ad Canonatum ante iam electum suffragis clericorum, & superioris auctoritate confirmatum. Hæc enim in possessionem missio, & in Canonatum receptio, in facto, non in iure consistit.

Vndecimo queritur, An si clericus quo tempore ad Ecclesiam aliquam præfecturam eligitur, crimine, hoc est, lethali peccato obstrictus teneatur, adeptio Beneficii valeat? Hanc questionem tractavit Abbas c. Dudum, 2. De elect. num. 24. ubi dicit varias esse Doctorum sententias, ita ut diiudicari nequeat quæ sit cæteris communior; & intricatam, ac perplexam esse questionem. Eam tandem sic ipse definit; nullam esse adeptionem, si quo tempore quis ad præfecturam promouetur, crimine, hoc est, peccato lethali, obstringitur. Quia, inquit, dum in eo peccato persistit, sacra tractare iure prohibetur. Ob id enim in cap. Si celebrat, de clerico excommunicato ministrans, qui minori excommunicationi subiectus est, eligi ad beneficium non potest, quia à sacramentis, & diuinis officiis submouetur. Item quia cap. 1. dist. 81. dicitur, secundum Apostolum, eum, qui presbyter, episcopus, vel diaconus creatur, sine crimine esse debere. Et crimen ibi pro lethali peccato sumitur, vt Glossa ibi annotauit. Et in cap. Archidiaconum Florentinum, dist. 85. crimen vocatur lethale peccatum, & statuitur, ne qui timere iurauit se episcopum non futurum, in episcopum eligatur.

Deinde subiungit idem Panormitanus: Si quo tempore quis eligitur, per penitentiam iam ante resipuerat; tunc aut illud crimen fuerat notorium, & electio non valet, si fiat ante quam Principis beneficium ab eo absoluaatur: est enim ab officio iure suspensus ob crimen notorium, [cap. vlt. de tempor. ordinationum: aut manifestum non fuerat, & tunc aut est crimen ab ordinis functione submouens etiam post penitentiam peractam, quale est omne crimen irregularitatis suam auctorem efficiens, & electio nullius est momenti: aut nullam irregularitatem inducit vel inhabilitatem, & tunc electio rata est, & firma, quia eligitur is qui sine crimine est: per penitentiam enim definit esse criminofus.] Hæc Panormitanus eo quem supra citauit loco, eademque repetit in cap. Si celebrat, de clerico excommunicato, num. 6. & cap. Sicut nostris, de iur. iuran. num. 3. & eadem ad verbum ex Abbate desumptis Ioannes Selua tract. De beneficio, tertia part. quest. 2. num. 10. & seq.

Cæterum Ioan. Maior in quarto dist. 44. quest. vltim. reprehendit grauius hanc opinionem, dicens intolabilem esse, vt pote secundum quam de quorumlibet Parochorum, Episcoporum, & aliorum etiam electione merito dubitare possemus. Deinde quia alioqui omne lethale peccatum etiam interno mentis affectu commissum, electionem irritam faceret: & crimina occultissima impedirent omnino, quo minus electiones factæ valerent. Vnde Nauarrus in cap. Si quando, de rescr. except. 17. num. 3. & seq. & Tract. de Oratione, Miscellanea 39. contra Panormitanum censet adeptionem beneficium subsistere etiam si is qui eligitur lethali peccato infectus sit, nisi crimen illud excommunicatione, suspensione, vel interdicto vel irregularitate affectum fuerit, vel infamia notatum, vel ad iudicem per accusationem, denuntiationem, vel per inquisitionem delatum.

Quicquid de Panormitani sententia sentire quis velit; probabilis est, id quod docuit Nauarrus locis supra citatis. Nam nullus est Canon, quo sit constitutum, irritam esse adeptionem beneficium cum quis lethali peccato interno, vel externo, sed occulto pollutus beneficium impetrat, & assequitur. Et quamuis dum in eo peccato persistit, ad sa-

cramenta accedere nequeat ea conferendo, vel suscipiendo, & ideo ab officio coram Deo remotus esse dicatur, nihilominus tamen potest per veram cordis penitentiam ab eo peccato mundari.

Duodecimo queritur, Quæ crimina digna sint ea pena, quam ius Canonicum depositionem appellat? Hanc quoque questionem tractauit Panormitanus in cap. At si clericus, de iudicis, ubi testatur duas esse in hac questione Glossas; vnam in cap. 1. dist. 81. alteram, in summa 15. quest. 8. quibus in locis ait Glossa duas esse opiniones; nam asserent unam, omne crimen clericus depositionem mereri, nisi fuerit iure exceptum; alteram, dicentem, nullum crimen esse depositione dignum, nisi fuerit in iure expressum: quæ quidem opinio, ait Glossa, est mitior, & æquior. Hostiensis, Ioan. Andreas, Panormitanus, Antonius, Ancharanus, & cæteri sentiunt cum Glossa, Clericum non esse ab officio deiciendum, nisi ob crimen graue: id autem deducunt ex cap. Tunc, De penis, & cap. Innocentium 16. quest. 7.

Sciendum est; Depositionem esse penam, qua Clericus in perpetuum ab officio submouetur: suspensionem vero penam qua ab officio ad tempus repellitur.

Teste igitur Abbate, antiqui Canones, facile depositionis penam peccantibus Clericis irrogabant. Vnde cap. Fraternalis, dist. 34. dicitur: Quia de factis nostris temporibus, quibus non solum merita, sed corpora ipsa hominum desecrant, distinctionis illius non patitur manere censuram. Et Goffredus in summa. De cohabitatis. Clericorum, & mulierum, ait: Omne crimen Clerici lethale, iuris rigore depositionem meretur cap. Si Episcopus, dist. 50. Si diaconus, dist. 21. in quibus locis sic habetur: Si diaconus, vel presbyter crimen capitale commiserit, simul & ab officio, & à communione pellatur. At ex æquo, inquit Goffredus, & lino, Clericus ab officio non abicitur perpetuo, nisi ob crimen graue.

Antonius autem, Panormitanus ac cæteri, quæ sint crimina grauiora, explicant; Primum quidem est omne crimen, quod corrigere & emendare post admoitionem Clericus recusat. c. Cum non ab homine, de iudicis: nec tamen sufficit vna tantum admonitio, & Clerici contumacia, sed trina sit oportet, vt Glossa notauit in cap. 1. dist. 81. quod colligit ex c. Licet, dist. 45. & c. Honoratus, dist. 74.

Secundo est, omne crimen quod irregularitatem suam auctorem afficit. Glossa in c. Nisi eum pridem, vrb. Dimittas, de renuntiatio. Innocentius in cap. Cum nostris, de concess. prabend.

Tertio; est omne crimen publicum ex quo Clericus in aliorum offensionem incurrit: 30. quest. 1. cap. Non debes, ad finem.

Quarto, omne crimen, quod diu, & frequenter Clericus committit. cap. Presbyter, dist. 32.

Quinto; Omne crimen, quod notatur iuris infamia. Abb. in c. At si clericus, de iudicis.

Sexto; est crimen, quod maxime graue censetur, vt est crimen hæresis, læsæ maiestatis, proditiæ reipublicæ, expulsi hæreditatis, Simonia & ambitus, Periurii, Auctoris contra naturam libidinis, latrocinii, falsi.

XIII. queritur, An clericus in fact. ord. constitutus, ob fornicationem mereatur depositionem? Abbas in cap. At si clericus, de iudic. ait Iura & Glossas hac de re, varia tradidisse. Nam in cap. Presbyter, dist. 81. ex Apostolorum Canonibus Presbyter, vel Diaconi in fornicatione, vel furto, vel periurio, vel homicidio deprehensus deponitur. At oppositum constitui videtur in cap. Presbyter, dist. 82. & in Glossa ibi. Et in cap. Lator, 11. q. 3. & c. Maximianus, dist. 81. & Goffredus, & alii quos refert Selua, sentiunt, ob fornicationem olim deponi solitos; sed nostris temporibus, non nisi ob fornicationem notoriam, & alios offendentem, vel frequenter, & diu continuatam: ob quam Clericus quidam ab officio & beneficio suspenditur, in c. Quam sit, de excess. pralat. Tradunt etiam supradicti auctores, Clericum hoc etiam à nostro tempore, merito esse deponendum, si eius fornicatio infecta sit aliis criminum grauitatibus:

De hac
quest.
10. Sel.
De be-
nef. pa-
143.
u. 5. &
seq.

tibus:

tibus: ut si Clericus rem habeat cum consanguinea, vel cum Virgine Deo sacra, vel cum foemina nupta, vel cum puella virgine etiam non sacra: vel si Clericus Episcopalem sit dignitatem adeptus, vel si ter admonitus, minime respiciat & pareat. Ioannes Imola, in c. *¶ Clericorum. De vita & honestate Cleric. a* sententiam esse communi consensu receptam; Clericum ob simplicem fornicationem huius temporibus minime depositionem mereri; sed tantum ab officio & Beneficio removendum ad tempus, si monitus obedire noluerit. Idem sentiunt Felinus, Decius, & Antonius in c. *¶ At si Clerici, de Iudicijs*, Abbas etiam, & Cardinalis, & Ioannes Anania, quos citat Ioan. Selua *tratt. De beneficijs part. 3. q. 3. nu. 6.*

Quidam tamen in c. *¶ At si Clerici, de Iudicijs* consensent, non solum iure antiquo, sed etiam nouo depositionem mereri. Quod reuera illi deducunt ex c. *Amulsi, de etate & qualitate ordi. c. Erubescant di. 32.* quae sunt decreta Innoc. II. & Urbani II. Caeterum Abbas opinio, quia communi consensu recepta, mihi magis placet, & quia mitior & benignior est in poenis.

Sed dubia & incerta quaestio est, An Clerici in Sacris ordinibus constituti cum scorto, hoc est, cum foemina omni vinculo soluta, concubitus, tantummodo simplex fornicatio sit, An vero sacrilega libido? Duae sunt sententiae quas refert Iulius Clarus, *lib. 5. sententiarum receptarum §. Fornicatio, nu. 16.* Vna est aliterentium, esse simplicem fornicationem ex c. *Quia circa, de Bigamis*, ubi simplex fornicatio vocatur, & c. *Presbyter dist. 31. c. Presbyt. dist. 72.* dicitur, fornicatio. Altera est opinio dicentium, eiusmodi congressum esse sacrilegum crimen, quia Clerici modi Ordinibus initiati promittunt Deo se castitatem seruaturus. Hanc ego opinionem magis probo, & amplector. At eos, dicit quispiam, votum Castitatis non facere sed tantummodo lege Ecclesiastica castitatem debere seruare, quod aiunt primae opinionis auctores. Respondeo: votum quidem Castitatis ab huiusmodi in Clericis expressum non fieri, ut fit ab ijs, qui Religiose vitae regulam solemniter profitentur; sed tacite, & implicite, quoniam sponte sacrum Ordinem suscipiunt, cui, Ecclesia statuto, est votum Castitatis coniunctum: ac propterea dicit Clerici sacrilegium admittunt, quando cum, cum scorto rem habent. Deinde obijcies, Leges & iura, horum Clericorum cum scorto complexum, simplicem fornicationem vocare: Respondeo, sic vocare, ut Clericorum complexum cum foemina omnino distinguant. Aut enim rem habent cum foemina nupta, & est adulterium; aut cum consanguinea, qui est incestus: aut cum virgine Deo sacra, quod est sacrilegium, aut cum virgine puella, nullo tamen voto adstricta, & est stuprum. Quare cum est Clerici concubitus cum foemina omni alio legis & iuris vinculo soluta, communi vocabulo Fornicationem, Canones & iura appellarunt: aliquando enim species, generis nomen commune retinet. Glossa in c. *Per venerabilem Qui filij sui legitimi. verb. Adulterinis*, ait filios Presbyterorum esse adulterinos: Quia Presbyteri, inquit, cum fornicantur, adulterantur, cum sint quasi mariti Ecclesiarum. *Dist. 36. c. Conomanensem.* Vnde Abbas ibidem *nu. 32.* tradit tales filios dici natos ex damnato coitu, & tanquam tales excludendos esse ab hereditate parentum, tum matris, tum patris sui. Id quod habetur in *Aush. ex complexu, c. De incestu nupt.* Et idem, inquit, dicendum est de filijs aliorum Clericorum, qui sunt sacris ordinibus initiati iuxta Glossam in l. 2. *c. de Episc. & Cler. Sicetiani Couarru. De Sponsal. par. 2. ca. 3. §. 5. n. 17.* ubi censet, hunc Clerici cum foemina complexum esse damnatum iure Canonico, & id probat multorum testimonio.

Decimo tertio quaeritur, An si Presbyter cognoscat filiam spiritualem, cuius sacram confessionem audiuit, crimen admittat depositione dignum? In hoc omnes conveniunt, esse incestus crimen: ac proinde depositionem mereri, si Presbyter cum filia spirituali rem habeat. Nam teste Panorm. in cap. *ult. de purgatio. Canon. nu. 4.* grauissime

peccat Sacerdos filiam spiritualem cognoscens: nam Ecclesia aliquando criminibus contra cognationem naturalem admittit, veniam & indulgentiam concedit; patris vero contra cognationem spiritualem, non item.

Verum illud quaestio est dubia, Quamnam hac in parte, spiritualis filiae nomine sit accipienda? Felin. in c. *¶ At si Cleri. de Iudicijs, & Ioan. Selua. De Benef. p. 3. q. 3. nu. 16.* filiam spiritualem accipiunt eam, quae est ex Parochia ipsius Presbyteri, ac proinde omnes foeminae ditioni episcopi subiectae, ipsius Episcopi sunt filiae spirituales: quoniam Episcopus vel Parochus dicitur quasi sponsus suae ecclesiae; caeterum alij filiam spiritualem intelligunt, quam Sacerdos, vel baptisate abluit, vel ex sacro fonte suscepit: ac proinde docent esse incestum, & depositione dignum cum Sacerdotem, qui rem habet cum huiusmodi foemina, vel cum eius matre, non tamen si cum ea, cuius tantummodo, sacram confessionem audiuit, vel cui Eucharistiae Sacramentum ministravit. At contra hoc facit, quod dicitur in c. *Non debet, 30. q. 5. Non debet Episc. aut Presb. commiseri cum mulierib. quae ei sua fuerint confessa peccata: si forte (quod absit) hoc contigerit sic poeniteat, quomodo de filia spirituali.* & c. Omnes eadem causa; & quaestione dicitur: *Omnes quos in poenitentia suscipimus, ita nostri sunt spirituales filij, ut & ipsi, quos vel nobis suscipientibus, vel sub trina mersionis vocabulo mergentibus, vnda sacri Baptisatis regenerant.* Dicendum itaque est, siue incestus sit, siue non, Sacerdotis concubitus cum foemina cuius sacram Confessionem excepit, eiusmodi Sacerdotem depositionem mereri, quando tale crimen notorium est. Nam c. *Non debet, ante citato*, aperte decernitur: *Si episcopus, aut Presbyter commiserit cum mulierib. quae ei sua fuerint confessa peccata: episcopus annos quindecim, & Presbyter duodecim poeniteat, & deponatur, si in notitiam populi crimen deuenerit. Haec ibi.*

XIV. quaeritur, An episcopus concedere queat facultatem Clerico criminoso, ut ad Beneficium eligatur, vel in Beneficio ante suscepto deseruiat? Respondeo, idem esse iuris de Cler. crim. ad Beneficia eligendis, quod de eisdem ad Ord. promouend. At in d. c. *¶ At si Cle. §. De adulterijs*, aperte episcopo, conceditur facultas his verbis: *De aduersarij vero & alij criminibus, quae sunt minora, potest Episcopus cum Cler. post poenitentiam poenitentiam dispensare.* Sic eo loco. Ergo adultero, aut scortatori Clerico si respuerint, potest episcopus concedere, ut ad Beneficia promoueantur, & in sacris etiam Ordinibus ministrent. Sed merito quis in dubium vocet. An in crim. adulterio grauioribus possit Episcopus legem Canonicam relaxare? Quidam negant per motu argumento a contrario sensu. Nam in criminibus adulterio minoribus datur facultas, qua possit Clericos lege soluere, ergo in maioribus omnino facultas denegatur. Verum his plane repugnat, quod habetur in c. *¶ Si quis Presbyt. dist. 30.* ubi Diacono, Presby. & Subd. sacrilego episcopo, potest indulgere. Sic enim ibi dicitur: *Si quis Presb. aut Subd. inuentus fuerit aliquid de ministerijs Ecclesiae venundasse, quia sacrilegium commisit, placuit eum in ordinem Ecclesiae non haberi: in iudicio tamen Episcopi dimittendus est, si in suo debeat recipi gradu.* & c. Presbyteros eadem dist. habetur: *Presbyteros qui immolauerunt, & postea iterum certamen interunt: si ex fide luctati sunt, & non ex compactione ostentationem, hoc placuit honorem quidem sedis propria retinere. Et Diaconi similiter qui immolauerunt, & postea luctati sunt, honorem habere, utriusque, tamen ab omni sacro ministerio: nisi forte aliqui Episcoporum consilij laboris eorum, & humilitatis & mansuetudinis, voluerint eis amplius tribuere, penes ipsos de his potestas.* Item c. *¶ Virginit. c. Si qua virgo, c. Si quis sacro: conceditur Episcopo, ut Clerico incestu committenti, veniam dare queat. Nam in his Capitibus statuitur, ut si quis Clericus, Monachus, vel alius, incesta foedera & sacrilega cum virgine Deo sacra miscuerit, Episcopi indulgentia lege Canonica solui & eximi queat. Rursus cap. *Sano, de Clericis coniugatis*, [Sacerdotes qui incestas & sacrilegas nuptias contrahunt, post longam poenitentiam, & vitam laudabilem continentes, officio*

restitui possunt, & ex indulg. sui Episcopi, eius executionem habere. Item c. 1. de Cler. pugnantis in duello: Si Cler. inquit, alicui sponte duellum obtulerit, vel oblatum susceperit, rigore iuris est merito deponendus. Sed quantumcunque eius in hoc grauis sit excessus, euadere potest depositionis poenam, si cum ipso ius Episcopus duxerit misericorditer dispensandum: dummodo ex ipso duello homicidium, vel membri diminutio secuta non sit. At hæc singula per se crimina sunt adulterio peiora. Quate quidam alij sentiunt, in maioribus etiam criminibus posse Episcopum legem Canoniam mitigare, nisi expressim prohibeatur. Sed longe verius est, quod Glossa & Ioan. Andreas, Antonius, Ancharanus, & Panor. tradiderunt. in cap. At si Clerici de Iudicij, nimirum, in maioribus criminibus Episcopum indulgere non posse, nisi id ei expressim alioqui iura concesserint.

Decimo quinto quaeritur, An in minoribus adulterio criminibus liceat Episcopo legem relaxare post sententiam, quia Clericus est de crimine conuictus? Quidam negant, eo, quod post condemnationem criminis, Clericus est infamis, ac famæ quempiam restituere, solius est Principis, ut colligitur ex ca. Cum te. De sententia & re iud. § ex l. 1. §. De qua. ff. De post. vbi habetur, restitutionem in integrum esse Principis, vel Senatus, non Prætoris. Probabilior tamen est Abbatis sententia, in c. At si Clerici de Iudicij. §. Additio 3. in hac parte Episcopum posse Clericum famæ restituere, quoniam non directo, sed indirecto restituit: nam cum in eo, quod eius concedit, vt in minoribus criminibus legem relaxare queat intelligitur quodque concessum, vt famæ restituere possit, alioqui enim si hoc illi denegaretur, frustra videtur ei data potestas mitigandi legem: nec enim huiusmodi facultas conceditur, nisi quando hoc crimen notorium est, vel sententia Iudicis, vel propria Clerici confessione in iudicio, aut quando operis euidencia Clericus incurrit infamiam.

Decimo sexto quaeritur, An si Episcopus ob crimina adulterio minorata, Clericum ab ordine, vel officio, aut Beneficio deiecerit, possit eum iterum restituere? Quod est quaerere? An postquam sententia lata, poenam depositionis Clerico irrogauit, ei veniam dare queat, & ad officium pristinum reuocare? Nonnulli negant eum posse. Verum Abbatis sententia mihi magis placet, id affirmans cum Archi. in c. 1. §. q. 1. Et Ancha. c. At si Clerici. De iudicij. Nam vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus: sed ius in c. At si Clerici, generatim id potestatis Episcopo concedit, ergo non est cur distinguamus: dicendo, ante depositionis poenam irrogatam Clerico, id iuris Episcopo habere, postea vero non item.

Decimo septimo quaeritur, An clericus notorie criminiosus, si ante veniam sibi ab Episcopo datam, se ingerat sacris, denuo aliam contrahat irregularitatem? Dux sunt opiniones; Vna affirmantium, quam sequitur Panor. in ca. Si celebrat. De cler. excom. caq; videtur esse communi consensu recepta; Altera est negantium, quam probant Innoc. Ioan. Andr. Imola, & quidam alij; quibus Nauar. ait se libenter subscribere, in c. Si quando. De rescrip. excep. 17. m. 8. propterea quod communis sit omnium opinio, cum qui ob defectum aliquem est irregularis, denuo irregularitate non affici, intrudendo se sacris ante indulgentiam obtentam, vt si spurius, vel corpore vitiat, hoc est, aliquo corporis membro carens se ingerat sacris. Ait enim Archidiaconus teste eodem Nauario, Innocentium securus, morem esse Curie receptum, vt cum alicui gratia conceditur, vt possit ad Ordines, & ad Beneficia promoueri, quamuis legitimis non sit ortus natalibus, aut sit membri alicuius expertus, nulla mentio fiat de irregularitate, in qua incidit, quod sacra tractauerit. hæc opinio magis ardet, quia in poenis benignior, & mitior est.

Decimo octauo quaeritur, Quomodo intelligantur ea, quæ Paulus requirit in Episcopo, Presbytero, vel Diacono? Respondeo, Paulum eum velle eligi Episcopum, Presbyterum vel Diaconum, qui sit ἁγιος, id est, vigilans; ἁγρός, id est, sobrius, κόσμιος, id est, modestus, φ-

λόγιος, id est, hospitalis; μετῴπιος, id est, non vino delectus; μη ἀκακῆς, id est, non percussor; μη ἀφιλάργος, id est, non turpis lucri cupidus; ἀμωχός, id est, a pugna, & contentione alienus: ἀφιλόζητος, id est, pecunie non amicus; μη αὐθάδης, id est, non iuperbus, nec praefractus; μη ἐργαλός, id est, non iracundus. Φιλάνθρωπος, id est, bonarum rerum studiosus; ἡγιός, id est, iustus: ἁγός, id est, pius sine sanctus; ἁγρός, id est, temperans.

Ex dictis perspicitur, quanta & quam insignis morum, ac vitæ sanctitas in Cardinalibus requiratur, qui ad tantam dignitatem euehantur, vt sint Christi Vicario à consiliis in arduis totius Ecclesie negotijs agendis expedientiæ Baldus in l. 1. ff. De offic. Præf. Prætoris, docet titia in eo requiri, qui ad id muneris, & officij deliquit: industriam singularem; Fidem exploratam, & morum maximam grauiterant. Sanctus Bernardus libro primo de Consecratione ad Eugenium, quales oporteat esse Cardinales insinuat, cum alloquens, sic ait: Itaque nec volentes, nec currentes assumimus: sed cunctantes, sed reuocantes etiam cogit, compelle illos intrare. In talibus, vt opinor, requiescet spiritus tuus, qui non sine acria fronte, sed verecundi sed timorati, præter Deum nihil timeant, nihil sperent, nisi in Deo: qui aduentantium non minus attendant, sed ne cessent: Qui sent viriliter pro afflicto, & iudicent in aqua ac pro manibus terra. Qui sint compositi ad mores, proxi ad sanctimoniam, parati ad obedientiam, mites ad patientiam, subiecti ad disciplinam, rigidi ad consuetudinem, Catholici ad Fidem, fideles ad dispensationem, concordantes ad pacem, conformes ad unitatem. Qui sint in iudicio recti, in consilio prouidi, in tubendo discreti, in disponendo industrij, in agendo strenui, in loquendo modesti, in aduersitate securi, in prosperitate deuoti, in celo sobrij, in misericordia non renouisti, in otio non otiosi, in hospitio non dissoluti, in consuetudine non offensi, in cura rei familiaris non anxij, aliena rei non cupidi, sua non prodigi; ubique: Et in omnibus circumspiciti. Hæc sanctus Bernardus. Et Patres illi Concilij Basil. sess. 23. dixerunt: Cardinales nullius criminis, aut infamie nota asperfos esse debere. Cauca Cardinalis, dicit Hostien. in sum. tit. de penit. §. remiss. versic. Cui Cardinales. ne exemplo Adæ, quanto est Deo propinquior, tanto magis delinquat, cap. Confide. de penit. d. 5. Cauca Cardinalis, inquit ille ibi. ne sint dracones, stantes iuxta arcam Domini, caueant ne sint nebula, & nubes sine aqua desorptionis lachrymarum turbidibus demonum agitata. Caucaut ne ipsi male agentibus cunctant illud quod Petro Piperno S. Maria noua Cardinali contigisse legitur, qui, vt referunt post Paulum Vbminicus, & Glossa in cap. Præfentij, De offic. delegati. in 6. de licijs, & voluptatibus luxurians, & vitij, dediu, dum in aede sacra Sacrosanctum Christi corpus adoraret, omnibus videntibus à Demone interfectus fuisse dicitur. Cardin. Alban. de Cardinali q. 8.

Item ad Cardinalitiam dignitatem non solet Papa Bigamum promouere: vnde Antonius Rosellus, & Ioannes Lignanus, quamuis iuris periti iustigues, quia tamen bigami, prædictam dignitatem nunquam obtinere poterunt.

Item non solet in Cardinales eligi ij, qui non habent legitimos natales. Nicolaus Vbald. in tract. de success. par. num. 89. restatur, dum ipse in Rota ius diceret, sibi Paulum II. dixisse, ab huiusmodi labe Cardinalium eorum immunem esse, Eugenius VI. spurium quendam in Cardinalem elegerit, qui antequam gaterum acciperet, & vita deceffit, testibus Nicolao Vbaldolo loco citato, & Ludouico Gomeho in regula, de triu. possessore. quæst. 2.

CAP. VIII.

Quinam ordo Ecclesiasticus, & Sacer in singulis Beneficiarijs requiratur.

PRIMO quaeritur, An is qui Episcopus creatur, debeat iure cõmuni esse facis Ordinibus iniuriatus? Respon-

deo,

deo, in cap. *A multis*, de at. & qual. ex Innocentio. constitutum esse, Subdiaconum posse in Episcopum eligi: quare ut minimum, necesse est, ut is qui fuerit in Episcopum promovendus, Subdiacon. sit. Cardinales, vel Ordinem Episcopalem, vel Sacerdotalem, vel Diaconatus annexum habent. Nec inter Cardinales suffragij ius habet qui Diaconus non sit. id enim congruere videtur cum Clem. ut hi, qui s. illi vero, de at. & qual. sic Hostien. l. 2. de of. sic. At. hidiac Cardinalis Clem. citata.

Secundo queritur, An qui est ad Parochialem ecclesiam assumendus, debeat esse presbyter? Respondeo, in ca. *Licit Canon*, de elect. in 6, ex Gregorio X. in Concilio Lugdunensi statutum esse, ut is, qui ad Parochialem Ecclesiam promovetur, debeat intra annum a die sibi commissi regimini, ad Sacerdotium ascendere: quod si intra illud tempus non ascenderit, Ecclesia sibi commissi: nulla etiam premissa monitione, priusquam existat. Sic ibi. Hoc decretum late explicat Rebuffus in praxi Benefic. par. 2. titul. de non promovis intra annum.

Anus hic porro incipit a tempore, quo pacarum quis Parochialis ecclesie possessionem adeptus est, vel ab eo tempore, quo per ipsum steterit, quo minus eam nancisceretur: ut declaratur in cap. *Commissi*, de o. elect. in 6. Et ibidem subiungitur: Nisi legitimo impedimento detentus, ad Sacerdotium pervenire nequiverit. Legitimum autem impedimentum iudicatur, ut Glo. notat, si toto illo anni tempore agrotaverit, vel abfuerit Antistes, aut dimissionis litteras dare non potuisset, vel eum ad Sacerdotium profectio uere recusasset. Et sic de alijs similibus.

Tertio queritur, An huius Canonis poena vires & locum habeat in Decanis, Prepositis, Abbatibus, Prioribus, Archiepiscopis, curam animarum quidem, sed non Parochialem ecclesiam habentibus. Respondeo, minime: quia cum sit poena, restringere potius, quam laxare debemus; quod sane nemo negat. Glossa in c. *Licit Canon*, in verbo, *Parochialis Ecclesia*. Rebuffus loco citato, nu. 28.

Quarto queritur, An hae poena efficiat eos etiam, qui praeficiuntur ecclesijs Collegiatis, quae alias Parochiales quoque sunt? Respondeo, minime: Sic enim declaratum est in c. *Statutum*, de elect. in 6. Et certe non est eadem ratio de Collegiata Ecclesia, quae de Parochiali: nam in hac unus praeficitur rector: at in illa quatenus collegialis est, praeficiuntur plures, non quidem per se singuli, sed ut unum collegium efficiant. Item quia poena iure restringitur, quare merito declaratum est, poenam in c. *Licit Canon*, interrogatam non potendi ad eos qui ad ecclesiam Parochialem; alioqui collegialem promoventur. Hoc autem locum habet in ecclesijs collegialibus, quarum plures Sacerdotes curam Parochiae in solidum habent: nam si ad unum eorum cura tantummodo pertinet: is intra annum ad Sacerdotium debet promoveri, iuxta Canonis iam producti constitutionem. Si queras, An praedictum decretum locum habeat in episcopis, Archiepiscopis, & alijs superioribus. Sol. la. 10. de iust. q. 5. ar. 6. conclus. 1. videtur asserere, locum habere: sed Rebuffus loco citato, nu. 27. negat: & hoc est verius. Item sentit Glossa in c. 2. de prob. in 6. nam in c. *Licit*, de elect. in 6. solum fit mentio ecclesiae Parochialis. Episcopus Parochialem ecclesiam non habet, sed Diocesanum, quae stricte Parochia non dicitur, & poena restringi debent, non laxari.

Quinto queritur, An Vicarius perpetuus in ecclesia Parochiali intra annum Sacerdos fieri debeat? Respondeo, debere, quia ita constitutum est, Clem. 1. de officio Vicarii, cum aliqua ecclesia Parochialis Monasterio siue Conventu, vel Scrinario Clericorum, aut alicui Beneficio, dignitate praedito coniungitur, solet ex fructibus Ecclesie Parochialis certa quaedam portio seorsum assignari Vicario, cui in perpetuum ecclesia regenda confertur ac proinde in ipsum transit tota cura Parochiae. At ideo merito constitutum est, ut huiusmodi Vicarius perpetuus intra annum ad Sacerdotium ascendere debeat.

Sexto queritur, An Priores in ecclesijs Conventualibus

intra annum Presbyteri fieri debeant? Respondeo, debere. Nam in Clem. Ne in agro s. *Ceterum*, de statu Monacho, statutum est, [qui Prioratus Conventuales (hoc est, in ecclesijs conventualibus & Religiosis) habuerint, intra annum computandum a tempore collationis, seu commissionis sibi factae de eis, & possessionis eorum adeptae, vel intra vigesimum quintum aetatis suae annum, si ante ipsi annum non conventuales Prioratus eis committi fuerint aut collati, intra annum se faciant ad Sacerdotium promoveri. Quod si cessante rationabili causa non fecerint, eo ipso nulla etiam monitione praemissa, praedictis Prioratibus sint privati: qui ipsi iterum ea vice nullatenus conferantur: & nihil refert si Prioratus sint commendati, aut in titulum collati.] Si queras, An haec Clemens comprehendat Abbatem? Respondeo, cum Rebuffus loco citato n. 22. minime, quia solum loquitur de Priore conventuali.

Septimo queritur, An ecclesia Parochialis commendari queat ei, qui nondum est Presbyter creatus? Respondeo, minime. Sic enim in c. *Nemo deinceps*, de elect. in 6. habetur: *Nemo deinceps Parochialem Ecclesiam alicui non constituto in aetate legitima, & Sacerdotio non commendare praesumat*. Sic ibi. Ex quo fit, ut Parochialis ecclesia iure, & ratione tituli possit ei conferri, qui nondum est Sacerdos, iuxta c. *Licit Canon*, & c. *Cum ex eo*, de elect. in 6. & tamen commendari nequit nisi ei, qui est ad Sacerdotium evectus, quoniam ita est constitutum in c. *supra citato*.

Octavo queritur, An cum ecclesia Parochialis est alteri non Parochiali coniuncta, is qui ad ipsam administrandam assumitur, debeat intra annum, Sacerdotium suscipere? Respondeo, tribus modis ecclesiam Parochialem alteri quae Parochialis non est, posse coniungi. Aut enim ita coniungitur, ut ei subiecta sit, & illa altera sit principalis: & is qui principali praeficitur, ad Sacerdotium ascendere iure non cogitur: nam id quod ad alterum accedit, sequitur naturam principalis ad quod accedit. Ergo cum Parochialis non sit Ecclesia, ea, cum Parochialis coniuncta subijciatur: sequitur, ut qui ad Ecclesiam principalem quae Parochialis non est, promovetur, minime teneatur lege posita in c. *Licit Canon*: Aut ecclesia Parochialis alteri, quae non est Parochialis coniungitur, ita ut haec posterior tanquam inferior sit subiecta Parochiali tanquam principali: & superiori. Et is, qui praeficitur illi, quae non est Parochialis, debet intra annum Sacerdos creari, quia in hac ecclesiarum coniunctione, ea, quae non est Parochialis, coniungitur Parochiali tanquam principali, ac proinde eius naturam & conditionem sequitur. Aut tertio ecclesia Parochialis coniungitur ei, quae non est Parochialis, ita ut ei subiecta non sit, sed aequae principalis ac illa. Et tunc is, qui praeficitur, ea ratione qua Parochiali ecclesiae praeficitur, debet intra annum fieri Sacerdos: ad eum enim praecipue pertinet cura Parochialis ecclesiae. Haec ex Ancharano, in c. *Licit Canon*, de elect. in 6. Rebuffus loco citato, n. 31.

Nono queritur, An idem iuris sit de ecclesia Parochiali, quae actu Parochianos non habet, sed solum habitu & potestate? Finge tibi Parochialem ecclesiam, cuius omnes Parochiani sint captivi abducti ab hostibus, vel ob pestem alio periculi vel ob soli sterilitate, & caeli interperiem, aliquo subduxerint sese. Queritur, an qui ad ecclesiam promovetur, debeat intra annum ad Sacerdotium ascendere? Archidiaconus in c. *Licit Canon*, affirmat, eo quod sicut Episcopus esse potest sine ouibus sibi subiectis, ita ut Episcopus esse non desinat: sic etiam Parochus non desinit esse Parochus, etiam si parochiam recesserint, & eius ecclesia vere & proprie est parochialis. Deinde, quia non est idem iuris de Collegio, quod de Parochiali Ecclesia: nam etiam si deficientibus collegis collegium finiatur, & desinat, non tamen Parochianis recedentibus, aut desinentibus, Ecclesia desinat esse Parochialis. At Glossa in c. *Licit Canon*, oppositum censet: cuius sententia, communi est consensu recepta, etenim Ioa. Monachus, Geminianus Ancharanus sentiunt, eum, qui ecclesiae Parochiali habitu tantum, & non actu Parochianos

habenti præficatur, non teneri lege quæ lata est in c. Licet Canon, eo quod in eo nullum locum habeat ratio, & causa legis: quoniam qui ad ecclesiam Parochialem assumitur, ideo debet intra anni spatium Presbyter fieri, quia suscipit curam pascendi gregem sibi commissam. At cum ecclesia Parochianos non habet, non suscipitur cura gregem pascendi. Sed quid, si Parochiani deinde redierint? Respondeo, Parochialem Ecclesiam quasi iure postliminij ad sua iura, & bona reuerti, ac proinde is, qui ipsi præ est, debet intra annum computandum ab eo tempore, quo ecclesia cepit Parochianos habere, ascendere ad Sacerdotium.

Decimo queritur, An statim ut Parochus ecclesiam Parochialem adeptus, ad id anni tempus deueniat, ut intra illum annum Presbyter fieri nequeat Beneficium amittat. v. g. Titius consecutus est ecclesiam Parochialem, & ex eo tempore quo est illam nactus, decem, aut vndecim menses effluxerit, ita ut intra reliquum anni tempus ad Sacerdotium ascendere non possit, queritur, an statim à decem, aut vndecim mensibus elapsis, ipsam Ecclesiam Parochialem amittat? Respondeo, minime, nisi integro anno elapso. Sic enim declaratum est in c. Commissa, de elect. in 6.

Quæres, quid si à principio anni in animo habuerit ad Sacerdotium intra annum non ascendere? Respondeo illud minime suos fecisse fructus, quos percipit toto eo tempore, quo in ea voluntate mansit, ex c. commissa, de elect. in 6. Quid vero si mutato animo, voluit intra annum fieri Sacerdos? Respondeo in hunc modum, aut cum à priori voluntate recessit, adhuc factis temporis supererat, quos Sacerdotium suscipere posset intra annum computandum ab eo die, quo Beneficium adijt, & sic incipit fructus lucrificare ab eo die, quo priorem deposuit voluntatem. *Glossa in c. Commissa, de elect. in 6. in verbo mutata.* nam mora interdum sicut & fraudis per poenitentiam purgatur, aut non superest, & tunc is totius anni fructus amittit. Priores quidem, quia ab initio constituetur Sacerdos non fieri: reliquos vero, quia cum cepit voluntatem mutare, iam intra reliquum tempus ad Sacerdotium promoueri non potest, & proinde fraude poenitentia, quæ legitima non est, non purgat. Quæres, an eo anni tempore, quo Sacerdos fieri nequit, cura conscientia Beneficium cum alio permutet, aut alterius gratia deponat? Respondent quidam, aut per dolum, & fraudem ad id temporis deuenit, ut puta, cum ab initio Beneficium adeptus, de treue rat non fieri Sacerdos, & sic iure Beneficium non permutat, aut deponit, præterea nullus est momenti permutatio, aut renunciatio: perinde enim est, ac si post annum exactum permutaret, vel deponeret: aut absque dolo, & fraude id fecit, & sic iure Beneficium permutat: & eo se abdicat, quoniam in eo ius habet, ita ut Beneficium, ipsius vere sit: permutat igitur, vel deponit quod suum est. Cæterum Rebus, loco citato nu. 37. absolute ait, Parochus potest ecclesiam suam permutare cum alio beneficio sub finem anni, cum ea ante exitum anni priuatus non sit, & dicit, sic tenere Prætorium Rotæ decisio. 187. in antiq. licet contrarium alibi dicatur fuisse iudicatum in Rot. decisio. ne 355. idem quoque sentit Lanfrancus decis. 471. qui dicit hanc esse communem sententiam, sic Et Oldra. conf. 203. factum tale. Aegid. Bellamera. decisio. 178. Rochus in tract. de iure patron. in verbo honorificam. quest. tertia. & is, cum eius beneficium permutatur, debet intra annum alium ad Sacerdotium promoueri.

Vndecimo queritur, Quis ordo sacer requiratur ad alia Beneficia, quæ dignitatem, aut personatum habere dicuntur, vel qui canonicatus, vel Portiones sunt in ecclesia Cathedrali, vel Collegiata: Respondeo, in Clemen. Vt si qui de stat. & qualitat. ita esse decretum: Statutum, ut qui, de cetero huiusmodi Ecclesiam (videlicet Cathedralibus, vel Collegiatis) secularibus, vel regularibus, Dignitates, Personatus, Officia, vel prebendas, quibus certis ordinibus sunt annexi pacifice obtinerint, nisi iusto impedimento cessante, ad huiusmodi ordines se promoueri fecerint, intra annum ex tunc, donec ad eos

promoti fuerint, vocem in Capitulo non habeant eandem ecclesiarum, ipsique distributionem qua dantur, qui certis beneficiis intersunt pars dimidia subtrahatur: non obstantibus quibuslibet consuetudinibus, vel statutis. Eiusdem, quæ contra tales promoueri ad Ordines recalcitrantes statuuntur in iure, nisi hominum in suo robore permanerint. Sic ibi. Hoc dictum est, quia Alexander III. constituetat in Concil. Later. ut haberetur, in cap. in cunctis §. Inferiora De elect. Si Archidiaconus in Diaconum, vel Præpositus, vel Decanus in Presbyterum, post promotionem non fuerint prefixo a Canonico tempore promoti, ab isto remoueat officio, & alius conferatur, qui & velim, & possint illud, ouententer implere. Et nouissime in Concil. Trident. Sess. 22. cap. 4. de reformat. sic est constitutum: si vero, qui Dignitates, Personatus, officia, Prebendas, Portiones, ac qualibet Beneficia in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiatis, secularibus, vel regularibus, obtinent, aut in posterum obtinebunt, quibus onera varia sunt annexa, videlicet, ut alij Missis, alij Euaugeliis, alij Episcopis dicant, seu ceteris: quocumque privilegio, exemptione, prerogatiua, generis nobilitate sint insigniti, teneantur, iusto impedimento cessante, infra annum ordinem suscipere requisitorum: alioquin poenas incurrant iuxta Constitutionem concilij Vniuersalis, quæ incipit, Vt si quisquam presenti decreto inuasat Synodus. Hæc ibi.

Duodecimo queritur, An in cæteris Beneficiis simplicibus, aliquis sacer ordo requiratur? Respondeo, nihil esse de hac re iure communi statutum. At vero ex fundatione, vel donatione, privilegio, consuetudine, vel statuto, aliquando sacer ordo requiritur in eo quod est promouendus. Et sciendum est, aliquando in ipsa Beneficij fundatione, vel donatione, verba poni, quibus expressim, aut implicite saltem indicatur, eum, qui in Ecclesia, Capella, iuve instituitur, oportere esse presbyterum tempore quo ei Beneficium conferretur: & tunc non satis est, si intra annum presbyter fiat. Quod si id verba non significent, sufficit eum, qui promouetur, eam ætatem habere, ut intra annum, eum possit ordinem suscipere, quæ Beneficium postulet. Et hoc est, quod docet Panormit. in c. Cum in cunctis §. Inferiora, nu. 10. de elect. his verbis: Si Beneficium habet ordinem annexum, si illa annexo est respectu aptitudinis, requiritur, ut promouendus, tempore sua promotionis habeat eam ætatem, ut infra annum possit ad illum ordinem ascendere: non tamen requiritur, ut actu habeat illum ordinem. Aliquando vero, si annexo respectu actus, & tunc necessario requiritur, ut qui promouetur, tempore promotionis actu illum ordinem habeat. Sic ille.

Decimo tertio queritur, An qui sunt tantummodo minoribus ordinibus iurati, possint ad Beneficia, quibus est cura animarum, promoueri? Duæ sunt opiniones, quarum vna negat, altera vero affirmat. hanc. Calderinus & Panor. secuti sunt, & hæc est verior. Iura enim solum modo requirunt, ut is, qui promouetur ad huiusmodi beneficia, eam ætatem habeat, ut infra annum, eum sacrum ordinem suscipere queat, quem requirit ecclesia curam animarum habens. Et c. Siis, de inst. in 6. habetur: eum, qui in Parochiali Ecclesia instituendum Patronus offert, esse admitendum, etiamsi sacros ordines non suscepit: dummodo intra annum Presbyter fieri possit. Et c. Si pro Clericis, De preben. in 6. dicitur: Si quis litteras Apostolicas impetrauerit ad aliquam Ecclesiam etiam curam animarum habentem, obtinendam, et conferri debere, etiamsi ad sacros ordines euectus non sit, nec ullam in litteris mentionem fecerit de ordinum defectu: dummodo tamen huiusmodi Clericus in proximo status à iure temporis, ad eos ordines ascendat, quos Beneficia eis collata deposcunt. Hæc ibi.

Decimo quarto queritur, An cum Beneficium in eo qui est instituendus, Sacerdotium actu requirit ex fundatione, institutione, vel statuto, & Roman. Pontifex alicui Clerico nō dum Sacerdoti literas concesserit ad quodlibet Beneficium etiam curæ animarum coniunctum obtinendum, iure possit ad illud Beneficium promoueri? Respondeo cum Abbate in c. Cum in cunctis §. Inferiora n. 11. de elect. distinguendo. Aut beneficium est fundatum, vel do-

tarum à laico, & sic ius ad illud obtinere non potest: quoniam verbis generalibus non creditur Romanus Pontifex derogare voluisse Beneficii institutioni: alioqui laici ab extruendis, fundandis, & dotandis Ecclesiis auocarentur. Aut Beneficium solum Sacerdotium actu requirit, statuto ab Episcopo, vel Collegio Canonico post institutionem posito, & sic debet tale beneficium conferri, quia Romanus Pontifex solet in suis literis generalem clausulam apponere; Non obstantibus quibuscunque statutis.

Decimoquinto quaeritur, An ratione studii literarii, iure possit Episcopus indulgere, ut qui nec est Sacerdos, nec ad Sacerdotium intra annum potest ascendere, Ecclesiam Parochialem obtineat? Hanc quaestionem iam ante diluimus, in hoc libro, c. 5. q. 10.

Decimosexto quaeritur, An Canonicus, qui est ad Ecclesiam Cathedralis promotus, in qua de more quisque Canonico per hebdomadas sacrum facit, possit tuta conscientia alium Canonicum sibi substituere, qui ipsius loco sacris operetur, quia ipse Subdiaconus tantum est? Respondeo, oportere eum per seipsum rem diuinam facere: ac proinde si quo tempore est Canonicus creatus, eam artem non habet, qua possit intra annum presbyter fieri, adeptio Canonicatus nullus est momenti. Et dum is, qui artem habet, qua intra annum Sacerdos fiat, ad Sacerdotium ascendit, tuta potest conscientia per eum Canonicum sacrum faciendum curare, quia toto eo anno ei licet Sacerdotium suscipere.

C A P. IX.

De voluntate, & animi proposito, quod Canones & iura postulant in eo qui ad Beneficium promovetur.

Primo quaeritur, An qui Parochiale Beneficium accipit absque vlla voluntate ad Sacerdotium ascendendi, fructus Beneficii intra annum lucrificat? Respondeo, c. *Commissa* §. *Ceterum*, de elec. in c. 10. statutum esse: qui Parochiale beneficium obtinet, sine voluntate intra annum Sacerdotium suscipiendi, debere omnes fructus perceptos restituere. Sed quid si deinde voluntate mutata fuerit intra annum ad Sacerdotium promotus, an tunc recuperare sibi tuta conscientia omnes fructus etiam eos quos percepit, habens in animo non capessere Sacerdotium intra annum? Sententia est Soti, lib. 10. de iust. q. 5. ar. 6. concl. 1. asserentis debere eos fructus restituere, quos percepit toto eo tempore, quo habuit in animo ad Sacerdotium non ascendere.

Altera est Nauarri in *Manual. ca. 25. nu. 118.* oppositum docentis, quam Glossa in cap. *Commissa. in verbo, mutata.* communi consensu recepta ante tradiderat: & hæc est verior: quoniam fraus quæ à principio cepit, tota purgatur per promotionem intra annum secutam, sicut etiam purgari solet mora debitoris; Glossa in cap. *mora. de regul. iuris in 6.* Quo fit, ut si intra annum Sacerdos non fiat, & Beneficium statim amittat elapso anno, omnes fructus quos percepit toto eo tempore, quo in animo habuit Sacerdotium non suscipere, restituere debeat.

Secundo quaeritur, Quid sit dicendum de Titio, qui Parochialem Ecclesiam adeptus constituit ad Sacerdotium intra annum ascendere, postea vero voluntate mutata fructus percepit? Glossa in c. *Commissa* docet, oportere illum restituere fructus quos percepit ab eo tempore, quo priorem voluntatem deposuit: non autem eos quos percepit, antequam à priori illa voluntate recederet. Sic etiam Sotus loco citato.

Ceterum Nauarrus loco prædicto eum censet nullos debere fructus restituere: quia penæ, inquit, & odia restringi debent, non laxari. At constituto in c. *Commissa.* solum videtur locum habere in eo, qui Parochiale beneficium accipit sine voluntate Sacerdotium intra annum suscipiendi: non de eo, qui ab initio legitimam voluntatem

habens postea mutauit, Mihi tamen magis probatur sententia prima: ita ut sit eadem ratio de eo qui retinens beneficium habet in animo non suscipere Sacerdotium intra annum, atque de eo, qui ab initio accepit habens voluntatem non capessendi Sacerdotium.

Tertio quaeritur, An si Titius Parochiale beneficium accipiat, dubio tamen animo, & voluntate ad Sacerdotium ascendendi, Beneficii fructus lucrificat? Sotus loco citato censuit, eum restituere omnes fructus debere quos percepit toto eo tempore, quo pender animi. At Nauarrus loco prædicto eum docet minime esse cogendum fructus restituere; suo illo argumento permotus, quod penæ restringuntur, non laxantur: at lex in c. *Commissa*, solum loquitur de eo, qui ad Parochialem ecclesiam promotus in animo habet Sacerdotium non capessere. Mihi tamen magis placet Soti sententia: ut ratio etiam, qua eam confirmat: quia qui suspensio & dubio est animo, in iure videtur voluntatem habere Sacerdotium non suscipiendi. Sed sciendum est, Titium, si cum primum ad ecclesiam Parochialem eligitur, ambigit futurus ne sit Sacerdos, & postea intra annum factus est presbyter, tuta conscientia totius anni fructus sibi retinere, quoniam ambiguitatem suo facto intra annum purgavit. Deinde, si statim atque est ad ecclesiam promotus, voluntatem habuit intra annum ascendendi ad Sacerdotium; postea vero hæsitare cepit, debet restituere fructus quos percepit toto eo tempore quo dubitavit: nisi dubitationem facto purgauerit Sacerdotium capessendo.

Quarto quaeritur, De Titio, qui parochialem Ecclesiam obtinuit in animo habens eam dimittere: aut in ea nunquam commorari, aut residere, an scilicet hoc faciendo peccet? Respondeo cum Abbate, & Hostiensis in c. *Relatum, de Clericis non residens.* eum sine dubio peccare, quoniam sponte sese veluti sponsus cum Ecclesia coniungit, & tamen statuit eam deserere, volens nihilominus ex ea fructus percipere. Sed nunquid fructus quos percipit, debet restituere? Respondent quidam debere restituere, quamuis de hoc Hostiensis, & Abbas verbum nullum fecerint, quia perinde, inquit, est, habere voluntatem non residendi, aut non feruendi in ecclesia, atque habere in animo non suscipere Sacerdotium: quare concludunt eum debere fructus restituere, nisi eam pravam voluntatem postea facto purgauerit, & ideo aut deponere debet Beneficium, aut mutato animi proposito, ad Sacerdotium intra annum ascendere. Quærat aliquis, An eadem ratio sit de Titio, qui Parochiale beneficium accipit, habens in animo ex eius fructibus viuere, donec aut patrimonium, aut aliud commodius vitæ subsidium obtinuerit; vel statuens id Beneficium dimittere, si hæreditas, aut patrimonium sibi morte fratris obuenerit? Respondet Panormitanus loco citato, eandem esse rationem de eo: quoniam, inquit, qui Parochialem ecclesiam adipiscitur, cum ea spirituale coniugium contrahit: ac proinde constituere debet, cum illa perpetuo viuere: nisi iustus de causis ad aliam Ecclesiam auctoritate superioris transferatur. Alii respondent, quod etiam Gab. 4. dist. 15. quæstio. 8. art. 3. dub. 1. & Siluest. *Beneficium. 3. quæst. 3.* innuere videntur hunc in modum: Aut Titius statuit in ea ecclesia Parochiali commorari & inseruire, donec commodiorem vitæ rationem & genus assequatur, & sic non videtur peccare, quoniam si aliam non fuerit adeptus, in ea ecclesia perpetuo deseruet, suo muneri & officio satisfaciens. Aut statuit Ecclesiam habere, in ea tamen non residere, nec inseruire, sed ex eius tantum fructibus viuere, donec aliud vitæ genus nactus fuerit, & sic peccat Parochiale beneficium accipiens, & debet perceptos fructus restituere: perinde enim est, ac si decernat intra annum Sacerdotium non capessere.

Quinto quaeritur, An paratio sit de accipientibus cetera Beneficia, quæ de promotis est ad Parochiales Ecclesias? Id est quaerere: An qui acquirunt qualiacunque Beneficia, statuens eum ordinem intra annum non susci-

pere, quem illa deponunt, restitui debent fructus perceptos? Dux sunt opiniones: Vna affirmat: quam Glossa, Gabriel locis citatis, & alii probauerunt, eo, quod per dolum, & fraudem Beneficia sint affecti. Altera vero negat, quam Sotus, & Nauarrus locis allegatis sequuntur; inde comprobantes, quia pœnæ & odia restringenda sint. at *de Commissa* solum decernitur, vt qui ad Parochialem Ecclesiam promouentur, cum tamen animo proponant ad Sacerdotium intra annum non ascendere, restituant fructus quos interim ex Beneficio perceperint. Vt verum fatear, mihi vtraque opinio videtur probabilis: Sed quia *in cap. Commissa* solum lex fertur ad eos, qui Parochialem Beneficium acceperint, mitius & benignius est interpretanda, ita vt in cæteris Beneficiariis locum non habeat, & restitutio fructuum quæ in eo capite faciendæ decernitur, eum solum sit iuris scripti, non diuini, aut naturalis, in aliis Beneficiis locum habet.

Sexto quæritur, An pœnæ *in ca. Commissa* irrogatæ de fructibus restituendis, soluendæ sint ante vllam Iudicis sententiam? Ratio dubitandi est, quoniam pœna lege constituta non debetur ante criminis condemnationem? Respondeo ex communi omnium sententia, eam pœnam esse soluendam, tamen si nulla criminis condemnatio sequatur. Nimirum restitutio fructuum in eo capite præcepta, non tam pœnationem habet, quam pactionis & conventionis cuiusdam contractæ inter Ecclesiam conferentem Parochialem Beneficium, & Clericum ipsam Ecclesiam accipientem. Ecclesia enim sua Beneficia potest ea lege & pacto conferre, vt is, qui accipit, hoc aut illud facere debeat: sicut quisque potest alteri sua bona, ea lege & pacto relinquere, vt certum quid faciat: quod nisi fecerit, bona restituere debeat, quia pacto & conventioni non steterit. Obijcies: scriptæ leges humanæ ius & potestatem non habent in actus mentis internos, ergo ecclesia non potest præcipere, vt qui parochialem Ecclesiam assequitur, in animo habeat intra annum fieri Sacerdos. Respondeo, hanc Ecclesiæ legem, pactionis cuiusdam rationem habere; quare sicut postuli ego tibi mea bona, ea lege & pacto donare, vt tu intra certos dies in Capitolium accendas: pari ratione potest Ecclesia suum Beneficium tibi conferre, ita tamen vt certo statuas Sacerdotium intra annum suscipere.

Septimo quæritur, An qui simplex aliquod Beneficiū accipit, stitens non viuere Clericorum, sed Laicorum more, grauiter delinquat, & fructus omnes inde perceptos cogatur restituere? Respondent Sotus & Nauarrus locis ante citatis eos omnes peccare, qui Beneficia, quæcunque tandem illa sint, adipiscuntur sine vlla voluntate id muneris, & officii præstandi, quod illa postulant, ad fructus tamen perceptos restituendum minime compelli: vt si Titius Beneficium aliquod adeptus, proponat in animo primam Clericorum tonsuram nequaquam deferre, aut eorum habitu & veste non uti, aut preces horarias quotidie non recitare, aut in Ecclesia, cuius est Beneficium, nec per se, nec per alium deferuire, aut Ordinem quem beneficium requirit, non capessere. Alii tamen volunt, eos & lethalis peccati reos esse, & fructus restituere debere perceptos. Vtra opinio sit verior, ex iis, quæ antea iam dixi, perspici potest.

Octauo quæritur, An qui obtinent simplicia Beneficia auctoritate suorum Episcoporum, compelli queant ad sacrum ordinem capellendum? Respondet Nauarrus, non posse, nisi id Ecclesiæ, vel necessitas, vel utilitas requirat. Abbas tamen censet adigi posse Episcoporum auctoritate, Canonicos ad suscipiendum saltem Subdiaconatum; quia *in Clem. V. ii. qui, de etat. & qualit.* statuitur, vt qui *in Cathedralibus, vel Collegiatis, secularibus, vel regularibus Ecclesiis, diuinis mancipantur officio, vocem in Capitulo non habeant, etiam si hoc sibi ab aliis concedatur, nisi saltem in Subdiaconatus ordine fuerint constituti.* Sic ibi. Ergo cum Ecclesiæ cathedrales, & collegiales, suorum Canonicorum consiliis & suffragiis indigere videantur; sit, vt Episcopus

eis possit præcipere, vt saltem Subdiaconi fiant, ne eorum consilio, & opera ipsæ Ecclesiæ destituantur. Sed certe Panormitanus non satis firme concludit, ob id Canonicos cogi posse Subdiaconatum suscipere, nisi aliqui vigeat Ecclesiæ utilitas, vel necessitas postulet.

Nono quæritur, An qui promouentur ad Beneficia, compelli queant auctoritate Episcoporum, vt iureiurando promittant se in Ecclesiis, quorum Beneficia accipiunt, perpetuo commoraturus, aut ea Beneficia citra ipsorum, vel successorum assensum non dimissuros, vel cum aliis non permutaturos, vel aliorum gratia non deposituros? Respondeo, dubitari non posse, quin aliqui hac in parte Beneficiis abutantur, dum Beneficia accipiunt, vt ea statim alterius gratia dimittant, seruatæ sibi per Roman. Pontif. auctoritatem certa fructuum pensio, vel vt cum aliis pinguioribus Beneficiis permittent. Ex quo factum est, vt Antistes soleant, cum Beneficia in Clericos conferunt, ab eis iusiurandum exigere, quo polliceantur se absque eorum consensu Beneficia non dimissuros: quod quidem iusiurandum non solum licitum, & honestum, sed etiam maxime iustum est: præsertim quando Beneficium curam animarum habet, vel requirit, vt Beneficiarius in Ecclesia assidue commoretur, & resideat. Neque enim simpliciter Clericus iure compellitur, sed ea conditione, vt si velit Beneficium habere, iuret se id facturum: sin minus, cedat Beneficio, iure enim Ecclesia conferit sua bona, eo pacto & conditione, vt qui accipere volunt, id præstent, ac iurent: præsertim cum damno afficiantur Ecclesiæ, ex eo quod libere à Beneficiariis dimittuntur. Deinde, quia id iurare beneficiarius cogitur, quod beneficium iure communi requirit. Nam *in ca. Sanctorum, dist. 70.* dicitur: *Et in qua Ecclesia quilibet iniuratus est, in ea perpetuo perseueret.* Nec tamen inde fit, vt si lapsu temporis iustæ subint cause dimittendi Beneficij, iusiurandum seruat Clericus cogatur: neq; enim iusiurandum cum caritate, aut cum iustitia pugnat, & in iusiurando generales conditiones tacite continentur: videlicet si res eundem statum retineat, si salutis & vite res non obstat. Si maioris alicuius boni ratio, quid diuersum, aut etiam contrarium non postulet. *Glossa communi consensu recepta.*

C A P. X.

De pluralitate quam vocant Beneficiorum, sacris Ecclesiæ Canonibus interdictis.

Sciendum est, eum, qui certum aliquod Beneficium obtinet, aliud habere simul non posse: habens enim certum vnum Beneficium, iure ipso indignus est ad alterum obtinendum, *ca. Cum adeo, de rescript. c. Super inordinata, de Præben. c. Conquerente, de Cleric. non rescript. & Glossa in ca. Super inordinata, de Præben. communi consensu approbata.* Proinde inter impedimenta Canonica, quibus aliquis Beneficij capax non est, vnum illud censetur, cum quis videlicet Beneficium vnum adeptus sit. Atque ob eam causam agendum mihi hoc loco est de pluralitate Beneficiorum, quam passim Canones detestantur, & damnant. De hac re agit Rebuffus *in praxi Beneficiorum par. 2. tit. de dispensat. ad plura Beneficia.* Extat tractatus Ioan. Lignani de pluralitate Beneficiorum. Et Alphonsus Hojeda Hispanus, edidit tractatum de Beneficiorum incompatibilitate.

Primo quæritur, An inter Beneficia aliqua sint talia quæ iure sociabilia, hoc est, compatibilia, vt vocant, non censentur: alia vero insociabilia, id est, incompatibilia habeantur? Ratio dubitandi est, quia iura videntur prohibere generatim, quo minus quis plura Beneficia simul habeat: ergo non sunt aliqua certa, de quibus dici queat ea esse compatibilia, ita vt simul haberi iure ipso possint. Hanc questionem proposuit Glossa *in cap. Gratia, de rescript. in Sexto, versio. de iure reueri: & Abb. in cap. Cum iam dudum, de præb. n. 6. & in cap. Extirpania, de Præben. in resp. & Qui verb. nu. 27. & seqq.*

Dubi-

Dubitari non potest, quin ius aliqua Beneficia incompatibilia esse dicat, quæ simul nequeant iure possideri: nam in *e. Gratia, de rescript. in sexto*, sic habetur; [Vtrumque tamen si talia sint Beneficia, quæ simul nequeant de iure teneri.] Et *Clem. Gratia, de rescript.* sic est: *Aliud Beneficium pacifico assiquaris, quod simili de iure cum dignitate, vel Beneficio virtute dicta gratia tibi debito retinere non posses.* Et in Concilio Trident. *Sess. 7. cap. 4.* De reformat. *Quicumque de cetero plura curata, aut alias incompatibilia Beneficia Ecclesiastica recipere, ac simul retinere presumpserit.* Et reliqua. Ergo Concilium vt certum ponit, aliqua esse Beneficia iure sociabilia, siue compatibilia, alia incompatibilia, siue insociabilia. Et cetera compatibilia Beneficia dicuntur, quæ vel iure communi, vel saltem consuetudine simul haberi queunt: incompatibilia vero, quæ nec iure, nec consuetudine simul quis habere potest, vt ex dicendis patet.

Ea igitur Beneficia simul haberi iure nequeunt, quæ non solum iure communi, sed etiam consuetudine, statuto, aut fundatione requirunt, vt Beneficium in suis Ecclesiis commoventur, atque resideant: quare ratione huius oneris, muneris, & officii, Beneficia in iure incompatibilia appellantur, ita vt incompatibilia sint, quia assiduam in Ecclesia Beneficium præsentiam requirunt. Tales sunt omnes parochiales ecclesiæ, & alia Beneficia, quæ curam animarum in foro contentioso habent, *cap. Quia in tantum, de præb. cap. Gratia, de rescript. in sexto. Clem. Gratia, de rescript.* Omnia item Beneficia, quæ officia, personatus, & dignitates vocantur, *cap. Quia nonnulli, de Cleri. non resid.* Canonici itidem, & Portiones in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis, secularibus, vel Regularibus, *e. Quia nonnulli citato.*

Ac vt singula numeremus, talia Beneficia sunt duæ Ecclesiæ Cathedralis Metropolitanæ, Patriarchales, Parochiales, Dignitates, Officia, Personatus, Abbatæ, Prioratus, Præposituræ, Decanatus, Archidiaconatus, Archipresbyteratus, & cætera omnia Beneficia, quæ Dignitatem, vel curam animarum habent. Vnde Vicarius perpetuus in duabus simul Ecclesiis esse non potest, *Clem. 1. de offic. Vicarii.* Item, duo Canonici, vel duæ Portiones in ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, beneficia incompatibilia iure censentur, vt de eorum singulis inferius dicam. Cætera simplicia, & inferiora beneficia compatibilia iure esse dicuntur: duo enim huiusmodi simplicia (vt postea dicam) simul haberi queunt, & vnum itidem simplex cum alio, quod beneficiarium residentem etiam iure communi, & consuetudine, & statuto requirit.

Animaduertendum est, nonnulla beneficia simpliciter dici incompatibilia, cuiusmodi sunt proxime ante commemorata: alia vero incompatibilia ex conditione nimirum sub eodem texto: hoc est, beneficia, quæ simul in eadem ecclesia haberi nequeunt, *e. literas, de concess. præb. Glos. fauibilem, & in Clem. Gratia, de rescript.* Item incompatibilia in Monacho, vel Religioso viro, quia simul plura habere non potest, *cap. Cum singula, de præb. in sexto, cap. 1. dist. 89.*

Obiicias ex *cap. Sanctorum dist. 70. c. ca. Clericus 21. questione prima, cap. singula, dist. 81. c. Episcopi, distinctione 80. cap. Quia in tantum, de præb. cap. Quia nulli, de Cleri. non resid. Extravaganti. Execrabilis, de præb. Ioan. 22.* quibus in omnibus locis dicitur, duo, aut plura beneficia iure communi incompatibilia. Item, ex *cap. Cum ad hoc, cap. Conquirentes, cap. Inter quatuor, de Cleri. non residens.* colligitur omne Beneficium requirere, vt Beneficiarius in sua Ecclesia commoretur, & resideat: Omne igitur beneficium iure communi assiduam Beneficium præsentiam postulat: ac proinde vnum beneficium, cum alio iure communi simul possideri non potest.

Quidam his argumentis conuicti, sentiunt omnia beneficia, quamuis simplicia, esse iure communi incompatibilia: ac consuetudine esse inductum, vt simplicia, & minora beneficia simul haberi queant. Probabilis est sententia, si intelligatur eo sensu, quem inferius explicabo.

Alii respondent, beneficia dupliciter dici incompatibilia: Primo quidem modo, quia vnum iure vacat per ademptionem alterius, vt sunt dignitates, personatus, officia, beneficia Parochialia, aut curæ animarum coniuncta, *cap. de multa de præb.* Et hæc dicuntur iure incompatibilia: Item, & ea, quorum vnum deponitur, siue dimittitur sententia Iudicis, seu officio superioris, quia alterum obtinetur, vt sunt Canonici, vel Portiones in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, & alia, quæ beneficiarii præsentiam exigunt, quamuis nec dignitatem, nec curam animarum habeant: atque hæc quoque incompatibilia iure censentur. Secundo modo incompatibilia sunt, quæ tuta conscientia simul haberi nequeunt, sine legitima superioris auctoritate, & debita, ac rationabili causa, facta iuris relaxatione. Huius generis sunt duo beneficia simplicia, quæ continuam beneficiarii præsentiam non postulant, sed alterum vitæ Clerici sufficit: hæc dicuntur iure compatibilia, quamuis sine peccato simul haberi nequeant. Sic docent *Robuff. in Praxi parte secunda, tit. de dispensat. ad plura, in Glos. in verbo, incompatibilia num. 7. Cardinal. in cap. Gratia, de rescript. in sexto.* Hæc item est valde probabilis opinio. Glosa in *ead. cap. Gratia, de rescript. in sexto*, bifariam respondet: Vno modo ex sententia Innocentii in *cap. Dudum, de præb.* plura beneficia, quæ curam animarum habent, vel quæ sunt dignitate, vel personatu, vel officio prædita, vel quæ sunt Canonici, & Portiones, vel sub eodem texto, & cætera beneficia, quæ non solum iure communi, sed etiam consuetudine, vel statuto, vel fundatione postulant, vt beneficiarii resideant, simul haberi iure non posse, ac proinde hæc beneficia iure dici incompatibilia: cætera vero simplicia, & minora beneficia, quæ iure communi, vel consuetudine, vel statuto, vel fundatione præceptum residendi non continent, simul posse obtineri, ac proinde iure compatibilia vocari.

Altero modo respondet Glosa ex sententia Goffredi: iure quidem communi, duo beneficia quamuis simplicia haberi simul non posse, ac vero simplicia beneficia hoc differre à cæteris, quibus inest cura animarum, dignitas, vel personatus, vel officium, vel quæ sunt Canonici, vel Portiones in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis: vel quæ sub eodem texto continentur, quod hæc siue pingues redditus habeant, siue tennes, & modicos, simul haberi iure nequeunt: sed illa, si modica sint, & exigua, ita vt non sufficiant ad Clericam honeste, & commode sustentandum, possunt simul plura iure communi possideri: si vero sufficiant ad vitam clerici transigendam, minime. Ac proinde beneficia simplicia non esse incompatibilia, quia quando modica sunt, & exigua, quæ vitæ clerici satis non sint, simul obtineri iure queunt, quando vero sufficiunt, non item.

Quæres, cur cætera quoque beneficia, videlicet, quibus cura animarum subest, vel quæ dignitatem habent, vel personatum, vel officium, vel quæ sunt Canonici, & Portiones, vel quæ in eadem ecclesia sira sunt, & quando modicos prouentus reddunt, ita vt vitæ clerici non sufficiant, iure & consuetudine simul haberi nequeant? Respondeo, quia sacri canones, decreta & responsa Pontificum nunquam permiserunt, vt huiusmodi Beneficium à suis ecclesiis abessent, cum sint illis beneficia collata, vt in suis ecclesiis perpetuo commoretur atque inderent: & idcirco licet modicos, & paruos redditus habeant, residere in sua ecclesia, & inderere debent, & victum sibi aliunde industria vel arte conquirere: vt habetur *cap. Clericus victum, distinctione 91. c. capitulo primo, 21. questione prima.* sibi enim quisque imputet, quod ecclesiæ alioqui pauperi sese sponte obligauerit, sicut maritus, qui inopem duxit uxorem, ex cuius dote sustentari commode nequit. At vero cæteri beneficiarii simplices & minores, à lege & præcepto residendi liberantur, cum beneficia modica sunt, ac proinde iure duo simul retinere queunt, eo quod eorum vitæ, alterutrum non sufficiat, & residendi le-

gem vsu & consuetudine non afferunt: & ita ipso iure communi sunt compatible.

Secundo queritur, An iure communi damnetur pluralitas quoramlibet beneficiorum, siue simplicia sint, siue fecus? Teste Innocentio in cap. Cum iam dudum, de prabendis: Quoniam senserunt id iure communi non esse interdictum, quoniam in cap. de multa, de prab. solum statuitur, ne quis habeat plures dignitates, personatus, officia, aut beneficia curam animarum habentia: de ceteris beneficiis nihil constituitur. Sed contra hoc facit, quod habetur in cap. Sanctorum, distinct. 80. neminem in duabus ecclesiis instituendum. Alii dixerunt, non vetuisse ius commune, quo minus duo beneficia simul habeantur, sed quo minus plura, quam duo. Innocentius ipse in cap. In dudum, de praben. & in cap. Dudum 2. de elect. censet iure communi beneficiorum pluralitatem, quando simplicia sunt, quae assiduam Beneficarii praesentiam non requirunt, non damnari, nisi ratione ambitiose cupiditatis: & Canones, & Iura, quibus praecipitur, ne quis in duabus Ecclesiis titulum habeat beneficiorum, interpretatur: ne quis scilicet duarum ecclesiarum Beneficiarius nominetur: quoniam quisque ab Episcopo vnus ecclesiae ordinis suscipitur, & eius ecclesiae, cuius episcopo subiicitur, Clericus habetur: nihilominus tamen post ordines ab vno episcopo iure, & titulo vnus ecclesiae preceptos potest beneficium in alia Ecclesia, & in alterius etiam episcopi ditione retinere. Hanc sententiam sequi videtur Glossa in c. Dudum 2. de elect. in verbo Intitulata de praben. & in cap. Gratia, de rescript. in sexto, ita dicit: Hanc sententiam completur generalis consuetudo, quam Papa fecit, & voluit. Sic etiam sentit Ioan. Andreas quem citat, & sequitur Lopus in allegat. 116. & 117. & Calderin. in censu. 2. quod incipit: An si Papa, nu. 1. de prab. Gemin. cap. 1. nu. 13. de consuetud. in 6. Francus in cap. Gratia, de rescript. in 6. Lambertinus in tract. de iure patrona. prima part. lib. 2. Consuetudo generalis, inquit Abbas in cap. Dudum. de elect. est, ut quis habeat plura beneficia simplicia. Cardinalis in cap. Gratia, de rescript. num. 12. in 6. fatetur: Iure communi antiquo beneficiorum pluralitatem damnari, & Canones veteres prohibere, quod vnus quis duo beneficia simplicia simul obtineat, quando vnus vnusque sufficit: at consuetudine eos Canones esse abrogatos, & licere Clerico duo beneficia simplicia possidere, etiam si vnus illorum sufficiat ad eum honeste, & commode sustentandum.

Altera sententia est, Iure communi nequaquam Clerico licere duo, aut plura beneficia simul obtinere etiam simplicia, & quae assiduam Beneficarii praesentiam non postulant, quando vnus beneficium illorum sufficit ad Clericum honeste, & commode sustentandum. Sic Glossa in capitulo Dudum 2. de electione in verbo Retinere, & hanc sententiam late defendit Panormitanus in cap. Extirpanda, §. Qui vero de praben. numero trigesimo quarto, & sequentibus. Sic etiam sentit Hostiens. in cap. super inordinata, de praben. Fuit haec sententia Goffredi Doctoris antiqui, ut testatur Ioan. Andr. in cap. Quia nonnulli, de Cleric. non residen. est etiam Ioan. Lignani in tractat. de plurali beneficio. num. 7. & sequentibus. Sic etiam sentit Silvester, beneficium 4. n. 2. & meo iudicio videtur esse verior, aut saltem tutior. Nam in cap. Sanctorum. dist. 80. dicitur: In qua ecclesia quilibet intulatus est, in ea perpetuo perseveret. Omnino autem in duabus aliquem intulatus non liceat, sed vnusquisque in qua intulatus est, in ea Canonicus habeatur, & capit. Clericus 21. quae 1. Clericus ab instanti tempore non commouetur in duabus Ecclesiis, cap. Clericum, eadem causa, & quaestione Clericum in duarum Ecclesiarum ciuitatum conscribi non oportet, cap. Ecclesias 14. quae 1. Ecclesias singulas singulis Presbyteris dedimus, cap. Singula distinct. 89. Singula Ecclesiastica iuris officia, singulis quibusque personis sigillatim committi iubemus, cap. episcopi distinct. 80. habetur: singuli Presbyteri per singulos titulos conscriuantur. Idem constat ex cap. Quia in tantum, de praben. & cap. Quia nonnulli, de Cleric. non residen.

Ceterum haec iura, primae sententiae Auctores inquit, consuetudo abrogauit in beneficiis simplicibus &

inferioribus, quae simul haberi queunt, quando Beneficarii praesentiam non postulant. Et consuetudo in ceteris beneficiis maioribus ius commune non aboleuit, cuius modi sunt, quibus inest cura animarum, vel quae dignitatem ac personatum habent, vel qui Canonicatus, vel Portiones in ecclesiis Cathedralibus, vel Collegialibus vocantur: haec enim simul obtineri non possunt: eo quod Beneficiarius in sua ecclesia commorari & residere perpetuo debeat: nec vnquam ius permittit, ut qui haec beneficia obtinuit, absit ab ecclesia. Mibi secunda sententia magis probatur, quamuis consuetudo excusationem det, si duo beneficia simplicia, quis simul habeat: non impedit, quo minus dicamus e iure communi simul posse haberi non posse.

Tertio queritur, An quando vnus ex beneficiis simplicibus & inferioribus ad vitam Clerici non sufficit, possit cum altero haberi absque villa Romani Pontificis vel episcopi indulgentia? Ratio dubitandi est, quod in cap. si Proponente, de rescript. aperte statuitur: Si imperator rescriptum Pontificum ad beneficium aliquid obtinendum proposuerit se nullum beneficium adeptum, cum tamen haberet vnusquamvis exiguum, creditur rescriptum per fraudem obtinuisse, & proinde nullius esse momenti. Et in cap. si Motu proprio de praben. in 6. clare decernitur: Quaecumque beneficium habeat impetrans a Rom. Pontif. rescriptum ad beneficium aliud obsequendum, nisi de illo, quod habet, quamuis minime mentionem fecerit, subreptitias literas obtinuisse eo ipso videtur, & cap. non potest de praben. in sexto: Non potest dispensatio super pluralitate beneficiorum concessa impetranti prodesse, qui aliquid quantumcumque modicum beneficium subicit in eadem.

Ex altera parte videtur hoc non obesse, quia modica non solent nocere. Nam in cap. Esq. quaestiones de Simonia. & cap. Iudices 1. quae 1. res modica Simoniae habentem non maculat. Item cap. Bona rei, 12. quae 2. Damnum exiguum facile toleratur, cap. Terrulas 12. quae 11. Modica potest episcopus alienare. Et l. scio ff. de restitucio in integrum. Pro modico restitucio non datur, nec pro modico datur actio de dolo, l. Si oleum ff. de dolo. & l. 1. ff. de ventris infirmitate: Modicum si omitteretur, non nocet. l. si quis conduxerit, & l. Habitatores ff. Locati. omne modicum siue auget, siue diminuat, non potest abieci haberi debet. Respondeo, in iis, in quibus Canones, vel leges & iura constituunt, modicum pro non abieci habendum, nihil nocere si taceatur: at vero quando expressim decernunt, de modico fieri mentionem debere, eius est mentio facienda. Ac propterea cum litterae Apostolicae a Romano Pontifice impetrantur ad beneficium consequendum, si is qui impetrat, modicum beneficium habeat, eius debet facere mentionem, quoniam sic Pontifices constituerunt in cap. si proponente, & cap. si Motu proprio citatis.

At veto in eodem capitulo, si Motu proprio, decernit Pontifex in hunc modum: Si motu proprio alieni beneficium aliquid obtinenti conseruatus aliud de illo non facta mentione, non ob hoc gratiam huiusmodi, quae de mera liberalitate processit, inualidam volumus reputari. Secus si ad petitionem illius, vel alterius pro eodem oblatam, gratiam huiusmodi faciamus: tunc enim quantumcumque modicum beneficium capiasur, in eo ipsam, veluti subreptitiam, vires nolimus obtinere. Haec ibi.

His positus ad quaestionem propositam respondeo. Quaecumque beneficium simplex tale non est, ut Beneficiarius in Ecclesia residere consuetudine & statuto non debeat, si vitae Clerici non sufficiat simul cum alio, dummodo vtrumque assiduam Beneficarii praesentiam non possit, haberi potest, sine vlla alia Iuris relaxatione: quoniam vt nuper adinoui, quamuis ius commune horum beneficiorum pluralitatem vetet, iure tamen ipso, aut saltem recepta generatim consuetudine introductum est, ut duo huiusmodi beneficia haberi simul queant.

Si oblicias, non solum ius Canonicum, sed etiam naturale prohibet, quo minus quis duo simul beneficia habeat: ergo consuetudo non potest derogare iuri naturali, tametsi iuri Canonico detoget. Respondeo, quando vnus

ius naturale vetat, ne alterum simul in eum conferatur, ut dicitur in *inferius*: at quando non sufficit iure naturali non censetur beneficium, eo quod modicum pro nihilo habeatur, quamvis iure Canonico quodlibet beneficium etiam tenuis & exiguum pro beneficio habeatur: vnde consuetudo in hac parte iuri Canonico, non naturali derogat. Quare Concil. Trid. *sess. 24. cap. 17. de reformat.* statuit, ut in *posteriorum unum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem si ad vitam eius, cui conferatur honeste sustentandum non sufficit: liceat nihilominus aliud simplex beneficium, dummodo verumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.* Sic ibi.

Arcaem Romani Pontifices voluerunt, ut haberetur in *cap. Proponens, c. cap. Si motu proprio, cap. Non potest, supra citatis.* ut is qui beneficium simplex, quamvis modicum obtinet, cum libellum supplicem Pontifici offert, in quo petit rescriptum ad aliud beneficium assequendum, de beneficio modico, quod habet, mentionem faciat.

Si secundo quæras, An si Clericus rescriptum à Romano Pontifice ad beneficium consequendum, dixerit se esse pauperem, non tamen expresserit beneficium modicum, quod habet, dolose rescriptum impetrasse videatur? Respondeo, cum *Glossa in cap. Si proponens, rescriptum dolose impetratum intelligi, quia in eo ea. Pontifex expressim aut fieri mentionem oportere de beneficio modico, quod quis habet.*

Quæres tertio, An idem iuris sit de eo, qui tacet, quod de eo, qui mentiendo negat se vllum habere beneficium? Respondeo, cum *Glossa in cap. Si motu proprio, idem plane iuris esse: quamvis quidam, ut *Glossa restatur, id negant, afferentes, eum qui mentitur, fraudulenter litteras impetrat, tacentem vero minime. Cæterum, quia iura nihil distinguunt, nec nos distinguere debemus.**

Quarto quærat quis, An eadem ratio sit de eo, qui per ignorantiam vel obliuionem, & de eo, qui ex industria, & per dolum tacet? Respondeo, cum *Glossa ibidem, eandem esse rationem: quamvis Goffredus, & alij oppositum sentierint, nam, ut recte *Glossa notauit, iura in vniuersum statuerunt, eum qui tacet, dolum ac fraudulentum haberi.**

Quæres quinto, An si Romanus Pontifex alicui beneficium concedat motu proprio, non facta mentione de beneficio quæ ante obtinebat, tanta & firma habeatur humilissimi adeptio? Ioannes Monachus, *ut ait *Glossa ibidem* sentit irritam esse: secus vero de eo iudicandum, cui Pontifex Motu proprio beneficium confert, vnum tantum habente: eo quod nimiam beneficiorum multitudinem Canones execrantur. Sed oppositum, ait *Glossa, est constitutum in *Clem. Si Romanus, de præben. vbi sic habetur.***

Si Romanus Pontifex de beneficio alicui Motu proprio provideat, de beneficio quæ obtinet, non habita mentione: provisionem seu gratiam huiusmodi fore validam declaramus qualiacumque fuerint beneficia, dignitates aut personatus cum cura, vel sine cura, & in numero quantumcumque habebat, cum sibi provisio facta fuit. Hæc eo loco.

Sed animaduertendum est, ex *Glossa, litteras huiusmodi Pontificis debere expressim continere verba significantia Motum proprium, quibus solet Pontifex uti nempe: Nos Motu proprio: c. ex certa scientia, & quæ deinde sequuntur. Item, hæc verba: Motu proprio, non faciunt competentem beneficiorum eum, qui alioqui beneficia vnum vel plura obtinebat contra Canones, & iura absque vlla relaxatione Canonum: veluti, si Titus, spurius, vel legitimam ætatem, vel debita litteratura non prædius beneficium obtinebat absque vlla Principis indulgentia, non propter ea sit capax illius, quia Pontificum rescriptum Motu proprio obtinet, ad aliud beneficium consequendum: hæc enim verba *Motu proprio, vltra ipsius Pontificis animum, & voluntatem non tribuunt facultatem aut Canonis relaxationem.**

Quarto quæritur, An si ab Archiepiscopo, Episcopo, Abbate, Archidiacono, vel alio quolibet Ordinario, cuius

sit beneficium conferre, Titius beneficium impetrat nulla facta mentione prioris beneficii modici, & tenuis, quod habebat impetratio subreptitia censetur? Archidiaconus, in *cap. ult. de officio Legati in sexto, affirmat esse subreptitiam. Cæterum oppositum constat ex vltimis verbis Clementinæ, Et sicut Apostolica, de officio Iudicis ordinarij, vbi dicitur: In alijs tamen quibuslibet collationem beneficiorum habentibus hoc volumus obseruari. Et idem iuris est, si quis beneficium impetrat ab ijs, quibus ius & potestatem conferendi Ordinarius delegavit, ut ait *Glossa ibidem.**

Hoc autem totum, quod in ea Clementina decernitur, locum habet, quando secundum beneficium est cum primo alioqui iure compatibile, & quando quis primum iura conscientia possidet: alioqui enim adeptio secundi, nullus est momenti, ut habetur *cap. Ordinarij, de offic. Iudic. ordina. ad finem, vbi sic est: Aliiter autem de personatibus, dignitatibus & beneficijs talibus facta collatio, nullius penitus sit momenti. Sic ibi. Tunc enim, quod si non subsistit: non quia prioris facta mentio non fit, sed quia secundum cum primo sociabile, & compatibile non est, ut *ibidem *Glossa* annotauit.**

Quinto quæritur, An si Titius impetret beneficium à Cardinali Legato Romani Pontificis, nulla facta mentione prioris, quod obtinebat, impetratio subreptitia habeatur? Respondeo, subreptitiam esse, *cap. ult. de officio Legati in 6. vbi dicitur: Collatio beneficij per Legatum, iudis Apostolica tibi facta, nullius momenti existit, si in ea non fuerit habita mentio de alio beneficio, quod primitus obtinebat. Idem reperitur in *Clemen. Et si Apostolica, de officio Ordinarij. Quæres, An fieri mentio debeat primi beneficii, quod quis habet, etiam si modicum sit? Respondeo debere, sic *Archidiaconus, & ceteri in eod. c. ult.***

Sexto quæritur, An si legatus proprio Motu, & hoc expresse in ipsis litteris concessionis, Titio beneficium vnum habenti, secundum conferat nulla facta mentione prioris: gratia concessa subsistat? Dux sunt opiniones, Prima negat, collatum beneficium vllius momenti esse. Sic Archidiaconus, Paulus, Ioannes Monachus, Lapus & alij in *cap. ult. de off. Legati in sexto. eo quod vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus.*

Sed ius generatim constituit in eo capite impetrationem beneficii per Legatum collati, & concessi non valere, nec distinguit sine Motu proprio beneficium collatum, an precibus petentium. Deinde, quia in *c. Si Motu proprio, de præben. in 6. vlt. speciale Romani Pontificis privilegium statuitur, ut impetratio beneficii motu proprio ipsius collati valeat, etiam nulla primi beneficii mentione facta: ergo secus est de impetratione beneficii per Legatum concessi.*

Secunda opinio affirmat, beneficii adeptionem esse ratam & firmam. Sic Ioannes Andreas, Ancharianus, Cardinalis, Imola, Bonifacius in *Clemen. Et si ab Apostolica, de officio Ordini.* Sic etiam Geminianus & Francus *c. ult. de officio Legati in sexto: Et hæc sententia est verior: ius enim capite illo collationem, quam vocat per Legatum factam, irritam esse voluit vitio impetrantis, qui primum beneficium tacuit, non autem culpa, vel vitio Legati, qui contulit.*

Septimo quæritur, An quando beneficium simplex, quod Beneficiarij presentiam non requirit, Clerico honeste sustentando sufficit, possit cum alio simul haberi sine vlla Romani Pontificis indulgentia, quæ dispensatio dicitur? Solutio huius quæstionis constat ex responsione ad secundam quæstionem. Nam si pluralitas huiusmodi beneficiorum iure communi & naturali permittitur, nulla esset opus iuris relaxatione: at quia iure communi interdicta est, & iure naturali damnata, eget. Respondeo itaque non posse simul haberi absque iuris debita relaxatione: quod videtur colligi ex Concilio Tridentino, *sessione 24. capite decimo sexto de reformat.* Concedit enim, ut si vnum non sufficiat, possit alterum conferri: ergo à contrario sensu, si vnum sufficit, alterum simul

haberi

haberi non potest. Atque hoc quidem ante Concilium Tridentinum, Canones & iura ipsa sancierant, nam *c. Irani, de proben. in 6.* dicitur: *Is, cui conceditur auctoritate Apostolica, ut possit uni personae idoneae providere in sua vel alia Ecclesia, alicui aliud beneficium sufficiens obtinere, providere non potest, nisi primo ille beneficium, quod obtinet, omnino dimittat.* & *cap. Postulasti, de referi.* ait Pontifex: *Pro habente beneficio sufficiens subsidium, ex certa scientia super obtinendo alio beneficio, de laici non scribimus, quin faciamus de primo in nostris litteris mentionem.* Idem etiam constat ex *ca. Cum ad eo, de refer. c. Cum tenemur, de proben.* cum dicitur: *Si mandatum nostrum pro alicuius provisione receperit, qui aliud beneficium habeat, quo valeat commode sustentari, nisi forte in litteris ipsis de hoc mentio habeatur: aut si non potes sine scandaloprovindere, aequanimiter sustinemus, si pro eo mandatum nostrum nondum duxerit exequendum.* Sicubi.

Octavo quaeritur, Quod beneficium censeatur vitæ Clerici sustentandæ sufficiens? Hanc quaestionem posuit Glossa in *ca. Clericus, c. ca. Clericum 21. q. 1. c. Conquerente de Clericis non resident. in verb. Sufficiens.* sed eam optime non dissolvit in *cap. Cum a deo, de refer. eodem verbo.* dicens, illud beneficium sufficere Clerico sustentando, quod ipsi, & suis sufficit, *cap. student. dist. 50. ad finem.* Ita tamen, ut ex beneficii fructibus possit hospites, aduenas, & peregrinos hospitio excipere, & Episcopalia iura persolvere, *cap. de Monachis, de prob. c. ca. Sicut, de supplen. neglig. Pralatorum.* Item haberi debet ratio nobilitatis. nam ut dicitur in *c. Non cogatur, dist. 41. Divites non sunt cogendi pauperum cibis vesci: sed utantur consuetudine infirmis aut sua, si consuetudinem mutant, egrotant. si utantur superfluis, dent tamen inopibus necessaria: si utantur preciosis, dent pauperibus vilia.* Habenda est præterea ratio scientiæ & litteraturæ: nam in *c. De multa, de prob. dist. 2. c. 13.* statuit, & litteratos homines honorandos. Habetur quoque ratio dignitatis. *l. 1. §. In honorariis, ff. de varijs c. extraordinarijs cognitionibus, c. l. Sed c. si quis, §. 1. ff. De v. s. fructu.*

Nono quaeritur Speciatim, quod beneficium cuius Clerico ad vitam sufficiens censeatur? Hanc quaestionem cursum tractavit Maior. in *4. dist. 24. q. 18.* & fufius explicuit Navar. *tract. de oratione, Miscellanea 16. tit. 7.* Quidam affirmant, Parisijs anno fal. 1218. Theologos pariter & Iurifconsultos in vnum contenuisse, quorum iudicio statutum est, beneficium reddens annuus quadraginta quinque aureos, ad vitam Clerici sufficere. Fortassis tunc huiusmodi proventus satis erat, quamvis nunc non item. In Concilio Trid. *sess. 21. c. 11.* constitutum est, ne quis ad sacrum Ordinem promoveatur iure & ratione beneficii, nisi illi ad vitam honestum sufficiat. At *sess. 24. c. 13.* statuit, ne Cathedralis Ecclesiæ, quarum redditus summam mille aureorum, & Parochiales, quarum proventus summam centum aureorum non superant, pensionibus onerentur.

Navarrus loco citato sic beneficia taxat: *Si Beneficiarius sit infirma sortis: sufficit ei beneficium, ex quo se, & vnum famulum, coquum, & equum sustentare queat, & domicilium ad habitandum necessarium conducere. Si sit bona litteratura, præsertim Doctor, vel Licentiatas: sufficit ei beneficium, ex quo alat se, & duos famulos, & coquum, & equum pro more patriæ. Si Beneficiarius sit nobilior, satis est beneficium, ex quo alat se, & tres quatuorve famulos, & equos duos, & domicilium conducatur.* Et ita iudicat de cæteris dignioribus beneficijs. Maior vero, loco citato, Episcopo sufficere dicit: si ex suæ Ecclesiæ fructibus duodecim aut quatuordecim famulos sustentare queat.

Si quaeras, quot equos possit Episcopus habere, & alere: Profecto, tota hæc res arbitrio prudentis & boni viri definienda est, habendaque ratio loci, temporis, personæ, Ecclesiæ, & aliarum circumstantiarum. Personæ quidem, si nobili illustriue genere sit, si eximie litteraturæ: si firmæ item sit vel inbecillæ valetudinis: si in Reipublicam Christianam multa beneficia contulerit: Ecclesiæ vero, ut si beneficium sit in celebri, insigni, & illustri Ecclesia constitutum: loci, veluti si in vrbe, vel

oppido insigni, vel in castris, pagis, aut villis, in Regione, vel Provincia vbi penuria est annonæ, & aliorum quæ sunt vitæ necessaria. Consideranda item est ipsius beneficii qualitas atque conditio. Victus etiam nomine intelligitur omne id, quo Beneficiarius eger ad se, & familiam suam honeste sustentandam; cuiusmodi sunt cibus, vestitus, habitatio, & ea etiam quæ ad morbos curandos sunt necessaria.

Familiæ appellatione veniunt famuli, parentes, fratres & sorores egentes, Si quos item Beneficiarius habet filios ex legitimo matrimonio ante beneficium susceptos, immo et si culpa sua quos habet spurios, quibus æquitate Canonica alimenta debentur: Si quos item nepotes, aliove consanguineos haberet indigentes. Præterea Beneficiarius equo vitæ potest aliorum more Beneficiorum par conditionis. Idem est iudicium de episcopis, & alijs superioribus. Idem quoque de Cardinalibus.

Decimo quaeritur, Quibus ex causis Canones & Iura concedant beneficiorum pluralitatem, etiam eorum que alioquin incompatibilia dicuntur? *Glossa in c. Dudum 2. de elect. verbo (Insultatus) c. 1. q. 1.* in summa omnes causas recenset. Prima est, quando beneficia, vel ecclesiæ tenens & exiguos proventus habent, *cap. vno, l. 10. q. 3.*

Si quaeras, An hoc locum etiam habeat in beneficijs, quæ Beneficiarij præsentiam requirunt, quamvis sint Parochialia, aut dignitate prædita? *R. spondeo, cum Soto l. 3. de iust. quaest. 6. art. 3. conclus. 3.* in primo casu. Immo si ecclesiæ Cathedralis exiguos proventus haberent, ac ita essent sibi coniunctæ & annexæ, ut ab vno Episcopo commode gubernari possent, Rom. Pontif. concessit Episcopus possit vtrique ecclesiæ Cathedrali præesse: nam *cap. 11. l. 2. quaest. 1.* conceditur, ut idem sit Archiepiscopus Tarreconensis, & Funderis Episcopus. Secunda, quando vnum beneficium est alteri coniunctum, vnitum, siue annexum. *c. Eam te, de asate c. qualitate, c. c. Extirpanda, de prob. Tertia, quando Clericus minime aptus & idoneus inuenitur. *cap. Clericus, 21. quaest. 1. ad finem.* Quarta: quando vnum beneficium iure & ratione tituli confertur, alterum vero tantummodo commendatum. *c. Quis plures 21. q. 1. c. Dudum 2. de elect. Quinta, quando vnum beneficium curam animarum actu habet, alterum vero habitum tantum & potestatem. *Glossa in c. licet Canon, de elect. in sexto* ut si ex Parochia discesserint Parochiani ob æris cælive intemperiam, aut soli sterilitatem. Sexta quando ratione consuetudinis duo simul beneficia possidentur, hoc locum habet, si consuetudo iuri tantum Canonico, non naturali repugnet. Septima, ratione iustæ & debitæ indulgentiæ, hoc est, auctoritate superioris, qui ius relaxat, ut si Rom. Pontifex aut Episcopus concedat alicui duo beneficia, vel ecclesiæ *ca. sanctorum, dist. 70.***

Vndecimo quaeritur, An quando ius concedit, ut vna Ecclesia iure tituli habeatur, altera vero commendata tantummodo, locum habeat in Ecclesijs quæ tantum commendantur ad tempus, non in perpetuum? Animaduertendum est: olim cum suis rectoribus viduatae erant Ecclesiæ, accidebat aliquando, ut electio pastoralis diutius protraheretur quam par esset: quo fiebat ut Ecclesiæ commendarentur alicui ad sex menses, dum interim idoneus eligeretur: qui si intra sex menses spatium non eligebatur, iterum Ecclesia commendabatur ad alios sex menses. Et quamvis quidam immerito sentiant, duo beneficia haberi non posse siue iusta & debita indulgentia, etiam si vnum sit iure tituli collatum, alterum commendatum ad tempus: dubitari non potest, quin ipsa iuris cessione simul obtineri queant, etiam si Parochiales Ecclesiæ sint, imo etiam Episcopatus. nam in *s. Quis plures supra citato*, hoc aperte sancitum est, nec immerito, nam commendare idem est, quod deponere apud aliquem. *Commendare, ff. de verb. signif. c. l. Lucius, ff. de positi.*

Accedit, quod is cui Ecclesia commendatur ad tempus, Beneficiarius iure non censetur, nec obitu ipsius beneficium commendatum vacat, sed morte illius, qui iure &

ratione tituli obtinebat, nam Commendatarius ius in beneficio non habet, *ut ait Mandos. in reg. Cancell. 32. quæst. 7. in princip. de benef. vacantibus. per obitum familiar. Card. neque fructus sibi acquirit, sed successori referuat, & de eis rationem reddere debet, tantum sumit sibi, quod est necessarium ad eius honestum victum, tanquam sui laboris mercedem; & curæ debitæ stipendium, ut Glossa notavit in cap. nemo deinceps. de elec. in sexto.*

Verum dubitæ & incertæ quæstionis est; An aliquis etiam citra ullam iuris relaxationem duas habere possit Ecclesias: vnam iure tituli collatam, alteram commendatam in perpetuum? Ratio dubitandi est, quia in Concilio Tridentino sess. 7. c. 4. & sess. 24. c. 17. id videtur esse prohibitum. At ex altera parte in c. Qui plures 21. q. 1. supra citato videtur esse permissum, quod ius commune antiquum non apparet esse correctum decretis Concilij Trid. sess. 7. c. 4. & sess. 24. c. 17.

Sciendum est id quod olim fieri solebat, vt Ecclesiæ quibusdam commendarentur ad tempus, multo ante Concilium Tridentinum fere in desuetudinem abiisse: ita vt Ecclesiæ cæperint commendari in perpetuum, hoc est, ad vitam eius, cui commendantur. Synodus Tridentina sess. 7. cap. 4. de reformat. sic statuit: *Quicumque de casibus plura curata, aut alius incompatibilia beneficia Ecclesiastica, sive per vitam vntionis ad vitam, seu Commende perpetua, aut alio quocumque nomine et titulo contra formam sacrorum Canonum, & præsertim Constitutionis Innocentij 111. qua incipit: De multa, recepta, in simul retinere presumpserit, beneficiis ipsi, iuxta ipsius Constitutionis dispositionem, ipso iure, etiam presentis Canonis vigore priuatus existat, & cess. 24. cap. 17. statuitur, vt qui plures Parochiales Ecclesias, aut vnam Cathedralis et Parochiales obtinent, cogantur omnino quibuscumque dispensationibus, ac vntionibus ad vitam non obstantibus, vna tantum Parochialis, vel sola Cathedralis retenta, alias Parochiales infra spatium sex mensium dimittant. Hac ibi.*

Sunt qui sentiunt hæc Concilij decretis esse prohibitum, ne quis plura simul beneficia incompatibilia habeat commendata, non tamen vetitum esse ne quis habeat vnum nomine & iure tituli, alterum commendatum, etiam in perpetuum. Ego tamen puto nec duo beneficia commendata in perpetuum, nec vnum iure tituli, alterum commendatum in perpetuum posse simul haberi sine iuris relaxatione, quando aliqua sunt beneficia ipso iure incompatibilia. Hanc sententiam videtur habere Nauar. in Manua. c. 25. n. 125. & habent ij quoque Auctores, quos inferius citabo.

Dubium autem est, An hæc beneficiorum commendatio perpetua fuerit præter sacros Canones, & vetera iuris decreta & sanctiones introducta? Nam ex c. Qui plures 21. q. 1. beneficia, & ecclesiæ tantum commendabantur ad tempus, nimia tamen hominum ambitio commendationes beneficiorum perpetuas in ecclesiis inuexit. Nam cum duo iure tituli haberi non possent, vnum tamen ratione tituli, alterum commendationis posset, excogitatur nouam rationem habendi, perpetuo plura beneficia, vnum videlicet iure tituli, alterum iure commendationis ad vitam, vel perpetuæ administrationis, ita vt vnus & idem duos Episcopatus haberet, qui vnus quidē esset Episcopus, alterius vero perpetuus administrator, & veluti Curator, vel Tutor, vel plures Abbatis, aut Prioratus commendatos.

Existimo itaq; Concilij sensum esse: vt nemo duo simul beneficia habeat commendata, aut vnum iure tituli, & alterum commendatum in perpetuum, quia hoc cum iure pugnat. Nam si contra ius commune id non esset, Episcopi auctoritate fieri posset, vt vnus iure tituli vnam Ecclesiam Parochialem, vel vnum beneficium, Beneficarij præsentiam requirens haberet, & alterum iure commendationis perpetuæ, quod reuera Episcopus iure non potest, vt ait Nauar. in Manua. c. 25. n. 126. Item, cui commendatur in perpetuum Ecclesia, libere de fructibus sta-

tuere potest more eius, cui iure tituli Ecclesia confertur. Accedit, quod commendatio, siue ad tempus, siue perpetua, non mutat beneficij statutum aut conditionem, ac proinde beneficium commendatum retinet curam animarum, residentiam, incompatibilitatem, & alia onera Sacren. de Visitat. lib. 2. c. 9. num. 10. Insuper Gomez. in Regul. de Idiomate. q. 5. & in Regul. de Trienna. possess. q. 5. n. 10. & seq. dicit: *Hodie Commenda perpetua inuincit incompatibilitatem. Mandos. in Regul. 32. q. 7. n. 2. ait: In commodis perpetuis locum habent iura de Titularijs loquentia: id probat ex Imola in Clem. 5. de Procurat. quæst. 1. n. 6. Etidem Mandosius in eadem Regul. 32. quæst. 7. n. 5. Commenda, inquit, perpetua inuincit incompatibilitatem, vel inter se, vel quo ad alia beneficia in titulum.*

Dices: is cui perpetuo commendatur Ecclesia, vel perpetuo administranda conceditur, residere iure non cogitur, nec beneficiarius, aut Prælati censetur, nam morte eius ecclesia suo possessore non vacat, sed obitu eius, qui eam iure tituli ante obtinebat: ergo nequaquam cum iure pugnat, vt quis habeat simul duas Ecclesias, vnam iure tituli, alteram iure commendationis perpetuæ: Respondeo, Commendatarium perpetuum residere debere in beneficio commendato, si illud aliqui iure Beneficarij præsentiam requirit, & partem refert, si aut Rector, aut Prælati dicatur, quia beneficium suscipit, cum oneribus ipsi beneficio annexis.

Objicies secundo, id passim fieri solere Romanorum Pontificum concessu. Cardinales enim, Episcopatus, Abbatias, vel Prioratus retinere solent nomine, & iure commendationis perpetuæ, vel administrationis ad vitam. Respondeo, eos id non facere sua auctoritate, sed Romani Pontificis indulgentia accedente: quia cum Papa ius Canonicum relaxandi habeat potestatem, eo ipso quod hæc gratia Cardinalium fecit, iuris Canonici rigorem remittit ac laxat. Præsertim cum id Romanus Pontifex non semper faciat, sed Cardinales sepe abdicant Episcopatibus, quos antea habebant, & illis Papa certas pensiones referuat.

Vndecimo quaeritur, Quibus de causis iura interdixerint pluralitatem beneficiorum? Respondeo, multis sane illis ac magnis. Primum, c. Clerici. 11. q. 1. quatuor recensentur causæ his verbis, *negotiationis enim hoc est, & turpis lucri proprium commodum. Secundo: Dominica voce auasimus: quod nemo potest duobus dominis seruire. Aut enim vnum odio habebit, & alterum diligit, aut vnum sustinebit, & alterum contemnet: ergo vnus duabus ecclesijs commode seruire nequit. Tertio, vnusquisque secundum Apostolicam vocem: in quo quis vocatus est, in hoc debet manere, ergo in vna ecclesia locari. Quarto, quæ propter turpe lucrum in ecclesiasticis reb. efficiuntur, aliena consistunt ab eo. In c. Sanctorum 70. d. Quinto alia est causa reddatur: In qua ecclesia quilibet intitulus est, in ea perpetuo perseueret: videlicet tanquam sponsus cum sponsa coniunctus. In c. Quia in tantum, de prob. dicitur esse ambitionis, vt quis duas, vel tres ecclesias simul habeat.*

Item, materia dissolutionis & euagationis, & quæ certum animarum periculum contineat, In c. Quia nonnulli, de Clerici non resid. dicitur, esse auaritiam, vt cum officium vix vnus implere commode possit, vnus multa simul obire non potest: & qui plura beneficia simul obtinet, stipendia sibi vendicat plurimorum. Tandem in Constitutione Ioan. 22. qua incipit Execrabilis, de proben. prædictæ omnes causæ coaccruantur: *Incer cetera, inquit, inconuenientia subscripta sequuntur, videlicet: interdum vnus, qui vnicum, quamuis modicum vix officium implere posset, plurimarum sibi stipendia vendicat, cum multis literatis vitæ pietate, ac testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, possent abunde sufficere, aqua distributione collata habentibus, ipsa paratur vagandi materia: diuinus cultus minuitur, hospitalitas in ipse beneficiis debita non seruatur: Et dicit non sicut suis in vnaquaque Regione Rectores, Ecclesiarum detrahatur commoditas, & bono*

ri, quæ carentes defensorum auxilio, in iribus suis & libertatibus multipliciter collabuntur, & ruinis patent adificia nobilitate quæ magnificentia extruxerat decessorum: & quod amarus est dolendum, animarum cura negligitur, & vitiorum sensibus momentum periculosè præbetur. Sic ibi.

Hæc omnes causæ impediunt, quo minus quis duo plurave beneficia possideat, quorum utrumque per se Beneficiarium residentem requirit. Earum aliquid etiam concludunt simplicia plura beneficia simul haberi nequire, quamvis Beneficiarius consuetudine, vel statuto residere minime cogatur: nam eo ipso multis alijs Clericis debita stipendia subtrahuntur, & vt Apostoli verbis vtat, vnus quidem esurit; alius vero ebrius est: & ex bonis Ecclesiæ, ex quibus, quod superest, in vsus pauperum erogari deberet, multi ambitiose & auide, nec sine multorum offensione ditantur, & epulantur, & viuunt.

CAP XI.

Alia quæstiones circa beneficiorum pluralitatem diluuntur.

PRIMO, quæ beneficia incompatibilia dicantur sub eodem tecto? Respondeo, idem esse, plura beneficia simul haberi in eadem Ecclesia iure autem communi vnus in eadem Ecclesia simul obtinere non potest duo plurave beneficia, siue dignitatem, aut personatum, aut curam animarum habeant, siue Beneficiarium residentem requirant siue secus, hoc est, siue beneficia simplicia sint, siue alia quælibet: vt colligunt Doctores ex cap. de multis, de præb. v. (Addentes) ex c. Litteras, de concess. præb.

Animaduertendum est, Beneficiorum in eadem Ecclesia alia dici similia, alia dissimilia. Similia beneficia dicuntur, duo Canonicatus, duæ Portiones, duo personatus, duo Præstimonium, duæ Capellanæ. Dissimilia vero vnus Canonicatus & Portio, dignitas vel personatus, & Canonicatus, vnus Præstimonium & aliud beneficium, cui inest cura animarum. Iure igitur communi, vt diximus, in eadem Ecclesia duo beneficia simul haberi nequeunt, vt est constans omnium opinio in cap. Litteras, de concess. præb. & Clem. Gratia, de rescr. Iure itidem communi difficilius est simul habere duo beneficia in vna eademque Ecclesia, quam in diuersis. Vnde cui per Romanum Pontificem conceditur, vt duo beneficia simul possit obtinere, non ei concessum intelligitur, vt in eadem Ecclesia duo beneficia similia simul obtineat, etiam si fuerint simplicia. Anchar. in c. permittimus, de atat. & qualis. & Felin. c. in nostra illatione 3. de rescr. Nec valet consuetudo, vt quis in eadem Ecclesia habeat duo beneficia similia. Gloss. in cap. litteras, de concess. præb. in verb. ex consuetudine. Nam difficilius conceditur alicui, vt in eadem Ecclesia duo similia beneficia simul obtineat, quam dissimilia, eo quod in quibusdam Ecclesijs est consuetudine introductum, vt is, qui dignitatem, vel personatum habet, patiter quoque in eadem Ecclesia obtineat Canonicatum, quam consuetudinem Canones minime damnant, vt constat ex Gloss. in c. 1. de consuetud. in 6. in verbo: Nisi vnicum. Nam idem est Archidiaconus, & Canonicus in eadem Ecclesia, cap. Eam te, de rescr. Idem Episcopus habet præbendam in eadem Ecclesia. cap. Cum in Ecclesia, de præb. in 6.

Secundo quæritur, An ius solum prohibeat, ne quis habeat in eadem Ecclesia duo, plurave beneficia similia, An vero, etiam ne habeat dissimilia? Abbas in consl. 926. volum. 2. dub. 2. num. 1. censet solum iure esse prohibitum, ne quis habeat duo beneficia similia & conformia. Sic etiam Felin. in c. Ex parte, de concess. præb. num. 30. Lapus in Allegat. 116. n. 5. Milis in Repertorio, in verbo, beneficia plura, vel præbenda ad finem, Rebus in Prax. beneficio. tit. de non promissis intra annum. n. 67. & in cord. in Rubric. de Mandat. A. postol. p. 1. §. 1. Probabilis est opinio. At Innoc. in c. Cum iam dudum de præb. & Gloss. in c. Dudum 2. de elect. sentiunt, generatim esse interdictum, ne quis habeat duo beneficia in eadem Ecclesia, siue similia, siue dissimilia. Sic etiã Man-

dos in Signatura gratia sit. Dispensatio ad beneficia sub eodem tecto, vers. Ad duo beneficia. Hæc est probabilior sententia. Et Auctores primæ opinionis puto solum docuisse, consuetudine introduci posse, vt quis sub eodem tecto habeat duo beneficia dissimilia, non tamen, vt habeat duo similia.

Tertio quæritur, An primum beneficium simplex ipso iure vacet, si quis obtineat secundum simile in eadem Ecclesia? Respondeo, vacare. Sic Abbas, & Cardin. in c. Litteras de Concess. præb. quod probant ex ipso textu in c. Litteras citato, ad finem, Glossam Clem. vlt. de præb. in verb. Hoc ipso, & id probat ex ipso textu Clementine, Lambertini. trati. de iure patron. 1. par. lib. 2. qu. 7. ar. 15. n. 1. Rebuff. in concordat. Rubric. de Mandat. Apost. §. 1. in verbo Ita tamen.

Quarto quæritur, An Episcopus dispensare queat, vt quis simul habeat duo beneficia in eadem Ecclesia? Communis est sententia, si beneficia sint similia, non posse Episcopum dispensare, nimirum, vt quis habeat duos Canonicatus, vel duas Portiones. Glossa in Clem. vlt. de præb. in verbo, vocabis, Abbas Inno. Ioan. Andreas in c. Litteras, de Concess. præb. & ibid. Imola.

Sed dubitæ quæstio est, An hoc solum habeat locum, quando beneficia similia sunt; ita vt possit Episcopus dispensare, vt quis habeat simul in eadem Ecclesia duo beneficia simplicia dissimilia? De hac quæstione plenius agam c. proxime seq. q. 6. nunc breuiter: Panormit. Felin. Lapus & Rebuff. qui sentiunt non esse iure prohibitum, vt quis habeat in eadem Ecclesia duo beneficia dissimilia, vt dicit q. 3. docent auctoritate Episcopi id concedi posse. Siquidem ius commune non prohibet. At Innoc. & Gloss. & Mandos. qui dicunt, iure communi interdictum esse, ne quis habeat duo beneficia simul in eadem Ecclesia, siue similia, siue dissimilia, fortassis dicent id auctoritate & dispensatione Episcopi concedi non posse: quia ius commune prohibet, nec Episcopo dispensandi facultatem concedit. At cum opinio Panormitani sit probabilis, vt dicit q. 2. videtur quoque probabile se auctoritate Episcopi concedi posse, vt quis in eadem Ecclesia, simul habeat duo beneficia simplicia dissimilia.

Quinto quæritur, An beneficiorum pluralitas non solum iure communi sit interdicta, sed etiam naturali iure damnata? Multum refert scire, sit necne beneficiorum pluralitas iure naturali damnata. Nam si ius naturale, non tantum Canonicum eam prohibet & damnat, superioris certe indulgentia etiam Romani Pontificis, concedi nequit, vt plura simul beneficia quis habeat, sine iusta & rationabili causa. Consuetudine item, vt ait S. Thom. Quod lib. 9. ar. 11. fieri nequit, vt aliquis plura simul beneficia habeat absque legitima superioris indulgentia, quia consuetudo contra ius naturale vel diuinum non valet: ita vt duo sint necessaria, & Superioris auctoritas, qui ius remittat ac relaxet: & iusta ac debita causa, qua iuris rigor remittatur. Quidam asseruerunt in hac parte Theologos à iuris Canonici Consultis dissentire eo quod opinentur hi, beneficiorum pluralitatem iure solum Canonico prohiberi: cum tamen Theologi sentiant iure quoque naturali damnari.

Cæterum, id mihi non placet: quoniam multi, etiam iuris Canonici periti, imo ipsa iura scripta ratione naturali concludunt, eidem plura simul beneficia conferti non posse, quando vnus sufficit ad Clericum commode sustentandum, quoniam sic stipendia, & alimenta plurimis subtrahuntur, & quidam plus quam par est, ditantur, & abundant, alij vero destituuntur, & egent, & mendicant, alioqui boni & idonei Ecclesiæ ministri. Et nonnulli etiam Theologi senserunt, iure naturali non prohiberi quempiam simul habere duo beneficia simplicia, quæ Beneficiarij præsentiam non postulant. Denique, vt vult S. Thomas Quodlib. 9. ar. 15. dixit. Inueniuntur in hac quæstione Theologi Theologis, & Iurisperiti Iurisperitis contrarij. Conuenit tamen inter omnes iure naturali prohiberi, ne quis plura simul beneficia obtineat, quæ iure li-

uno affiduam Beneficentiam requirunt; cuiusmodi sunt Episcopatus, & Parochiales Ecclesie. Nam eo ipso quo quis Rector, ac Pastor Ecclesie praeficitur, in ea commorari, ac residere, iure diuino compellitur, quonia huiusmodi cura non committitur, & beneficium non conferretur, nisi ut Clericus suo munere & officio per se ipsum fungatur; eius enim industria, prudentia, diligentia, & probitas deligitur, cum ei tale beneficium conceditur. Solum illud in quaestione vertitur, An quando beneficium, vel Clericum residentem non postulant, vel solum iure tantum Canonico id possunt, cum iure naturali pugnet, ut quis simul obtineat duo huiusmodi beneficia, qualia sunt simplicia, ut Praestimonium, Clericatus, Canonatus, Portiones, & ea quae dignitate & personatu sunt praedita, sed sine cura animarum. Nam cum beneficia incompatibilia esse dicantur ob eam causam, quia in ipsis Beneficentibus residere cogatur; inde fit, ut si tale onus Beneficentibus non incumbat, aut si quidem, sed iure tantum Canonico incumbat, simul haberi queant, ita ut opus non sit iuris naturalis relaxatione, sed tantum iuris Canonici, quod vel Beneficentibus praesentiam requirit, vel saltem incompatibilitatem plurium Beneficentium constituit.

Duae sunt opiniones Doctorum; Vna negat, in his beneficiis pluralitatem esse iure naturali damnatam. Sic Innocentius. Ioan. Andreas, Goffredus, quos citat, & sequitur Cardinalis in *c. Gratia, de refer. in 6.* eo quod in his beneficiis lex residendi iure naturali praescripta non sit, sed tantum iure Canonico. Altera opinio affirmat, quam sequuntur multi à Theologis, & mihi quidem sufficit, vel vnius S. Thomae Auctoritas. *Quodlib. 9. ar. 10.* quem ut Magistrum sequitur *Sotus lib. 3. de iust. q. 6. art. 3.* & cuius sententiam ex iuris Pontificij consulti Hostiensis, Ioannes Linguanus, Panormitanus, Geminianus, Ancharanus, & alij iuniores videntur amplecti.

Sciendum est, Dionysium Richelium, Monachum Carthusianum, librum edidisse, quo beneficentium pluralitatem damnat. Hic Auctor. *ar. 7. eius libelli* refert anno 1270. Episcopum quendam Dominicani instituti Parisijs commoratum fuisse, vbi tunc Gulielmus Episcopus Parisiensis, in Cenobio Praedicatorij familiae conuentum multorum Theologorum, & Iurisperitorum habuit, quorum omnium vna fuit sententia, duo beneficia quamuis simplicia simul haberi non posse, quando vnum eorum Clerico commode sustentando sufficit. Quibus contradixerunt duo, Philippus Cancellarius Parisiensis, & Magister Arnaldus Episcopus Ambianensis. E quibus prior ille cum multa beneficia simul haberet, & morti vicinus à Gulielmo moneretur, ut vno retento, caetera deponeret. Respondit, se experiri malle, an lethale peccatum committeretur in multis beneficiis simul habendis: & ita excessit à vniuersis. Tertio ab obitu die ab eodem Gulielmo visus est; cui dixit, se apud inferos aeternis supplicij torquenti ob tria crimina: Quod senserit pluralitatem beneficentium, vbi vnum sufficit, iure naturali non improbari; Et quod eorum fructus in vanos & malos vsus impenderet; & quod libidinis & luxuriae peccatis conscientiam maculauerit. Multa ibi Dionysius ex Gulielmo, S. Thoma Vidalico contra pluralitatem beneficentium in medium adducit.

Certe negari non potest, quin ius ipsum naturale in his quoque beneficiis pluralitatem damnet, vbi vnum Clerico satis est. Quis enim inficietur cum refectione pugnare, ut vnus duorum habeat stipendia, alimenta, praemia, & honores: at beneficia sunt instituta tanquam stipendia, vitæ subsidia, honores, & praemia Clericorum. Quis item iure neget, cum in vnum aliquem plura beneficia conferantur, Ecclesias debitis sibi priuari ministris, ac proinde plurium Clericorum opera, cura, diligentia, industria, & consilio, quibus maxime rebus indigent Ecclesiae? Quis non videat fundatores Ecclesiarum, & beneficentium, suo voto & voluntate fraudari, cum vnus par ef-

te non possit his officijs & ministerijs, quae duos, aut etiam plures in Ecclesia Clericos requirunt? Hinc diuinus cultus minuitur, hinc Ecclesiae collabuntur, hinc patet aditus ambitioni & avaritiae, hinc pericula diuitiarum & voluptatum, quae si in laicis sepius creantur, multo magis in Clericis: hinc offensiones aliorum, dum vident alios quidem immodice ditari, alios vero egere; cum tamen in commodum & bonum Ecclesiarum sint instituta, ut aequitate seruata, distribuerentur in singulos.

At dices, aliqua esse simplicia beneficia, ut praestimonium, in quibus Beneficentibus residere nullo iure coguntur, imo in quibus nec per se ipsos, nec per alios in sui locum substitutos seruire debent. Hoc argumento quidam iuris Canonici periti se premi arbitantes, dixerunt, in his saltem praestimonijs, qualia plurima sunt in Hispania, beneficentium multitudinem nequaquam naturali iure damnari, ac idcirco sola Rom. Pontificis voluntate & arbitratu posse in vnum, duo, tria, plurave conferri: quia in hoc nec ius ipsius naturale, nec Canonici uolunt, aut laxatur.

Ego tamen non video, cur in his quoque beneficijs pluralitas eum ipso iure naturali non pugnet, quando vnum beneficium satis est ad commodum Clerici victum: nam cum vni dantur plura: quod multis esset dandum, his subtrahitur. Accedit, quod haec beneficia, bona Ecclesiae sunt, ac propterea aequitatis ratione seruata, in singulos diuidenda. Adde his, quod isti Beneficentibus saltem diuini officij pensum in commune totius Ecclesiae bonum perfoluere coguntur: at cum in vnum solum multa conferuntur beneficia, Ecclesia fraudatur his precibus, quas alioqui multi recitarent. Iure Ciuili non permittitur, quis in duobus Collegijs adscribi, *l. 1. §. 2. Non licet. ff. de Collegijs illicitis*, nec duas malitias habere. *l. Is quidem, §. In posterum. c. Qui militare possunt, vel non possunt, lib. 12.* nec duos honores. *l. Liberatus, §. Praescriptio. ff. de Municipalem. de Incolis, l. ult. c. de Affectibus. l. Quisquis. c. de postulando.* Quare meo iudicio, legis naturalis est, ne quis duo simul beneficia habeat, si vnum sufficit ad Clerici victum. At quando vnum non sufficit, quia tenue & modicum est, siue prohibeat, siue non prohibeat Ius Canonicum, quo minus alterum habeat, ius naturale id permittit.

Sexto quaeritur, An consuetudine introduci possit, ut vnus plura beneficia simplicia simul habeat absque vlla superioris auctoritate, facta Iuris relaxatione? Duae sunt etiam opiniones: Afirmat prima, quam probat Innocentius, & alij superius nominati Auctores, eo argumento ducti, quod in his beneficijs pluralitas iuri naturali minime aduersetur, sed tantum Canonico: ac consuetudine ius Canonicum, vel ex toto, vel ex parte abrogari & aboleri potest. Quare secundum hanc sententiam vbi cumque fuerit receptum, ut quis plura praestimonia, vel alia simplicia beneficia simul habeat non est ea consuetudo, tamquam corruptela damnanda. Ita quoque sentiunt *Sotus lib. 3. de iustitia. qu. 6. art. 3. Conclus. 4. Nauar in Manuali c. 25. num. 125.*

Alter opinio negat. Ego cum S. Thoma *Quodlib. 9. ar. 13.* dicendum existimo: quatenus pluralitas beneficentium pugnat cum iure naturali, consuetudine fieri nequit, ut quis plura simul beneficia licite possideat. Nam ea consuetudo, contra ius naturale est: ut enim ante dixi, pluralitas in his quoque beneficiis, iure naturali damnatur, vbi vnum vitæ Clerici sufficit: ergo consuetudine pluralitas introduci non potest: quamuis ex ea parte, qua pluralitas beneficentium cum iure tantum Canonico pugnat, vigere consuetudo queat, ut vni plura beneficia conferantur.

Si roges: Quando iam iuri tantum Canonico, non naturali, consuetudo derogare credatur, si in his beneficijs pluralitas admittatur? Respondeo, ijs in causis, ex quibus fas est Superiori, ius, vel naturale, vel Canonicum laxare: cum videlicet duo huiusmodi beneficia vni dantur, eo quod eorum alterum Clerico minime sufficiat, aut plura etiam, quam duo, quia duo non sufficiunt: vel dantur plu-

ra vni ob nobilitatem, vel litteraturam eius insignem, *c. multa, de praben.* vel quando dantur ob egregiam eius virtutem, vel ob merita præterita, vel futura, quæ probabiliter sperantur in Ecclesiam, vel ob dignitatem personæ.

Septimo quæritur, An quis simul habere queat plura huiusmodi beneficia simplicia absque vlla dispensatione, & relaxatione iuris, sed sola Superioris voluntate & arbitrato? Quidam affirmant, id tunc fieri posse citra iuris relaxationem: cui sententiæ quidam Theologi recentiores subscripserunt.

Cæterum longe verior est Glossæ, Abbatis, Nauarræ aliorumque sententiæ *locus supra citatus*, ita distinguendum: Aut beneficium vnum Clerico sufficit, aut secus. Si primum, nequaquam potest ei alterum conferri sine auctoritate Superioris, qui ius naturale aliqua ex causa iusta, & debita relaxat: quia vt iam sæpe monuimus, lege & iure naturali pluralitas in his beneficijs damnatur. Si secundum, potest alterum dari sine vlla iuris relaxatione, solo Superioris arbitrato: quoniam vbi vnum non sufficit, merito & iure fieri potest, vt duo simul habeantur. Nam etiam si demus, iure communi Canonico esse etiam hanc pluralitatem interdictam, non tamen cum iure naturali pugnat, ac propterea iuri Canonico consuetudo derogare potest: vnde merito Synodus Tridentina, *sess. 24. c. 17. de reformat.* decreuit, cum dixit: Vbi vnum beneficium non sufficit, potest alterum conferri, dummodo vtrumque personalem residentiam non requirit.

Si obijcias: Sæpe Romani Pontifices vni, & eidem habenti duo, vel tria beneficia simplicia, conferunt aliud itidem simplex, nec quando ei offertur libellus duplex, quo petit is, qui offert, vt aliud sibi beneficium conferatur, aliud quippiam requiritur, nisi vt faciat mentionem beneficiorum, quæ obtinet, & reddituum, quos in singulos annos ex illis beneficijs percipit. Respondeo, in libello supplicii semper narrari causas solere, ob quas is, qui Papæ libellum offert, petit, vt aliud sibi beneficium concedatur: videlicet, quia nobilis sit vel literatus, vel quia parentes aut sorores, aut nepotes ex fratribus habeat, quos alere cogatur, vel quia a realieno valde pressus sit, vel quia in loco habitet, in quo sustentare se commode, ex fructibus beneficiorum, quæ possidet, non possit.

Ex his & alijs similibus causis exprimi solitis, iudicat Papa, beneficia quæ ille habet, quamuis sint tria vel quatuor, non sufficere ad eum commode sustentandum: ac proinde aliud addit. Papa in hoc nihil contra ius facit: is qui petit & impetrat, videat, an sint causæ, quas refert, vere: alioqui enim impetratio secundum conscientiam non valet.

Octauo quæritur, An habenti duo, tria, quatuorve beneficia simplicia, in quibus residere iure non cogitur, quæ simul omnia ad vitam illius minime sufficiunt, possit aliud itidem simplex absque vlla iuris relaxatione conferri, & an Episcopus id facere queat?

Questionem mouet, quod in proxime citato Synodi Tridentinæ loco solum dicitur, habenti vnum beneficium simplex, si eius vitæ non sufficiat, posse alterum concedi. Ante Concilium Tridentinum Abbas, & alij a petre tradiderunt, vbi duo, tria, aut quatuor beneficia non sufficiunt, posse etiam Episcopi auctoritate aliud, imo etiam plura conferri, donec omnia simul commode Clericum alant ac sustentent: quoniam *qui altari inservit, dignus est, qui ex altari viuat: dignus itidem est operari in cibo, & stipendio suo.*

Questio igitur in eo consistit, An post Concilium Tridentinum, id etiam tuto fiat. Quidam iuniores id fas esse arbitrantur eo, quod idem iuris esse videtur, cum tria quatuorve beneficia sufficiunt, ac quando vnum non sufficit. Deinde Pius I. Pius V. Gregorius XII. Sixtus V. sæpe Clerico vni habenti plura, aliud præterea contulisse prohibentur, quando ex pluribus illis, quæ habebat, idonee, vti opus erat, minime sustentari & viuere commode

poterat. Alij vero negant id rite fieri nisi iure in hac parte relaxato: tum quod supra nominati Auctores clare testantur, horum beneficiorum pluralitatem etiam vitæ Clerici minime sufficientium, si nimia, seu immodica sit, ab ipso iure improbari, vt cum quis decem, imo etiam pauciora, verbi gratia, septem, aut octo beneficia simul obtineat.

Nam profecto, si decem illa Clericum minime sustentent, non est cur inficiemur ei vndecimum posse conferri: & tamen id tuto fieri negant: Tum etiam iure communi *contento in c. Sanctorum, dist. 70. & alijs locis supra memoratis*, pluralitas in his beneficijs, etiam cum non sufficiunt, condemnatur, & sibi quisque impudet, quod beneficium collatum suæ vitæ non sufficiens ratum habeat & acceptum, & ex artificio, industria, vel aliunde vitæ non quærat: ergo Concilium potuit consuetudinem approbare, vt cum vnum satis vitæ non esset, alterum conferatur: facultate minime data, vt quando tria quatuorve non sufficiunt, possit etiam aliud dari. Siquidem negari non potest, quin ius commune relaxet consuetudinem, vel Superioris indulgentia, cum ex hoc, quod vnum non sufficit, alterum conferatur: ergo ius quoque commune relaxari necesse est.

Si tertium quoque conferatur, quia duo Clericum beneficia non sustentant: pari ratione si quartum, si quintum concedatur, quæ non commode Clericum non alimentibus. Si enim duo conferri ius prohibet, necessario sequitur, vt plura, quam duo dari prohibeat. Sane prima sententiæ, vt quidam aiunt, videtur probabilior & verior: nam vbi que consuetudo viget, vt si multa vitæ Clerici satis non sunt, aliud conferatur etiam Episcopi auctoritate, & videmus, prædictos Romanos Pontifices id facitasse: quis enim negare audeat eos id facere potuisse? id enim solum cum iure communi Canonico pugnat, quod Rom. Pontifex relaxare potest. Questio igitur solum esse potest de inferioribus Ecclesijs Præsulibus: qui ius commune non relaxant nisi in casibus sibi permissis: sed vbi id consuetudo recepta probat, non videtur negandum, quin id fieri possit sola Episcopi voluntate: sicut fieri rite potest solo Romani Pontificis arbitrato.

CAP. XII.

A quoniam possit ius Canonicum relaxari, vt quis videlicet cura conscientia simul plura possideat beneficia.

Primo quæritur, An Romani Pontificis auctoritate concedi queat pluralitas beneficiorum? vt enim supra diximus, ea iure naturali damnatur, sed ius naturale vel diuinum Papa laxare non potest. Quidam hoc argumento permoti, negant id Romanum posse Pontificem, nisi ex causis ipso iure expressis, quas supra retulimus, quasque nimirum ius quoque ipsum naturale videtur expressisse. Ac proinde cum ex illis causis Papa vni plura conferat beneficia, potius ius naturale declarat quam laxat: quæ causæ ad duo capita præcipue reuocantur, scilicet cum id iusta necessitas aut pia utilitas Ecclesie postulat. Si illis obijcias, quod in *c. De multa, de Præb. habetur*, sublimibus & litteratis viris Romani Pontificis indulgentia posse multa beneficia conferri: quia digni sunt, qui in Ecclesia honorentur, id etiam in *Extravag. execrabile* Ioan. 22. de præb. Cardinalibus & filijs regum licite multa beneficia concedi: item in *c. Sanctorum, dist. 70.* postquam dictum est, Clericum in duabus Ecclesijs adscribi non debere, subiungitur, Episcopi dispositione vnum posse diuersis Ecclesijs præesse: ergo multo magis Romani Pontificis indulgentia: Profecto, dicent illi, negari non potest, quin Romanus Pontifex possit in hac parte laxare Canones, etiam præter illas causas expressas in iure. Nam Insurandum, & votum, quæ iure naturali & diuino perfoluere debemus, sæpius laxat: ergo licet pluralitas

litas

cap. 1. de Conſuet. in 6. cenſet poſſe. ſic etiam ſentit Abbas in c. litteras pradicto, nu. 6. & idem teſtatur ſenſiſſe Federicum conſil. 115. idem docent Auchar. Francus, & Gemin. in c. 1. de conſuet. in 6. & ibi Gloſſa in verbo. niſi vnicum. Atque ita poteſt iuſtis ex cauſis eidem tribuere in eadem Eccleſia dignitatem, vel perſonatam, officium, vel beneficium habens curam animarum, & ſimul vnum Præſtimonium, vel Cappellaniam, vel altare, aut vnum Canonicatum, vel Portionem ſimul, & vnum Altare, vel Cappellam: aut vnam dignitatem & Canonicatum. Ioan. And. & cæteri locis citatis, & maiori ratione poteſt conferre Canonicatum cum vno Præſtimonio, vel Cappellania, vel vnum Præſtimonium, & vnam Cappellaniam: dummodo tamen vnum non ſufficiat ad Clericum commodè ſuſtendum: quia hoc prohibuit generaliter Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 17. Sed quæ cauſa eſt, cur difficilius duo beneficia ſimilia in eadem Eccleſia vni conferantur, quam duo diſſimilia? Hæc nimium cauſa eſt in primis: quia magis diuinus minuit cultus: & magis Eccleſia neceſſarijs ſibi miniſtris deſtituitur. Nam beneficiorum ſimilium certus eſt numerus: ergo ſi vni duo Canonicatus conferantur, Eccleſia duorum Canonicorum conſilio, opera & miniſterio priuatur. Quod quidem incommodum facile vitatur in diſſimilibus beneficijs, vt ſi vnus in eadem Eccleſia dignitatem & Canonicatum ſimul obtineant: vtroque enim munere & officio fungi poteſt. Sic Ioan. Andr. Imola & alij in c. litteras de conſueſ. præb.

Quærat aliquis, An Episcopus in eadem Ecclesia plura beneficia ſimplicia, & ſimilia vni concedere queat, quando vnum eorum Clerico non ſufficit? Reſpondeo: minime, quia plura beneficia in eadem Eccleſia incompatibilia iure cenſentur, eo ipſo ſolo, quod ſunt plura ſub eodem teſto. Nam ſicut Episcopus nequit duas dignitates, perſonatus, vel beneficia curæ animarum coniuncta, eidem conferre in diuerſis Eccleſijs, etiam ſi vnum eorum minime ſufficiens ſit, quia hæc etiam incompatibilia iure habentur: ita nec duo beneficia ſimilia in eadem Eccleſia, tametsi vnum eorum ad vitam Clerici non ſufficiat.

Septimo quaeritur, An iuris relaxatio in pluralitate beneficiorum contra iuſtam cauſam à Romano Pontifice facta, valeat? Innocentius in c. Cum ad Monasterium de ſtatu Monacho. ait: Si Papa duo beneficia, etiam curam animarum habentia, ſolo nutu & voluntate in vnum Clericum conferat, ratam & firmam eſſe adptionem. Hoc autem ſentit, quia pluralitatem beneficiorum putat tantum eſſe Canonicum iure interdictionem. Ea autem, quæ iure Canonico, & non naturali, vel diuino imperantur, vel prohibentur, poteſt Pontifex ſuo arbitratu mutare & laxare, hoc eſt, ſi faciat, factum vim habet. Cæterum quia ſuprà iam dixi eſſe multo veriore ſententiam eorum, qui aſſerunt ius naturale verare, quo minus quis duo beneficia, etiam ſimplicia, imo etiam in quibus nullo iure reſidere cogatur, ſimul obtineat, quando vnum eorum ipſi ſufficit, ideo longe verius etiam puto, ſi Papa ius in hac parte abſque iuſta cauſa relaxet, relaxationem prodeſſe quidem in foro conſcientiæ, vt Clericus à iuris pœnis in eos, qui obtinent multa beneficia conſtitutus, immunis & liber ſit, attamen coram Deo nihil prodeſſe: quia cum Pontifex ea, quæ ſunt iuris naturalis, vel diuini, ſine iuſta cauſa remittit, ea iuris remiſſio coram Deo minime ſubſiſtit: vt ſi votum vel iuſurandum ſine cauſa relaxet. Obijcies, Papam libere poſſe de beneficijs ſtatuerre: vnde Hoſtienſis, & alij reſtantur, ſuo nutu poſſe beneficium, quod quis obtinet, adimere, & alteri conferre. Reſpondeo, negari non poſſe, quin Papa liberam habeat beneficiorum ad miniſtrationem, hoc eſt, Canonibus & legibus minime adſtrictam, qualem habent cæteri omnes Eccleſiarum Antiquitates: nihilominus tamen habet eam iuris naturalis, vel diuini legibus alligatam: ſicut ipſe Papa ſolutus eſt iuris Canonici conſtitutionibus, iuris tamen diuini vel naturalis legibus tenetur.

Oſtavo quaeritur, An peccet Papa, nimiam, & immo-

dicam vni alicui conferens beneficiorum multitudinem? Reſpondeo in primis: quod nimis, & immodice ſit, abſque dubio bene non ſit: id enim nimium & immodicum appellamus, quod rectæ rationis & prudentiæ terminos egreditur. Vnde quamuis iuſta ſubſit cauſa, vt in vnum Clericum duo beneficia conferantur; non tamen, vt in eo plura, quam æquum ſit, coaceruentur. Et ideo omnes immodicam beneficiorum multitudinem merito reprehendunt & damnant. Sed in eo tota quæſtio verſatur, quando nam pluralitas beneficiorum immoderata cenſetur.

In hoc conueniunt omnes decem beneficiorum multitudinem immodicam eſſe. Leges enim, & Iura cum de tempore, vel numero loquuntur, multum & longum appellare decennium conſueuerunt: ergo decem beneficiorum multitudo immoderata merito iudicatur. Imo aſſerunt quidam, etiam nouem vel octo beneficiorum pluralitatem nimiam videri: neque enim vlla æquitas eſſe poteſt, vbi quis nouem, vel octo ſimul beneficia poſſidet. At dices, poſſe contingere, vt nouem ſimul Clericis vitæ æ generis nobilitate claris, minime ſufficiant. Reſpondeo, ſermonem non eſſe de pluribus beneficijs, quando duo triaue aut plura non ſufficiunt ad Clericum commodè & honeſte ſuſtendum: ſed de ijs quorum ſingula ſatis ſunt ad commodum Beneficiarij vitam: quoniam rationi contentaneum non eſt, vt tot vnus beneficia ſimul obtineat, quando multis alij Clericis ſtipendia, & vitæ ſubſidia ſubtrahuntur, & Eccleſiæ neceſſarijs ſibi miniſtris fraudantur. Sed quid de eo dicendum, cui conferuntur tot beneficia, eo ſolum nomine, quia filius eſt, vel nepos Regis, vel Imperatoris, vel alicuius alterius principis? Reſpondeo, Paulus II. teſte Maiore, cum rogaretur, vt cuiſdam duos Episcopatus ſimul conferret, quia filius cuiſdam Regis eſſet, ita reſpondiſſe: Non darem, inquit, etiam ſi filius Dei fuiſſet. Rem ſane Pontifex exaggerauit, ſed mens tamen eius plurimum cum recta ratione congruebat.

Quid enim cogit, vt tot in vnum beneficia colligantur & coaceruentur, cum multa alia remedia non deſint, ex quibus etiam Filius vel nepos Regis, vel Imperatoris, vel alterius Principis ſuſtentari honeſte & commodè poſſit, ne tot Clerici, imo Episcopi, & alij his Superiores, alioqui etiam de Eccleſia optime meriti eluriant, & quodammodo mendicare cogantur, etiam patrimonijs exhauſtis? Plane non poteſt eſſe periculum, cum nimia in vno beneficiorum multitudo cumulat: inde enim auaritionis & auaritiæ ocaſio arripitur, Chriſti patrimonium, & pauperum bona male conſumuntur: reſcendet beneficiorum multitudo, augentur famuli, factus & pompa, cum tamen clamitent ſacri Canones, vt Clerici ſint menſa, ſupellectile, veſtitu, & victu modico contenti.

Nono quaeritur, An Legatus à latere Pontificis poſſit vni, & eidem Clerico plura beneficia conferre iuris rigore laxato? Reſpondeo, Legatum Romani Pontificis in prouincia ſibi demandata poſſe ius in hac parte relaxare, ex eiſdem cauſis, & in eiſdem beneficijs, in quibus poteſt Episcopus in Eccleſiis ſuæ ditioni ſubiectis. Collegium item Canonicorum, Eccleſia ſuo Præſule viduata, licet poſſit beneficia aliqua concedere, videlicet ea ſolum, quorum conferendorum ius ad ipſum cum Episcopo communiter pertinet, plura tamen conferre nequit. Cæteri Præpoſiti Episcopi inferiores quibus ſæpe conuenit ius beneficii conferendi, non poſſunt plura vni concedere, vt nec Vicarius Episcopi, cui Episcopus conceſſerit facultatem conferendi beneficia. Reges quoque ac Principes, qui nonnunquam Eccleſiæ conceſſu beneficia conferre queunt; duo plura dare non poſſunt, niſi peculiari Rom. Pontif. auctoritate.

Vndecimo quaeritur, An tuta conſcientia iſpoſſit abſolui, qui plura beneficia poſſidet? Caietanus in ſumma, [verbo, beneficii Eccleſiaſtici,] cum diſiſſet lethale pec-

catum committere, qui multa beneficia sine iusta causa obtinet, nec iustam excusationem esse, si Papa iuris rigor in hac parte laxet, senerationabili causa: quoniam dispensatio, inquit, Papa cadit sub ius positum, & non super ius diuinum & naturale. Plurimum autem beneficiorum, sine rationabili causa, est contra ius diuinum & naturale. Subiungit postea: Siste tamen hic confessor pedem circa iudicium illius, qui iam cum dispensatione, sine rationabili tamen causa habuit & possidet plura incompatibilia, ne praecepto neges absolutionem: oportet enim discernere, an iste teneatur de necessitate salutis renunciare reliqua, reseruat sibi tunc, quod non facile est, quando beneficijs bene prouidetur per Vicarios. Et addit, duo esse in hoc potissimum pensanda; Primum est, damnum Ecclesiarum: Secundum, est inaequalitas distributorum beneficiorum. Et quidem damnum Ecclesiarum, quantum ad temporalia, & reparationem opportunam, sicut templi, sive paramentorum, & cetera, & numerum ministratorum, facile cognoscitur potest, quoniam hac subiacent sensibus, sed quantum ad curam animarum, si beneficia sunt curata, non excusatur à responsione: nec per hoc sibi impunitus coram Deo etiam leuis culpa in damno animarum. Et propterea et si possibile est, difficile tamen ac rarum videtur, quod usque notabili damno Ecclesiarum huiusmodi pluralitas continetur. Et quando sic accidit, neganda est absolutio, quoniam nota bilis damni Ecclesiae conuincitatio volumiaria absque rationabili causa, non est absque peccato mortali. Ex parte autem iniquae distributionis post factum pensanda sunt tria: Primum, damnum Ecclesiarum, quas quis simul habet: Secundum, damnum Clericorum, qui deberent ex his beneficijs honorari: Tertio, scandalum bonorum omnium, qui has inaequales beneficiarum distributiones videntes offenduntur, per turbantur, & ad similia incitantur. Et propterea, qui hac pariter pendit, absoluitus non esset. Haec tenet ex Caetano, Profecto si beneficijs animarum curatio in sit, & sine iusta causa, iuris relaxatio sit impetrata, absolui iure non potest, qui plura beneficia obtinet, nisi tunc sibi seruat, cetera dimittat. Nam ad residendum in ecclesijs quas habet, iure diuino compellitur: nec per Vicarium in sui locum substitutum, suo muneri & officio satisficit, eo quod Vicarius, mercenarius est pastor, non proprius. Item si beneficia sine dignitate, personatus, officia, Canonatus, vel Portiones Ecclesiarum, Cathedralium vel Collegialium absoluitus non est, qui sine iusta & debita causa plura simul habet: quoniam quamuis iure tantum Canonico in Ecclesijs commorari & residere perpetuo cogatur: at iure naturali, ubi vnum ex his beneficijs satis est, alterum haberi prohibetur; & proinde iuris relaxatio sine iusta causa impetrata, coram Deo nihil prodest. Postremo si beneficia sint simplicia, nec assiduam Beneficiarij praesentiam requirant, simul haberi nequeunt, sine legitima iuris relaxatione; ac propterea si quis plura simul obtinet, sine iusta causa, & habita iuris indulgentia, retento sibi ad vitam sufficiente ac necessario, reliquis se abdicare debet secundum conscientiam, alioqui absoluitus non est; quoniam licet nec curam animarum habeat, nec debeat in Ecclesijs commorari & residere, nihilominus tamen iure naturali, duo aut plura simul obtinere non potest. Et ideo iuris relaxatio circa legitimam causam obtenta, ipsi coram Deo non prodest. Sed quo modo seget confessorius cum Beneficiario dicente se probabilem eorum Doctorum sententiam sequi, qui asserunt pluralitatem beneficiorum esse tantum iure Canonico damnatam? & ideo iuris relaxationem sibi prodesse, quoniam sine iusta causa impetrata: In hoc enim Pontificem temere quidem fecisse, sine causa ius relaxantem, sed relaxationem ab eo impetratam, ratam, & firmam esse. Respondeo, Confessarium dum iudicat illam sententiam improbabilem esse, aut dum haesitat, sit necne improbabilis, absoluerit eum à peccatis non posse, alioqui eum contra conscientiam faceret? Si vero iudicet eam opinionem esse probabilem, quamuis ex eo solo, quod aliqui Doctores, alioqui graues eam fuerant fecerit, tunc debet penitentem absolutionem & liberationem à peccatis con-

cedere. Si roges, An liceat Confessario eam sententiam, vt probabilem iudicare? Respondeo, licere iudicare: quoniam etsi credat, eam falsis rationibus & principijs inniti, nihilominus tamen quatenus nouit eam quibusdam Doctoribus, alioqui minime imperitis placuisse, iudicare tuto potest eam esse probabilem, quoniam probabile est quod viris alioqui sapientibus, videatur, vt Aristoteles testatur, libro primo Topi. cap. 1.

CAP. XIII.

De Panis iure constitutis in eos, qui contra Canones plura simul beneficia possident.

Primo queritur, An cum quis secundam dignitatem adipiscitur, eo ipso primam, quam habebat, amittat? Hoc perinde est, ac si quaeremus, An ipso iure per ademptionem secundae dignitatis; prima confessum vacet, ita vt alteri conferri iure possit? Respondeo, quatuor tempora distinguenda: Primum, ante Concilium Lateranense sub Innocentio III. quo tempore is, qui ad secundam dignitatem promouebatur, non ipso facto primam amittebat, sed optionem habebat, vt vnam ex illis eligeret, quam ipse mallet. Sic ex Alexandro III. c. Praterea, & c. Reserente, de preben. Secundum tempus fuit, in quo ad secundam dignitatem euectus, illa priuabatur, auctoritate & officio iudicis, ex Innocentio III. c. Quia nonnulli, de Clericis, non resid. Tertium fuit tempus Concilij Lateranensis sub Innocentio III. in quo secundam ad eum dignitatem, ipso iure iacturam faciebat prioris: quod si in ea retinenda persistebat, secunda quoque dignitate spoliabatur, c. De multa, de prebendis. Quartum tempus ex Constitutione extrauagantis Ioannis 22. Execrabiles de preb. vbi statutum est vt ipso facto primam dignitatem admittat, qui est adeptus secundam: & nisi itatim dimittat eam sub publico testimonio, hoc est, praesente publica persona, ipso iure sit vtraque priuatus, & ineptus ad sacros Ordines, & ad quaecunque alia beneficia obtinenda: Et hoc iure in praesens vtitur ecclesia. Et sciendum est, eandem poenam esse constitutam in eos, qui post vnum personatum, vel officium, vel beneficium, cui insit animarum cura, adipiscuntur secundum simile. Item in eos, qui post vnam dignitatem assequuntur, personatum, officium, vel beneficium curae animarum coniunctam. Vel è contrario. Denique haec omnia beneficia, quia iure sociabilia non sunt, hoc est, incompatibilia, ipso quoque iure qui secundum adipiscitur, primum amittit. In Concilio Tridentino sessio. 7. c. 2. de reformat. dicitur: Nemo quicumque etiam dignitate gradu, aut praecminentia praesulgens, plures Metropolitanas seu Cathedralis Ecclesias, in titulum, sive commendam, aut alio quouis nomine contra sacrorum Canonum instituta, recipere, & simul retinere praesumat. Qui autem plures Ecclesias contra praesentis decreti tenorem nunc detinent, vna quam maluerint, retenta, reliquas infra sex menses, si ad liberam sedis Apostolicae dispositionem pertineant, alias infra annum dimittere teneantur, alioquin Ecclesia ipsa, ultimo obsequia duntaxat excepta, eo ipso vacare censentur. & cap. 4. Quicumque de cetero plura curata, aut alius incompatibilia beneficia Ecclesiastica sine per vnam vniouis ad vitam, seu commenda perpetuae, aut alio quocumque nomine & titulo contra formam sacrorum Canonum, & praesertim Constitutionis Innocentij III. qua incipit, De multa, recipere, ac simul retinere praesumpserit, beneficijs iuxta ipsius Constitutionis dispositionem ipso iure, etiam praesentis Canonis vigore, priuatus existat. Idem Concilium sessio. 14. c. 17. de reformat. sic ait: Sancta Synodus debitam regendis Ecclesijs disciplinam restituere cupiens, praesenti decreto, quod in quibuscumque personis, quocumque titulo, etiam si Cardinalatus honore fulgeat, mandat obseruari, statuit; vt in posterum vnum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem si ad vitam eius cui conferatur, honeste sustentanda non sufficiat, liceat nihilominus aliud simpliciter sufficiens, dummodo vtriusque personalem residentiam non requirat

requirit, eidem conferri. Haecque non modo ad Cathedralis ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia, tam secularia, quam Regularia quacumque, etiam commendata pertinent, cuiuscumque tituli ac qualitatis existant. Illi vero, qui in presenti plures Parochiales Ecclesias, aut unam Cathedralis, & aliam Parochialem obtinent, cogantur omnino, quibuscumque dispensationibus, ac unionibus, ad vitam non obstantibus: una tantum Parochiali, vel sola Cathedrali retenta, alias Parochiales infra spatium sex mensium dimittere: alioquin tam Parochiales, quam beneficia omnia, quae obtinent, ipso iure vacare censentur, ac tanquam vacantia, libere aliis idoneis conferantur; nec ipsi antea illa obtinentes, tunc conscientia, fructus post dictum tempus retineant. Haec tamen Concilium.

Secundo quaeritur, An cum quis beneficium simplex adeptus est, quod perpetuum Beneficiarij praesentiam requirit, ipso iure iacturam faciat prioris, quod pariter praesentiam Beneficiarij postulat: v.g. Titius in vna Ecclesia Cathedrali Canonicatum, vel Portionem habens, affectus est in alia secundum Canonicatum, vel Portionem, Quaeritur, An ipso facto priorem Canonicatum, vel Portionem amittat? Respondeo, ante Concilij Tridentini tempora, ut est in c. vbi. de Cleric. non resid. sentisse Innocentium, primum non vacare. Idem sentit Ioan. Calderinus, & Federicus resti Abbate in cap. vlt. cit. At oppositum tradiderunt Ioan. Andr. Oldradus, & Ancharanus, quos citat ac sequitur ipse Abbas: & hoc est verius. Ante Concilium igitur Tridentinum, adeptus secundum beneficium, non amittebat primum, quoniam in ca. de multa, de prob. & in extranag. Execrabilis Ioannis 22. de prob. pena solum constituitur ijs Beneficiarijs, qui secundam dignitatem, vel personatum, vel officium, vel beneficium habens curam animarum adipiscuntur: qui quidem ipso facto prima dignitate, personatu, officio, vel beneficio curae animarum coniuncto priuantur. Vnde iuxta id quod statutum est in c. Referentis, & c. Praeterea, de pra. vel potius iuxta Constitutum in c. Quia nonnulli, de Clericis non resid. dabatur optio, ut vnum quem vellet, Canonicatum, vel Portionem eligeret, alterum vero dimitteret: vel Iudicis auctoritate, & officio, secundo Canonicatu, vel Portione spoliabatur. At vero à Concilij Tridentini tempore, vbi cumque illud est receptum, eadem poena qua est in c. de multa, contrahitur ab ijs, qui post primum adipiscuntur in alia Ecclesia secundum Canonicatum, vel portionem: siquidem eam poenam Synodus extendit Sess. 7. c. 4. de reformat. ad eos omnes, qui incompatibilia beneficia ecclesiastica, siue per viam unionis ad vitam, siue Commendae perpetuae, aut alio quocumque nomine, & titulo contra formulam factorum Canonum receperint, & simul retinere praesumpserint: sed duo Canonicatus, vel duae Portiones sunt beneficia incompatibilia, quia perpetuam in ecclesijs Beneficiarij praesentiam postulant, ex quo etiam fit, ut in eadem poena incurrant, qui recipiunt, ac simul retinent Canonicatum, & dignitatem, vel personatum, vel officium, vel beneficium cura animarum praedictum: & ij qui simul obtinent Portionem cum dignitate, vel personatu, vel officio, vel beneficio, cui inest cura animarum, & ij, qui pariter retinent Canonicatum, & Portionem, haec enim omnia beneficia sociabilia, hoc est, compatibilia non sunt.

Quaeret aliquis, An consuetudine induci queat, ut quis simul habeat in diuersis ecclesijs duos Canonicatus, aut duas Portiones, aut vnum Canonicatum in vna ecclesia, & Portionem in alia: Respondeo, iura consuetudinem hanc, corruptelam appellare: nihilominus tamen ante Concilium Tridentinum consuetudine receptum erat multis in locis, praesertim per Italiam, ut Canonici à suis ecclesijs abessent; ac proinde ut vnus & idem duos Canonicatus simul in diuersis ecclesijs obtineret: at Synodus Trident. eam consuetudinem penitus aboleuit.

Tertio quaeritur, An qui vnam ecclesiam Cathedralis vel Parochialem ratione tituli obtinet, possit alteram commendatam habere? Quidam opinantur, Concil. Trid. Sess. 7. cap. 2. & 6. de reformat. solummodò prohibere, quo-

minus, quis simul habeat duas ecclesias Cathedralis, vel Parochiales, vel alias incompatibiles commendatas; non tamen vnam iure tituli, alteram commendationis, nisi quia Concilium solum praecipit ne quis simul habeat plures ecclesias contra factorum Canonum instituta: at sacri Canones concedunt, ut quis habeat vnam ecclesiam iure tituli, alteram commendatam, e. Qui plures 21. quasi. & cap. Dudum 2. de elect. Ergo hi Canones per Concil. Trident. non sunt correcti, neque mutati. Verum enimvero longe probabilius est vetuisse Concilium, quo minus quis simul duas Ecclesias alioqui incompatibiles haberet quouis nomine, & titulo, ut ait Concilium, contra formulam factorum Canonum: ergo si plures simul habeantur, siue omnes iure tituli collatae, siue omnes commendatae, siue vna collata, alia vero commendata, dummodo contra formulam factorum Canonum teneantur, id prorsus est à Concilio interdictionem, sed contra sacros Canones est, ut quis vnam Ecclesiam Cathedralis, vel Collegialem iure tituli collatam habeat, alteram vero ratione commendationis perpetuae; de qua commendatione concilium loquitur ijs in locis quos supra retulimus: haec enim modo est in vsu; at vetus illa beneficiorum ad tempus commendatio in diffuetudinem abiit, quam sacri antiqui Canones approbant, nec modo Concilium eam damnauit, nec sustulit.

Quarto quaeritur, An quando quis habet vnum beneficium simplex praesentiam Beneficiarij non requirit, ad vitam tamen sufficiens, & adipiscitur alterum, ipso iure primum amittat? Ante Concilium Tridentinum, nec primi, nec secundi Beneficij iacturam faciebat, nec officio & auctoritate Superioris, altero priuabatur: ratio est, quia beneficia simplicia, in quibus Clericus commorari, & residere non cogitur, sunt iure communi sociabilia, hoc est, compatibilia; ac propterea, qui secundum adipiscitur, nec ipsum, nec primum illud amittit: nam quamuis tuta conscientia utrumque, quando vnum satis est, ad vitam retinere non possit, ius tamen Canonicum ante Concilium Trid. neutrius priuationem irrogabat. Et idem iuris est de habente vnum huiusmodi simplex beneficium cum dignitate, vel personatu, vel officio, vel beneficio, cui cura esset animarum adiuncta. Neque enim in ca. de multa, nec in Extranag. Execrabilis, nec in capitulo, Referentis, nec in c. Praeterea, de prob. nec in capitulo, Quia nonnulli, de Cleric. non resid. vlla poena constituitur.

Quaestio igitur in eo maxime versatur, An Concilium Tridentinum his Beneficiarijs huiusmodi poenam irrogarit, ut vacet primum beneficium per adaptionem secundi: Quidam affirmant; nam Sess. 7. cap. 4. de reformat. poenam constitutam in c. de multa, extendit ad eos omnes, qui duo beneficia alias incompatibilia simul obtinent: sed duo beneficia simplicia etiam si perpetua Beneficiarij praesentiam non postulent, sunt incompatibilia, quando vnum sufficit ad vitam, cum simul haberi nequeant. Et Sess. 24. c. 17. de reformat. statuitur, ne vni duo beneficia conferantur, etiam simplicia, & praesentiam assistentiam in Ecclesia Clerici minime requirentia, si vnum satis sit ad vitam. Et subditur: Haec, non modo ad Cathedralis Ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia, tam secularia, quam Regularia quacumque, etiam commendata, pertinent, cuiuscumque tituli, ac qualitatis existant.

Censent tamen alij, praedicto loco Concilium Tridentinum solum praecipisse, ut vnum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur, etiam si simplex sit, dummodo ad vitam sufficiant: non tamen ipso facto constituisse, si quis secundum obtineat, ut primum aut secundum beneficium statim amittat: tunc enim per adaptionem secundi primum vacare iure ipso videtur, quando illud statim, nulla monitione praemissa potest alteri conferri: quae poena nisi iure exprimitur, nequaquam contrahitur: at nec in Concilio Tridentino, nec alibi, poena talis constituitur in eos, qui vel duo beneficia simplicia simul obtinent, vel vnum simplex cum dignitate, vel officio, vel beneficio

curæ animarum coniuncto, in diuersis tamen Ecclesijs. Quidquid sit de huiusmodi pœna, certum est, eum, qui duo simplicia obtinet beneficia, vno quod ipse maluerit retento, alterum in foro conscientie debere dimittere, nisi iusta de causa relaxationem iuris impetrauerit. Siquidem Concil. Trid. fanciuit, vt vni vnum tantum beneficium concedatur, si satis est, ad vitam: & ante Concilium communis fuerat omnium opinio, duo etiam simplicia beneficia iura conscientia simul haberi non posse, vbi vnum ad vitam sufficeret.

Quinto quaeritur, An quodlibet beneficium, etiam simplex, cuius omnes redditus annui in quotidianis distributionibus consistunt, a iure incompatible censetur, cum quouis alio assiduam Beneficij præsentiam requirent? Respondeo, censeri incompatible, quia distributiones quotidianæ iure non debentur nisi ijs, qui præsentibus diuinis officijs interfunt, c. *Consuetudinem de Cleri. non resid. in 6.* ergo beneficium, quod solum in quotidianis distributionibus consistit, assiduam Beneficij præsentiam postulat: ac propterea simul haberi nequit cum alio quocunque, quod similem Clerici præsentiam exposcit, videlicet cum dignitate, personatu, officio, vel beneficio curam animarum habente, vel Canonatu, vel personatu, vel alio denique beneficio, quod totum pariter in quotidianis distributionibus consistit.

Si quis, An qui secundi possessionem nactus est, concessum primum amittat? Respondeo, distinguendo: Ante Conc. Tideot. primum non ipso iure amittebat, quia non est beneficium dignitatem, personatum, officium, vel curam animarum habens: at priuabatur fructibus vnius, vel vno retento quod mallet, alterum deponere cogebatur, vt statuitur, c. *Referente, & cap. Præterea de præben.* At post Concil. Trid. primum vacat beneficium per ademptionem secundi, quia vt superius admonui, Concilium extendit pœnam in c. *de multa, sancitiam*, ad eos omnes, qui duo vel plura beneficia incompatible simul obtinent.

Sexto quaeritur, An qui in eadem Ecclesia secundum beneficium acquirit, iacturam faciat prioris? in c. *Literas, de concess. præben.* statutum est, vt si quis præbendam habens recipiat in eadem Ecclesia dignitatem cum præbenda, vel aliam præbendam, prima vacet. Additque Pontifex: *Cum igitur, si ita est, præbenda illa, etiam si non de facto, de iuri tamen vacare nescitur, Mandamus, & quæ sequuntur.* Beneficium iure vacare dicitur, non facto, quando Beneficiarius ipso iure compellitur beneficio cedere: facto vero beneficium vacat, cum re ipsa illud suo possessore destituitur. Si igitur quis duo beneficia etiam simplicia, in eadem Ecclesia simul obtineat sine legitima Superioris auctoritate, & relaxatione iuris, ipso iure primum vacat, si similia fuerint. *Glossa & ceteri in c. Literas, de concess. præben.* secundo vero, si fuerint dissimilia beneficia: vt si quis sub eodem tecto simul habeat Canonatum, & dignitatem, aut Canonatum, & Portionem simul, vel præstimonium, vel Cappellaniam, vel Altare. *Barbatus in Cle. Gratia de refer. Saltem consuetudine alicubi introductum est, vt in eadem Ecclesia quis simul habeat dignitatem, & Canonatum, aut Canonatum, & Præstimonium.*

Septimo quaeritur, An si beneficium simplex statuto, fundatione, & dotatione Ecclesie assiduam Clerici præsentiam requirat, vacet ipso iure per ademptionem secundi perpetuam etiam Beneficij præsentiam postulantis? Quidam affirmant eo argumento permoti, quod aliquis non potest in vtroque simul perpetuo commorari, & residere, & per se ipsum seruire, c. *Non potest, de præben. in 6. Glossa & Doctores in Clem. Gratia, de refer. Inno. Abbas, & alij in c. vlt. de Cler. non resid.* Sed profecto verius est, quod alij docuerunt: primum beneficium per ademptionem secundi non statim vacare solitum ante Concil. Trid. sed Beneficiario dabatur optio, vti retento vno quod veller, alterum dimitteret. Et Glossa, & alij citati Doctores solum innuunt hæc beneficia esse incompatible, at post Concil. Trid. primum vacat statim, vt quis secundi possessionem fuerit alicui.

Octauo quaeritur, An si statuto cautum sit, ne Cappellania, vel quodlibet aliud beneficium simplex simul cum alio quouis beneficio obtineri queat, ipso iure vacet, si secundum habeatur? Respondent quidam vacare: sic enim *Glossa insinuat, & alij in Clem. Gratia, de refer. Barbatus in ead. Clem. Gratia. Card. cons. 3. ad fin.* Mihi vero primum cum secundo videtur esse incompatible beneficium, & post Concil. Trid. vacare primum per ademptionem secundi: licet ante Concilium obtineri secundum, & eius possessionem adepto, daretur optio, vt vno sibi retento, alterum deponeret.

Nono quaeritur, An gratia, quam quis à Rom. Pontif. impetrauit, de dignitate, personatu, officio, vel beneficio curam animarum habente, obtinendo, extinguatur, cum ille beneficium aliud fuerit adeptus, quod simul haberi iure non possit cum beneficio ratione prædictæ gratiæ ipsi debito? Respondeo, in *Clem. Gratia, de refer. aperte esse sancitum, vt qui ratione gratiæ à Rom. Pontif. impetrat beneficium expectat, ipsam gratiam amittat, si consequatur pacifice possessionem alterius, quod cum illo alio à se expectato licite simul obtinere potest.* Ius igitur ad Beneficium aliquod extinguatur per ademptionem alterius Beneficij, quod cum illo alio haberi simul iure nequit. Tamen autem dictum est, (*Si pacifice consequatur*) idem tamen iuris est, vt *Glossa annotauit*, si per eum, cui est Beneficium collatum fuerit, quo minus sine vlla lite possessionem nactus sit.

Decimo quaeritur, An qui tertium obtinet Beneficium, amittat ipso iure duo prima quæ habeat? Respondeo, per ademptionem tertij incompatible, vacare duo prima. In *Clem. Si plures, de præben.* sic habetur: *Si plures obtinens dignitates, aliam dignitatem, aut Beneficium curam animarum habens, acceptet, si dispensatione super hoc legitime non obtenta, eius possessione adepta pacifice, Dignitates quas prius habebat, ipso facto vacare censentur; sicut si Dignitatem vnicam obtinens, alia similis conferatur, eius pacifica possessione habita, prima de iure vacaret: vbi, vt Glossa recte annotauit, cum dicitur: Si plura obtinens, intelligitur de eo, qui plures per legitimam iuris relaxationem obtinens, aliud adipiscitur. Et cum dicitur, Dignitates, comprehendit etiam personatus & beneficia, quibus inest cura animarum: vel cum hæc Beneficia mixtum vnum cum altero habentur, vt puta Dignitas cum personatu, vel cum beneficio cura animarum onerato. Illud etiam, possessione adepta, idem iuris esse indicat de Beneficiario, per quem stare, quo minus possessionem consequeretur, Hæc ex Glossa.*

Quærat aliquis, An per ademptionem quarti Beneficij, ipso iure vacent prima tria? Respondeo, vacare, quia in *Clem. illa generatim dicitur: Si plures obtinens.* Sciendum vero est, quando in literis Pontificijs, quarum beneficio conceditur alicui, vt plures simul possit recipere, vel retinere dignitates, apponitur clausula consueta: *Vt illas duas, vel earum alteram possit dimittere, & loco dimissa, vel dimissarum, aliam recipere, & retinere:* tunc qui eas litteras impetrauerit, poterit eligere ex duabus primis quam voluerit, simul cum tertia retinere. Sed quid de Titio dicendum, cui est concessum, vt duo Beneficia incompatible simul habeat, cum facultate alterum dimittendi, & loco dimissi aliud recipiendi, & vnum ex illis gratia, & causa seij deposuit, reseruatis sibi fructibus; & deinde adeptus est tertium, retentis tamen fructibus, vacant ne prima beneficia? Respondeo, minime, quia qui fructus habet beneficij, non ob id habet Beneficium, & Prælati dicitur, qui titulum habet, non qui fructus Beneficij: vt notant Archidiaconus & Geminian. in c. *Nemo, de elect. in 6.* & fructus iure non sunt incompatible cum beneficio; vt annotatur in idem *Auctores, cap. Super eo, de præben. in 6. & cap. Extrinseca, §. Qui vero, de præben.* Alijs autem probabilis videtur, etiam vacare prima, quoniam qui beneficium dimittit fructibus sibi reseruatis, non videtur ex toto beneficium ipsum dimisisse.

Quæres, An cum alicui conceditur, vt duo incompatibilia

tibilia beneficia simul habeat, si tertium obtinuerit beneficium, valeat adeptio tertij? Respondeo valere: nihilominus duo prima vacante. *Ordinarij, §. In conferendis, de officio iudic. Ordina. in 6.* Sed quorsum ea clausula apponitur: *Ut possit unum, vel ambo dimittere, & loco dimissi, vel dimissorum, aliud, alia ut recipere, & retinere?* Respondeo: propter id quod habetur in *c. Non potest, de prob. in 6.* ubi cum conceditur facultas obtinendi duo beneficia, intelligitur tantum de duob. primis: quare si illa dimittat, non intelligitur concessum; ut alia recipiat.

CAP. XIV.

De electione Clericorum ad Ecclesiastica beneficia.

Agendum mihi nunc est de modis ac formulis, quibus beneficia canonice acquiruntur. Porro beneficia varijs modis legitime conferuntur, ut tradit Ioan. Selua. *questio 1. par. 3. de Beneficijs:* Aut enim conceduntur per electionem, aut postulationem, aut per præsentationem quam vocant & nominationem à Patrono, & institutionem à Superiore factam: aut per collationem, ut dicunt, aut per deuolutionem, aut translationem, aut vnionem, aut commendationem perpetuam: de quib. sigillatim est in præsentibus tractandum, ac primum de electione.

Primo quaeritur, An iure diuino sit certa aliqua regula præscripta eligendi Ecclesiarum Præfectos? Calviniani & Lutherani contendunt, iuris esse diuini, ut Ecclesiarum pastores eligantur requisito populi suffragio, assensu, vel testimonio: idque probant auctoritate Anaclei Papæ, Cypriani, & Leonis I. & Apostolorum exemplo, qui hac ratione ministros ecclesiæ creabant: quos Ecclesia deinde imitata, eandem eligendi formulam per aliquot secula conseruauit.

Cyprianus enim libro primo, Epistola 68. ad Clerum, & plebes in Hispania consistentes, de Basilide & Martiale loquens: *De traditione diuina, inquit, & Apostolica obseruatione tenendum est, quod apud nos quoque, & fere per provincias vniversis obseruatur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem provincie proximi quisque conueniant, & Episcopus deligatur plebe præsentis, qua singulorum vitam plenissime nouit, & vnusquisque actum de eius conuersatione perspexit.* Anacletus vero, ut habetur, cap. Electionem distinct. 79. sic ait: *Summorum Pontificum, vel Sacerdotum electionem bonis Sacerdotibus, & spiritualibus populis Dominus concessit.* Denique Leo I. in epistola 78. alias 93. ad Rusticum Narbonensem, ut refertur cap. Nulla dist. 62. *Nulla ratio finit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus sunt expetiti, nec à comprouincialibus Episcopis cum Metropolitanis iudicio consecrati.* Hæc illi Patres. At enim nullum certe in sacris literis de hac re datum à Christo Domino præceptum extat: totum igitur hoc negotium est Ecclesiæ arbitrio & potestati relictum. Negari quidem non potest, ritum esse ab Apostolis seruatum, quo ministros Ecclesiæ præficiiebant populi testimonio approbatos. *Actor. 1. 6. 13. & 14.* quem ritum & formulam Ecclesia recentum seruauit, non quod crederet id Christum iussisse, quamuis aliqui hoc fortasse crediderint: sed quia Apostolorum exemplum sequi uoluit: ac propterea Canones quoque sanciuert, ne Ecclesiarum Præfecti eligerentur sine populi suffragio, aut saltem testimonio, assensu, petitione, nominatione, vel approbatione. Id autem ideo constituit Ecclesia, ne pastor inuitis ouibus præficeretur. Deinde ut pastor ab ouibus magis amaretur, & coleretur. Postremo, ut inter pastorem, qui est veluti sponsus Ecclesiæ, & ipsam ecclesiam coniugium spirituale mutuo amorum consensu contraheretur. Non igitur inficiamus, veterem fuisse morem in episcopis deligendis, ut plebe præsentis, immo & suffragijs populi eligerentur. Id in Aphrica obseruatum esse constat ex electione Bradij, qui Augustino successit, ut patet

ex Epistola 120. eiusdem Augustini: in Græcia ætate Chrysostomi libr. 3. de Sacerdotio: in Hispania, ex epistola Cypriani citata, & Isidoro lib. 2. de officijs Ecclesiasticis: in Gallia, ex Epistola Celestini Papa 11. vbique ex Epist. Leonis Primi 87. & refertur in *c. Vota, d. 63.* Durauit ritus vsque ad Gregorium I. ut liquet ex Epistolis eius, & ad tempora Caroli Magni, & Ludouici Imperatorum, ut perspicuum est ex eorum Capitulis. Plebi sola suffragia, quibus Episcopum, vel nominabat, vel postulabat, concessa erant: electio, quæ per subscriptionem fiebat, solum ad Clericos, sine Sacerdotes pertinebat. Vnde Leo Primus in cap. Vota, dist. 63. hæc recte distinguit: *Vota, inquit, ciuium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio Clericorum in ordinationibus Sacerdotum constituantur:* Et ceterius: *Per pacem, & quietem Sacerdotes qui futuri sunt, postulant, tenentur subscriptio Clericorum, honoratorum testimonium, ordinis conuentus & plebis.* Vnde populus Episcopum petebat, nominabat, offerebat potius quam eligeret: Et ideo in Concilio Laodiceno. Can. 1. & 2. statuitur, ne populus sine Laico Episcopum eligat: Et Hieronymus in Epist. ad Euaagrium testatur, Episcopum Alexandrinum à Presbyteris eligi, nec cogebantur Episcopi comprouinciales admittere nominationem & postulationem à plebe, nisi esset idoneus: patet ex Can. 1. & 2. Græcarum Synodorum sub Martino Episcopo Bracarenfi. Quod ergo dicit Cyprianus hunc morem ex traditione diuina, & Anacletus à Domino institutum, intelligitur tractum esse ex ritu vetere, quo Pontifices olim creabantur, & sumptum ab exemplo Moysis, qui sic Pontificem delegit, & exemplo Apostolorum, qui Episcopos creauerunt. Nam sciendum est, Apostolos per vnuerum terrarum orbem Episcopos elegisse & consecrassent; mox vero Apostolorum successoribus decedentibus, singule Ecclesiæ per se Episcopos deligebant; hi vero Presbyteros, & Diaconos populi testimonio approbatos faciebant: quod si populus indigno nominabat, eos Episcopos repellebat. Deinde paulatim populo, imo & multitudini Clericorum ademptum est ius eligendi, vel nominandi, vel postulandi Episcopos, eo quod electiones fieri solebant non sine rumultibus, clamoribus, & seditionibus, vnde passim oriebantur dissidia, odia, inuidia, ambitiones, factiones, & similitates, capitaleque inimicitie. Ut propterea vsu & decretis etiam Ecclesiæ, & electio Episcoporum, ad Canonicorum collegium, & electio Abbatum, & aliorum Præpositorum, ad suffragia Monachorum redacta sit, atque hæc etiam consuetudo diu est in Ecclesiâ recenta: durauit enim non tantum vsque ad Innocentij III. sæculum, sed etiam vsque ad ætatem Ioannis XXII. extat enim non solum in lib. Decretalium sub Gregorio IX. sed etiam in sexto sub Bonifacio VIII. & in lib. Clementinarum sub Clemente V. & in libro extrauagantium Ioannis XXII. integer titulus de electione, & electi potestate: qui Titulus nunc fere superuacaneus est, quoniam non Collegia Canonicorum eligunt, sed aut Reges & Principes Episcopos, & alios præcipuos Ecclesiarum Antistites, Abbates, sine Præpositis designant, non nominant, & offerunt Rom. Pontif. ut eius auctoritate instituatur: aut ipse Rom. Pontifex per se eos eligit & creat atque constituit. Quo factum est, ut Episcopi aulæ Regum & Principum consecrarentur. In Germania tamen adhuc ex parte vetus consuetudo seruatur. Nam Canonicorum collegia in Metropolitanis Ecclesijs Archiepiscopos; in Cathedralibus Episcopos eligunt. Apud Monachorum & Religiosorum ordinum Canobia adhuc mos antiquus retinetur, ut Abbates Cœnobiatorum, Præpositi ordinum generales, Prouinciales, & plerique etiam locales in conuentibus, vel generalibus, vel prouincialibus, multorum suffragijs eligantur.

Porro, quæ de electione iure communi sancita sunt, ad quatuor fere capita reuocantur. Primo, quoniam possint eligere: Secundo qui eligi: Tertio, quæ sit solemnis forma, & ritus eligendi: Quarto, quibus temporibus electiones fieri debeant, & quo loco.

Secundo queritur, quid sit electio? Respondet Hostiensis in *summa*, *de elect.* esse idoneam personam ad ecclesiam suo Praeposito viduam, iuris forma seruata, rite & legitime factam optionem. Alij vero concinnius: *Electio, est alicuius hominis ad Ecclesiam pastore destitutam, Canonice facta vacatio neq;* enim electio fieri potest, nisi ecclesia suo Pastore vacante: nam in *e. Quia propter, de elect.* dicitur: *Ecclesia viduata, ecclesia autem viduata non est, nisi sui Pastoris, hoc est, spoli obitu destituta.* Quare licet Canonice, Dignitas, vel aliud beneficium inferius, comunibus Clericorum suffragiis alicubi conferri soleat: per electionem tamen conferri non dicitur, nisi Beneficium sit tale, vt Beneficiarius sit ipse ecclesiae sponsus qui ipsi ecclesiae praeficit *Glossa ibidem, & in e. Sicut, de elect. in 6.*

Tertio queritur, An omnis electio egeat confirmatione superioris, consensu, & auctoritate faciendi? Respondet, egeret, hoc enim constat ex *e. Nihil est, & e. Cum dilectus de elect.*

Quarto queritur, Quid iuris & potestatis per electionem ante confirmationem acquirat, & habeat electus? Respondet, ex electione, electum non acquirere ius in praefectura, vel dignitate, sed ius ad illam? quod dicitur ius ad rem, non in re: ac proinde ius illud est reuocabile, vel confirmabile, vt sic dicam, auctoritate superioris. Deinde, si electus ante confirmationem obierit, Dignitas, vel Praefectura minime per eius obitum vacat, sed per mortem prioris qui eam obtinebat. Quod si electus, in Curia Romana ante confirmationem decesserit, Praefectura in Curia Romana minime vacat, sed illic, vbi mortuus est, qui in illa iura habebat. Electus itidem, ante confirmationem, nequit praeficare quae sunt iurisdictionis: Confirmatio enim plenus ius & administrationem electo tribuit, *e. Nihil est, & e. Qualiter, de elect. & e. Audiam, de Praebendis.*

Quinto queritur, Quae Beneficia iure communi Electiua dicantur? Respondet, generatim ea sic appellari, quae conferri debent per electionem. Eliguntur vero, qui praeficiuntur ecclesijs viduatis: Viduatae porro ecclesiae dicuntur, quae vacant pastoris & sponsi morte: is autem est pastor, caput, & sponsus ecclesiae, qui ecclesiae, siue Collegio Clericorum, aut Monachorum praeficit, supremam in eo iurisdictionem habens. Tales sunt Patriarchatus, Primatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Archimanditae, Coenobiarchiae, Abbatiae, & Prioratus Conuentuales, qui generalem in omnes Clericos, vel Monachos iurisdictionem habent in ecclesijs Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, Conuentualibus, Secularibus, vel Regularibus. Caeterae dignitates generali iurisdictione, & potestate non praeditae, electiuae minime censentur: quales habent Decani, Archidiaconi, Archipresbyteri, Praecentores, seu Cantores, Thesaurarii, Scholastici: quae quidem dignitates concedi non debent per electionem strictam, & praefice sumptam, iuxta formulam praescriptam in *e. Quia propter, de elect.* quamuis conferri aliquando, & alicubi soleant communibus suffragiis Canonicoorum, sicut etiam aliqui Canonici a Collegio communiter conferuntur.

Sexto queritur, quinam habeant ius eligendi: Respondet: Canonicos, *e. in Genesi, & e. Ecclesia 2. cap. Cumana, ca. Cum in veteri, e. Congregatio, & e. Boue. 1. de elect.* Hoc autem ius habet quis, etiam si reuera Canonicus non sit, dummodo sit Canonicatus possessor bona fide: hoc est, sine lite, pacificam Canonicatus possessionem habeat, *e. in Genesi, & e. Querelam, & cap. Cum olim, de causa possessio, & proprietatis.* Verum caeteri Beneficiarij, ius eligendi non habent: nam soli Canonici collegium efficiunt, *cap. Nouis de vs, qua sunt à Pralato & Doctores, cap. 2. de institutione, & Abbas in cap. 1. de elect.* Si qui tamen consuetudine, vel praescriptione, pacto, vel privilegio muniti fuerint, non sunt à iure electionis excludendi. *Glossa, Panormitanus, & alij in e. Cumana, de elect.* Est autem generale, vt quadragesima annorum spatium iura spiritualia, & eis annexa praescribantur, *e. de quarta, de praescriptio.* Necessè tamen

est, vt aliqua dictarum electionum intra praedictum quadragesima annorum tempus factarum, superioris auctoritate confirmata fuerit, vt ius eligendi per praescriptionem acquiratur, *Innocentius in cap. cum venissent, de restitut. in integrum.* Pacto quoque tribuitur ius eligendi, *e. Scriptum, de elect.* Electores enim cum extraneis ius eligendi communicare queunt.

Quaerit, An possint totam potestatem in arbitros compromisso facto transferre? Respondet, posse, *e. causum, & e. in causis, & e. Quia propter, de elect.* Compromissum tamen, vel vno aliquo discrepante impeditur. Eadem etiam ratione ius datum extraneo eligendi, vel vno contradicente, locum non habet, *Abbas in e. Scriptum, de elect.* Priuilegio itidem ius eligendi conceditur, *e. Cum dilectus, de consuetudine:* ita vt laicus priuilegio possit electioni interesse. *Abbas in cap. Quisquis, de elect.* quamvis consuetudine, praescriptione, aut conuentione nequeat suffragium in eligendo ferre. *Abbas in e. Messana, de elect.* Potest tamen Princeps contra electum opponere ne confirmetur eo quod sit ipse suspectus: quod si probauerit eum ideo esse suspectum, quod vel patriam proditum, vel arcana Principis detectum, vel contra ipsum Principem coniuratum probabiliter omnes credant: electio dissolui debet. *Innocentius & Abbas in cap. Superbis, de Accusation. Glossa in cap. 1. dist. 62.* Vnde potest consuetudine introduci, vt Episcopi mors Regi, vel Principi nunciatur, & ab eo petatur facultas eligendi: alias electio non valeat: *ijdem auctores paulo ante nominati, in cap. Quod sicut, de elect. & vt facta electione requiratur eius assensus. Abbas in e. Cum terra, de elect. & hanc consuetudinem in multis Franciae ecclesijs seruari testatur Glossa in Pragm. sancti, Tit. de electione, §. Verumtamen. verb. Pontifex, vbi etiam tradit in Salernitana vrbe vsu esse receptum, vt mors episcopi ipsi populo nunciatur, antequam nouus Episcopus eligatur.*

Item nullus in ecclesijs Cathedralibus, vel Collegiatis saecularibus, vel regularibus, suffragium ferre potest, nisi saltem in Subdiaconatus ordine sit constitutus, etiam si hoc sibi ab alijs libere concedatur. *Clem. vt iij qui. De asa. & qualia.* Et sufficit si Canonicus sit Diaconus tempore quo celebretur electio, non enim est necesse, vt talis sit tempore quo vacat ecclesia, vt exalte ibi *Glossa annotauit.* Sed nunquid si Canonicus in proximis anni temporibus Subdiaconatum suscipere constituat, id temporis expectare cogantur caeteri Canonici? Respondet *cum Glossa ibidem,* minime, sicut nec expectare debent impubertem, cuius pubertas cito finiretur: nec absentem, qui alioqui vocatus & venire non potest, aut non vult, nec excommunicatum dicentem, se cito absolendum, nec Nouitium cito professionem facturum.

Septimo queritur, quid iura constituerint, de absente, videlicet, An Canonicus absens in eligendo suffragium habeat iure communi? Respondet, oportere vniversos qui eligendi ius habent, legitime vocati, & citati, vt electioni interfint, *Glossa in e. Quod sicut, verbo. vocatos, de electio.* Quod si, vel in vno id fuerit omissum, irritam reddet electionem talis omissio, vt habet communis sententia in *e. in Genesi, & e. Quod sicut, & e. Cum inter vniuersos, de elect.* nisi is, qui citatus non est, ratam postea adueniens electionem habere velit: tunc enim confirmanda est. *Abbas & caeteri, in e. Quod sicut, de elect.* Si quaeras, An consuetudine introduci queat, vt absentes non vocentur, & nihilominus electio valeat? Potest introduci, *Abbas in e. Clero, & e. Cumana, de ele. vocandi aut sunt, aut verbo, aut scripto, aut sono aeris capani iuxta consuetudinem receptam. Abb. in e. In causa, de ele.* Si tamen quis legitime fuerit impeditus, quo minus accitus, & vocatus, ac citatus ad electionem veniat, potest iure communi, vni vel pluribus eligendum, suum ius quod habet, delegare, *e. Quia propter, de elect. & e. Si quis iusto, eod. in 6.* Qui si vni tantum demandauerit, necesse est certam personam designare expressim, & is suo, & pariter demandantis nomine, suffragium in eligendo ferat, *e. praefato, Si quis iusto:* quod si plures ad eligendum procura-

tores instituerit in solidum, tunc eorum quilibet suffragium in solidum habet, & erit melior occupantis conditio, si in diuersos sua suffragia contulerint: & si ita concurrerint, ut inter eos primus appareat, is admittetur duntaxat, quem vel collegium Canonicoium, vel pars maior elegerit. *c. Si quis iusto, citato, c. ult. de rescrip. in 6. c. Cum inter Canonicos, de elect. in 6.* Vel si Canonici dissideant, is qui primus in instrumento, vel literis procurationis nominatus fuerit, ius eligendi habebit. Si autem plures non in solidum procuratores absens instituerit, nullus eorum admittitur, sibi; demandans imputet, qui eos imprudenter constituerit, eo quod cum plures sint, in diuersos possent sua vota, & suffragia dirigere: ita ut res exitum non haberet. *c. Si quis iusto, de elect. in 6.*

Quæres, An absens possit ius suum eligendi committere extraneo? Respondeo, inuito Capitulo minime. *ca. Si quis iusto, §. absens, de elect. in sexto:* opus enim est, ut vicem suam demandet vni ex Collegio Canonicoium, *cap. Quia propter, de elect.* Sed quid si nullus ex Collegio velit esse procurator, poteritne absens per literas suum suffragium in eligendo ferre? Respondeo, minime. *Ioan. Andriæ & ceteri in c. Si quis iusto, de elect. in 6.* nec item potest extraneo committere reclamante Capitulo, *Glossa in cap. Quia propter, de elect. in verbo. venire non possit.* Opus etiam est, ut procurator institutus ad eligendum, sit saltem Subdiaconus, ut colligitur ex *Clem. V. de a. n. c. q. qualitate.*

Verum, quiddidendum, quando elector præfens quidem est in oppido, vel conuobio, vbi sit electio, sed ægrotat in lecto decumbens? Respondeo, cum pro præfenti haberi, quia præfens est qui in hortis est. *l. ff. de procur. quæres, vel potest vnum, vel plures ex collegio sibi substituere ad eligendum, vel electores debet aliquos ad eum mittere, ut eius suffragium petant. Angel. elect. n. 17. ex Innoc. & Hostiensis.* Si roges, An elector possit abdicare se iure ferendi suffragium? Potest, quia quilibet potest suo iuri cedere, *l. si quis in conscribendo, C. de pact.*

Octauo quæritur: Quosnam ab eligendo ius commune repellat? Respondeo, in primis omnes impuberes, *c. Ex eo, de elect. in 6.* Nec distinguimus hic, An malitia suppleat ætatem, sicut nec in finienda tutela, voluntate pupilli. *l. Tutoris, C. quando Tutores, vel Curatores.* Licet secus sit in matrimonio. *c. Puberes, de desponsa. impube.* Ius autem impuberes, masculos vocat, qui decimum quartum ætatis annum non expleuerunt: feminas vero, quæ annum duodecimum non excesserunt. *l. Indecorum, C. Quando Tutores, vel Curatores.* Sed quia Canonicus ius eligendi non habet, nisi, ut minimum Subdiaconus fuerit, & iuxta Concilium Tridentinum, *Ses. 23. cap. 12.* Subdiaconatum nullus capessere potest, nisi vigesimum secundum annum inceperit: sequitur, ut Canonicus sine Romani Pontificis Indulgentia, ius eligendi habere nequeat, nisi vigesimo secundo ætatis anno inchoato. Vnde in electionibus Abbatum & earum, quæ Sanctimonialibus præficiuntur, suffragium habere nequeunt impuberes.

Ius item eligendi non habet, qui excommunicationis maioris vinculo obstringitur, *cap. Constitutus, de appellat. c. cap. illa, de elect.* secus vero est, si excommunicatione minori teneatur, ut habet communis opinio, *capit. Si celebres, de clerico excommunicato.* Qui item suspensus est, vel ab homine, vel à iure, *capit. Cum dilectus, de consuet. intelligitur suspensus ab officio.* Secus tamen si fuerit suspensus à beneficio: nam is non prohibetur eligere, omnia negotia spiritualia & temporalia agere potest. *Glossa in cap. Cum Vicentienfis, de elect. in verbo, admiserant, & idem iuris habet, si qualibet minoralia suspensione teneatur.* Is etiam cui est sacris interdictum, eligere non potest, *c. Cum inter, de elect.* Qui irregularitatem contraxit, *ca. Is qui, de senten. excommuni. in 6.* Qui scienter itidem sacris est operatus in loco interdicto, *c. Is qui citato: & qui scientes elegerunt indignum, cap. Cum in conciliis, c. Cum Vicentienfis, c. Cum innotuit, de elect.* sed tunc iure eligendi priuantur, quando omnes simul scientes indignum eligunt, *capit. Quam-*

quam, de elect. in sexto. Et tunc ius eligendi ad Romanum Pontificem deuoluitur, ut in eo capite dicitur. At si pars eligentium solum peccauit eligendo sciens indignum, penes ceteros manet eligendi potestas, *Glossa in cap. quamquam, de elect. in 6. in verbo, deuoluetur.* Præterea eligere prohibentur ad tempus trium annorum, qui ciuilibus, vel secularis potestatis auxilio elegerunt, *c. Quisquis, de elect. v. p. p. ta, si laicos conuocauerunt, cap. Quoniam 1. 10. quæst. 7.* aut in laicorum gratiam aliquem elegerunt, *c. Messana, & cap. Cum tota, de elect.* Item, qui intra tempus iure præscriptum, hoc est, infra tres menses non elegerunt in Ecclesia Cathedrali, aut regulari, eligere ea vice prohibentur, *c. Qui pro defectu, de elect. c. Ex eo, quod, §. In Ecclesiis, de elect. in 6.* Conuersi itidem laici sicut religiosorum Ordinibus vocati, iure communi suffragium non ferunt cum Clericis in eligendo Prælato: *c. Ex eo, quod citato, nisi id possint, vel vetere consuetudine, vel priuilegio, vel statuto ipsius ordinis, & religionis.* *Glossa in cap. Ex eo quod, citato in verbo, Electionibus, vbi ait: Decretalis hac non tollit speciale ius laicorum, Ordinum, vel personarum consuetudines præscriptas, iuxta id quod habetur in c. Licet, de consuetudine in 6.* Sic illa *Glossa*, ita etiam *Innoc. in c. 2. de insti. Federicus, cons. 107.* Præterea qui expresse, vel tacite religionem professi non sunt, carent iure eligendi cœnobiorum Præfectos. *c. Ex eo quod, §. In Ecclesiis, de elect. in 6.* Carent etiam ij, qui iure regulæ vel Constitutionum approbatarum ab eligendo excluduntur. *Sil. elect. l. 2.*

Nono quæritur, Quosnam iure communi eligi prohibeatur? Respondeo in hunc modum: si eligatur excommunicatione maiori obstrictus, aut suspensione affectus; aut is, cui est sacris interdictum; aut qui interdictum non seruauit, aut qui irregularitatem incurrit, aut spurius; aut alias non legitime natus, aut non iustæ ætatis: aut non debite literaturæ, aut corpore vitiatum, aut criminofus, aut infamis, aut denique aliquo alio Canonico impedimento ligatus, irrita est & inanis electio, ut ex capitulis superioribus in hoc libro patet. hi omnes sunt inhabiles ut ad Ecclesiæ eligantur. Sed quid si excommunicatione minori adstrictus eligatur, subsistet electio? huic quæstioni suo loco respondimus, *videlicet, c. 7. iuris libri.*

Decimo quæritur, An Clericus lethali peccato pollutus occulto tamen, eligi queat? hoc est; An ipse sui ipsius electioni consentiens peccet, Electores item eius peccati conscij, An peccent eum eligendo? Cæterum in *summas, verb. Electio*, ingenue fatetur, ut aliquis digne eligatur, oportere eum à lethali culpa esse immunem, & liberum. *S. Thom. lethali peccato obstrictum, ait ad quodlibet spirituale munus & officium obeundum esse indignum: Et oportet, inquit, eligere ad prælationem, vel Ecclesiasticum officium aliquem, qui sit bonus simpliciter.* Innocentius *cap. ult. de clerico excommuni. simpliciter fatetur eum eligi non posse. Idem quoque sentit Panormitan. ibidem.* Vnde est opinio quorundam, lethali ter eum peccare, qui eligit quem lethali ter maculatum nouit: quorum sententia alijs profusus improbabilis visa est. Cæterum non est tam improbabilis, atque illi putant: nam qui lethali peccato teneatur, ut est in *capit. ultimo, de temporibus ordinationum*, suspensus est quoad Deum, & quoad se, quamuis non quoad alios. Nam eo ipso quo lethalis culpæ sibi conscius est, à Sacramentis sese abstinere debet. Ergo sicut qui est in minore excommunicationem lapsus, à Sacramentorum susceptione repellitur, & eligi iure non potest, sic etiam nec is, qui lethali ter deliquit. Accedit, quod electio sit, ut electus sacro munere & officio fugatur, at qui lethalem culpam contraxit, Sacramenta suscipere licite nequit.

Nihilominus, mihi probabile videtur, quod alij sententur, non quemuis peccatorem occultum in sui electionem consensum præbentem, peccare, nec eum, qui sciens ipsum elegit aliquid ceteris digniorem: neque enim iudicandum est, cum semper, aut diu in lethali peccato permanurum. Quamuis autem lethale peccatum non sit ex numero eorum, quæ in iure vocantur crimina depositione

digna, at nihilominus si sit notorium, peccat qui sciens ipsam elegerit, quoniam, ut minimum, alijs causam præbet offensivam, cum videant hunc eligi, alio prætermissio qui bonus & idoneus censetur ab omnibus.

Item peccat, qui sciens eligi cum qui manifesta malitia, aut inueterata quadam consuetudine peccator est, tamen si ex eorum numero non sit, quos ius Canonicum criminosos appellat: hic enim probabiliter iudicari diu in peccato permansurus; At vero si peccatum est notorium, & ex his quæ secundum Canones merentur depositionem, eligi nequaquam potestis qui eo tenetur.

Vndecimo quaeritur, Quot modis electio iure fieri queat? Respondeo, trib. modis, Per inspirationem, Per serutinium, Per compromissum, c. *Quia propter, De elect.* Electio per inspirationem fit, cum electores nulla præcedente consultatione quasi diuini Spiritus impulsu excitati, simul omnes in vnum repente consentiunt, ac simul vnum nominant & eligunt.

Per serutinium fit electio, cum præsentibus omnibus qui debent, volunt, & possunt commode in interesse, tres de collegio si de digni assumuntur, qui secrete, & sigillatim vota, & suffragia cunctorum diligenter exquirunt, & de vno in scripturam redacta, mox publice denuntiant.

quo facto, nequeunt electores variare. c. *Publicatio, de elect.*

Et deinde collatione habita, is demum censetur electus, in quem omnes, vel maior & sanior pars Collegij statim consentit. Quod si eligentium suffragia ita diuidantur, ut hinc quidem Electorum pars numerosior consistat, illinc minor, sed quæ non minus auctoritate eligentium, quam ex meritis electi sanior appareat, ad infringendam electionem maioris partis, facultas est minoris, & de auctoritate eligentium, & de meritis eius qui est electus, opponendi. *Glossa in c. Si quando, de elect. in 6.* Hoc tamen locum habet: cum non magnus in altera parte contingit excessus, *Glo. in c. Si quando, de elect. in 6. in verbo, interdictum.* Ceterum, si quando, duabus electionibus factis pars altera eligentium duplo maior numero deprehenditur, aut saltem continet duas partes ex tribus, contra huiusmodi electores: ad extenuanda merita, vel auctoritates ipsorum infirmandam, paucioribus, vel electo ab eis, opponendi facultas non est. *Glossa in c. Si quando citato.* Potest tamen opponi si eligentium suffragia ipso iure sint irrita, puta quia sunt excommunicati vel omnes, vel aliqui eorum. *Glossa ibidem.* Per compromissum celebratur electio cum plures idonei vni eliguntur, in quos omnino bene eligendi certo modo facultas & potestas transfunditur, qui arbitri compromissiones diligenter custodire debent; alioqui si quid contra demandatam formulam fecerint, nullum habet iuris effectum electio: quod si intra terminos consisterint, quod ab eis factum fuerit, vsq; ad eorum ratum & firmum habebitur, ut etiam electione minime secuta, re tamen non integra, demandata sibi potestas reuocari iure non possit, c. *Quia propter, De elect.* & potest committi hæc potestas eligendi, vni, vel pluribus tam ex ijs, qui ad collegium spectant, quam ex ijs, qui extra collegium sunt, ut annotat *Glossa in c. Quia propter, De elect. Et colligitur ex c. Causam qua, De elect.*

Duodecimo quaeritur, Quibus ex causis Electores iterum eligere queant? Respondeo, posse, si Electus in sui electione prælatæ assensum recuset, ut si post assensum suo iure cedat, aut mortem obeat, aut propter occultum eius impedimentum, & vicium, electio irrita fiat. Quibus item ex causis est Electoribus, integrum tempus ad eligendum, ac si tunc dignitas, vel Præfectura vacasset, dummodo nihil per fraudem egerint. c. *Si electio, De elect. in 6.*

Decimo tertio quaeritur, Quas ob causas eligendi potestas ad alium deuoluatur? Hanc quaestionem inferius diluam, c. 17. q. 2. In præsentis satis sit dicere: In Cathedralibus, & Regularibus, ecclesiis remoto omni legitimo impedimento, si electores intra tres menses non elegerint, electio deuoluitur ad proximum superiorem: Si is intra totidem menses elect. distulerit, deuoluitur ad al-

um superiorem, & sic vsque ad Papam. c. *Ne pro defectu, De elect.* Item si omnes electores scienter elegerint indignum, tunc electio deuoluitur proxime ad Romanum Pontificem, c. *Quamquam, De elect. in 6.*

Decimo quarto quaeritur, Eligere cuius potestatis sit actus, ordinis ne an iurisdictionis, an potius munus & officij? Respondeo esse solum officij: nam Canonici ius habent eligendi Præsulem, Monachi Abbatem: & tamen nec Canonici, nec Monachi iurisdictionis potestate præditi sunt. Episcopus tamen quamuis electus, ante confirmationem ius non habet Beneficiarios eligendi, sicut nec Beneficia conferendi. *Et supra dixi hoc eodem c. q. 4.*

Decimo quinto quaeritur, Intra quantum tempus debeat electio fieri? Respondeo, in ecclesiis Cathedralibus, vel regularibus intra tres menses, nisi iusto impedimento Electores præditi fuerint. c. *Ne pro defectu, De elect.* Deinde Electores debent electionem electo nunciare, & petere consensum eius intra octo dies postquam commode poterunt, alioqui suspensum sunt ad tres annos ab omnibus beneficijs ipsius ecclesie. c. *Capietes, §. Ceterum, de elect. in sexto.* alijs vero ecclesijs fieri debet intra sex menses. c. *de multa de prob. c. Nulla de concess. prob.*

Item electio, antequam sepeliatur defunctus Prælat, fieri nequit, c. *Bona memoria, 2. de elect.* Si tamen fieret, valeret. *Glossa ibidem.*

Decimo sexto quaeritur, Intra quantum tempus debeat Electus consentire, aut dissentire? Intra mensem, à die quo fuerit de electione certior factus ab Electoribus nuntiata ei electione: aliter est nulla ipso iure electio nisi superioris requiratur assensus, c. *Quam sit, De Elect. in sexto.* Si religiosus fuerit electus, ipse, vel electores dicent quum primum poterunt superioris assensum petere. *Glossa ibidem.*

Decimo septimo quaeritur, In quo loco debet electio fieri? In quouis loco commodo & decenti secundum consuetudinem, c. *Cum terra, de elect.* dummodo non sit locus clandestinus, quia electiones factæ in cubiculis pro occultis conuenticulis haberi solent. c. 2. *Et c. Si transitus d. 79.* Electiones episcoporum fieri consueuerunt in ecclesijs, c. *Quod fecit, de elect.* An si fiat in loco interdicto valeat? Archidiaconus in c. *in nomine, d. st. 23.* negat valere. At Panormit. in c. *de postulas, pralac.* dicit ratam esse & firmam. Hæc est sententia communis: ut ait *Angel. electio, num. 12.*

CAP. XV.

Alia quaestiones circa electionem diluuntur.

PRimo quaeritur, An lethaliter delinquat, qui sciens eligi idoneum ac dignum, prætermissio digniori, & magis idoneo? Duæ sunt opiniones; Vna prorsus negans vllum esse peccatum: quæ videtur *Glossa fuisse in ca. Constitutio, verbo, Magis vtilem, De appellat. Et c. Licet, verb. Qui præstantior, §. quæst. 1. c. Quoniam, verb. Qui maioribus, De iure Patronatus, ca. 2. De officio Pastoris, verb. Sanctior,* quibus omnibus in locis docet *Glossa* sufficere in electionibus, si bonus eligatur, *Est autem* inquit, *aliquis bonus eo ipso quod malus non est.* Hanc sententiam firmat *Glossa* multis rationibus in c. *Licet*, in primis, quia maior probitas vnius, alij nocere non debet. c. *Necessè 3. q. 9. c. Tenemus, 1. quæst. 1.* Deinde in c. *Monasterium 16. quæst. 6.* conceditur Patrono, ut Monasterium, & Oratorium à se constructum commendare possit Presbytero, quem maluerit, episcopi consensu: dum malus non sit.

Item, Electio irrita non fit, nisi aliquod impedimentum Canonicum insit in eligentibus, aut in electo: sed in electo, si bonus est, non est impedimentum Canonicum, nec in electoribus, cum fas sit bonum & idoneum eligere. Accedit, quod quis alioqui bene agendo peccaret? nam qui bonum & idoneum eligi, beneficit, & tamen peccat, quia digniorem omittit: ergo benefaciendo delinquit: & doctor & magister docendo peccaret, quia melius do-

cere

cere posset, videlicet orando. Insuper dignior electus non peccat, si tantumdem operæ, diligentia & laboris conferat in administrationem Ecclesiæ, quantum alius qui conferret dignus & idoneus, quamvis maiorem posset adhibere, ergo nec peccat, qui dignum eligit, quamvis posset eligere digniorem. Adde his, quod iura in c. *Cum nobis*, & in c. *Cum inter Canonicos*, electum confirmari præcipiunt, qui non habet canonicum impedimentum, licet eminentis scientiæ non sit. Postremo iura constituunt, ut vnus ex collegio, & Ecclesiæ clericorum eligatur, quamuis extra sint alij digniores, c. *Osius*, & cap. *Nullus*, dist. 62. Sicut tutor ex eadem ciuitate sumitur, & satis est si bonus sit l. *Diuus*, ff. *De tutorib. & Curato. datis*; & Præses ex diocesi debet constitui, l. *Verum*, C. *de incolis*, l. 10. Sic Glossa.

Altera opinio affirmat, lethale peccatum committi, si prætermisso digniori bono, & idoneo eligatur. Sic S. Thom. 2. 2. quæst. 63. ar. 2. ad 3. Quod lib. 8. ar. 6. Gab. 4. dist. 15. q. 7. ar. 5. dub. 1. *Adria. 4. De restit. 9. que incipit, Quia determinatum est, conclus. 1. Maior. 4. dist. 2. q. 8. Sotus li. 3. De iustitia, q. 6. art. 2. Cuiet. 2. 2. q. 63. ar. 2. ad 3. Ledesma 4. part. 2. q. 18. dub. 7. Anton. part. 2. 2. 1. ca. 26. §. 1. Sic omnes quoque Summistæ, Angelus, Rosella, Syluester, Tabienis in verb. *electio*. Sic mulu etiam iuris Pontificij periti, Archidiaconus, Abbas, Francus, Imola, Lambertus, apud Couarruuiam in regula peccatum, p. 2. §. 2. num. 3. Sic etiam Nauar. in *Mann. c. 7. nu. 72. Quamuis Alexander inter Theologos ita distinxerit p. 2. quæst. 119. num. 2. art. 3. Aut Clericus, inquit, eligitur ad Præfecturam maiorem, cui inest animarum cura, videlicet ad Episcopalem, vel Parochiale Beneficium, aut Dignitatem curam animarum habentem, & peccat qui digniorem non eligit: aut eligitur ad alia Beneficia minora, & non peccat, saltem lethaliter, qui dignum eligit dimissa digniori. Angel. verbo *Electio*, num. 21. Alexandrum sequitur, sed nomine Beneficij maioris intelligit quodlibet Beneficium, cui cura animarum inest, & nomine Beneficij minoris quoduis Beneficium simplex. Sic etiam Gabr. 4. dist. 15. quæst. 7. ar. 3. dub. 1. proposit. 2. Sed hanc sententiam refutat Syluest. c. *electio*, l. 9. 16. quia in omnibus est lethale peccatum. Non placet mihi sententia cuiusdam iunioris Petri Nauar. li. 2. de restit. c. 2. p. 2. n. 147. differentis non esse peccatum, beneficia curam animarum habentia conferre dignis relictis dignioribus est sententia singularis & noua.**

In hac igitur principali controuersia, opinio secunda ipsi iuri Canonico, & rationi naturali magis est consentanea. Nam in c. *Licet supra* citato ex Hieronymo, sic est: *In ordinando sacerdote requiritur, ut qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, eligatur: & c. Metropolitanus, distinct. 63. ex Leone Papa habetur, eum, qui ex Presbyteris, & Diaconis eiusdem ecclesiæ optimus est, episcopum eligendum. Simile quid extat in Authentica De Monachis, §. Ordinationem, collat. 1. Profecto. 1. Regum, 9. De Saule in Regem electo Samuel testatur est, quia non erat alius melior illo in Israel. Idem ceterum est in electione Dauidis, & Ioann. 21. quando Petrus eligitur, non solum interrogatur an Christum diligeret, sed etiam an plus quam ceteri Apostoli ipsum diligeret. In Concilio Basiliensi extat Pragmatica sanctio sess. 12. in decreto, De electionibus confirmata à Martino V. vbi electores iubentur iurando promittere Deo, & Sanctæ illius Ecclesiæ, cuius est præfectura, se electos quem nouerint digniorem Et cap. 1. [*Ut Beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur.*] scribit Innocentius III. cuidam Episcopo: *Non ex affectu carnali, sed discreto iudicio debuisti Ecclesiasticum officium, & Beneficium in persona magis idonea dispensare.* In Synodo Tridentina sess. 23. cap. 1. De reform. dicitur: *Antistites peccare, nisi, quos digniores & Ecclesiæ magis viles iudicauerint, præficiendos diligenter curauerint.* Et cap. 18. *Ex hisque Episcopos eum eligit, quem ceteris magis idoneum iudicauerit: ut que illi, & non alteri collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit**

eam conferri. Hæc ibi. Nec solum iuris Canonici est, ut dignior eligatur, sed hoc etiam ratio ipsa naturalis euincit. Nam qui digno electo, digniorem prætermittit, personarum, non sui muneris & officij rationem habet: personæ, non Ecclesiæ negotium gerit. Accedit, quod Electorum fidei committitur, ut eligant quem vtiliorem iudicauerint: alioqui enim in eligendo fideles administratores non sunt. Adde, procuratorem, domini rem minus vtiliter gerere, qui cum meliorem illum posset efficere, non fecit. Et certe Glossam existimo non aliter sensisse ac ceteros: non enim dixit, absolute, satis esse, si dignus, prætermisso digniore, eligatur, sed certus ex causis, ut puta, si Patronus ex familia sua, vel ecclesiæ dignum nominet & offerat, quamuis extraneum alium nouerit digniorem. Si Canonicorum collegium & idoneum ex ipso Ecclesiæ gremio elegerit; extraneo digniore præterito: Ita sacrum Cardinalium Collegium, ex ipsis Cardinalibus digniorem elegerit, quamuis extra collegium alius ipso dignior reperitur.

Item ex indigenis, & ex loco ipso oriundis, digni eliguntur, quamuis inter ceteros & alienigenas alij iuciat digniores.

Verum, quis dignior cæteris iudicatur? Is vtiq; qui doctior & sanctior est, hoc enim significat prædictum c. *Licet*. Is vero doctior & sanctior habetur, qui ratione habita præfertur, ad quæ assumitur, vtilior & aptior est: quamuis absolute alius eo peritor & melior inueniatur. Ex quibus etiam solui possunt argumenta in contrarium, ut apud Doctores citatos pro secunda sententia, præcipue Sotum loco supra citato.

Secundo quaeritur, An valeat electio digni, præterito digniori? Respondeo, eam in vtroque foro, tum externo, tum interno valere, nec rescindi posse: ita communis sententia, ut videre est apud Couarru. in reg. peccatum, p. 2. §. 7. nu. 3. alioqui certe omnes electiones in maximo discrimine, & periculo seruarentur, & locus esset sextcentis litibus & controuersijs, si constitutum fuisset electionem irritam esse ea sola causa, & ratione, quod dignior electus non sit. Quæres, An electio rata quoq; sit, vbi ante eam denuntiatio fuerit electoribus, ut eligant digniorem: secus autem, appellationem ab initio interpositam sciant Abbas, Decius, ut testatur Couarru. loco citato, & quidam alij sentiunt nullam esse eiusmodi electionem: quippe que facta sit contra appellationem. Probabilius tamen putat Couarru. eodem loco prædicto, quod Imola, & Francus tradiderunt, rata esse, nec infirmari, aut reuocari posse, lites & controuersias præcidendas esse oportere: alioqui innumeræ concitarentur.

Tertio quaeritur, An aliquando generis nobilitas, & potentia constituat aliquem digniorem: ita ut nobilior, siue potentior præferri queat ignobili, sed doctiori, & sanctiori? Alex. p. 2. q. 119. n. 2. q. 2. & Gabr. 4. d. 1. q. 7. ar. 3. dub. 1. proposit. 2. versic. sic etiam licet. docent constituere, vbi ecclesiæ protectore indiget, qui eam ab Hæreticis, Schismaticis, & aliis Catholicis vel Christianis nominis hostibus, defendat, & protegat; tunc enim ecclesiæ vtilior est maior clerici potentia, quam doctrina; Deinde si nobilis, ac potens alioqui, sit æque doctus & bonus, eo ipso dignior est, quia doctrinæ & vitæ probitati coniungitur generis splendor, & claritas.

Quarto quaeritur, An liceat eligere consanguineum, familiarem, amicum, aut notum? Respondeo in primis hac in re maxime cauendam esse aliorum offensionem, non illi, iure & ratione sanguinis, aut amicitie fieri electionem; At si consanguineus, familiaris, vel amicus sit æque doctus, ac probus, citra peccatum eligatur. Alex. p. 2. q. 129. num. 2. d. 1. neque enim vlla tunc est personarum acceptio, nec vllus datur offensionis locus, si domesticos manifeste æque idoneos & dignos eligamus. Dubitet aliquis, electori ne liceat consanguineum, familiarem, amicum, quem certissime nouit esse dignum, eligere, relicto alio quem probabiliter tantum putat esse digniorem? Respon-

Respondeo, in hoc peccatum non esse, quoniam certa & evidens notitia hac in parte opinioni probabiliter præferri tuto potest: Nam prudentior & tunc elector est, quando eligit Titium, quem nouit certissimo dignum & idoneum esse, quam si Caium elegerit, quem dubitat esse digniorem, aut probabiliter tantum credere esse aptiorem, & magis idoneum. Idem iuris est, cum elector nouit quidem Caium esse doctiorem, sed nec eius prudentiam, nec vitæ probitatem satis competens habet: cum tamen ei Titij sui familiaris, vel amici prope perfecta sit prudentia, & integritas, Pari quoque ratione, cum prudenter iudicat elector minus doctum Titium suum minus, & officium diligentius obiturum, quam Caium: nam eo ipso Titius utilior Ecclesiæ futurus speratur, & creditur.

Quinto quaeritur, An si minor Collegij pars elegerit optimum quidem, sed extraneum, & maior pars dignum tantum, sed ex ipsa Ecclesia, valeat electio facta a maiori parte? Quidam teste Glossa in c. licet 8. q. 1. tenentur electionem factam a minori parte, præferri debere. Sed probabilis est quod eadem Glossa tradit, præferendam esse electionem factam a maiori parte: eam nimirum quæ iuxta formulam sacrorum Canonum facta est: quod enim a maiore parte Collegij sit, eo ipso tanquam a toto Collegio factum habetur, c. cum in cunctis, de ijs quæ sunt à maiore parte Cap. ac proinde contra eam non admittitur appellatio: nec quaerendum esse de meritis personæ, cum maior est numerus ex vna parte, quam ex altera, cap. Dudum, de electione.

Sexto quaeritur, An si maior Collegij pars eligat dignum quidem, sed extraneum: minor vero æque dignum, vel etiam digniorem, sed ex ipsa Ecclesia, præferri debeat is, quem pauciores elegerunt? De hac questione Glossa in c. Nullus inuitis, distinct. 61. vbi refert, Ioannem sensisse, electionem paucioribus esse anteferendam. Sed ipsa Glossa censet oppositum: quoniam quod a maiore parte Collegij sit, a toto ipso Collegio factum censetur, cap. cum in cunctis, de ijs quæ sunt à maiori parte Capituli. Idem Tancredus, & Goffredus.

Septimo quaeritur, An in acceptatione personarum qua dignus eligitur relicto digniore, venialis tantum culpa aliquando committatur? Respondeo committi tribus et cauis. Primo, quando inter ipsas Præfecturas, vel ecclesiæ beneficia excessus est parvus. Vt si ad beneficium, cuius proventus annui sunt centum, Titius dignus eligatur, & Caius dignior ad beneficium, cuius redditus sunt 96 vel 98. aurei. Secundo, quando inter eos qui eliguntur, modicus quoque excessus iudicatur: Tertio, quando beneficium, quod Caius digno conferretur, prætermisso Titio digniore, tenuis & exiguus proventus habet, & est ab animarum cura liberum, & immune.

Octauo quaeritur, An patronus debeat episcopo Clericum ad Beneficium promouendum, digniorem offerre? De hac questione dicemus inferius, cum de Iure Patronatus tractabimus scilicet c. 21. q. 5. Illud in presenti loco dixisse sit satis: Aut ex familia, loco, Ecclesia, vel gente, ex qua Clericum debet Patronus offerre, duo, vel plures sunt, & inter eos vnus altero dignior, aut vnus tantum dignus reperitur. Si primum, debet Patronus digniorem offerre, alioquin peccat: si secundum, suo officio satisfacit dignum offerens, quamuis extra familiam, vel gentem sint alij digniores: quoniam iustæ sunt leges Ecclesiæ auctoritate firmatæ, quibus statutum est, vt non nisi ex certa familia, loco, Ecclesia, vel gente Clericus nomine, offeratur, eligatur, vel creetur.

Nono quaeritur, An is, ad quem pertinet ius conferendi Beneficium, debeat ipsum Beneficium digniori conferre? De hac quoque questione dicam inferius, c. 26. q. 12. cum de potestate conferendorum Beneficiorum erit sermo. Interim breuiter id dicimus: Aut is, qui Beneficium confert, duos aut plures alios alij digniores in promptu habet aut non, nisi vnum dignum, quamuis alij alibi digniores inueniantur: Si primum, debet digniorem ante-

ferre: si secundum, satis est, si digno Beneficium concedat: quia licet alius dignior sit, habere eum commode non potest: quia non nisi cum magna difficultate & labore.

Decimo quaeritur, An qui suum Beneficium alteri gratis deponit, debeat digniorem assumere? De hoc quoque dubio infra lib. proximo sequenti, c. 9. sed interim oxile sufficiat, opus non esse, vt dignior hac in parte quaeratur: quare si quis, omisso alioqui digniore, gratia & causa digni, suum Beneficium demittat, non peccat, quoniam non eligit: sed ius suum, quod in Beneficio habet, in alterum superioris consensu transmittit. Deinde, quia si Beneficiarius aliquem in sui locum substituat, satis est si dignum sufficiat etiam omisso digniore. Accedit, quod is, nec iustitiam distribuendo, nec commutando violat: non quidem distribuendo, quia bona Ecclesiæ communia in plures non diuidit, sed rem suam in alterum legitima superioris auctoritate transfert: non in idem commutando, quia Ecclesiæ non nocet, cum standum illi ministerio idoneum curet. Postremo satis esse videtur, si Clericum subroget æque dignum & aptum, ac se, quamuis alius suppetat dignior & magis idoneus. Idem est iudicium de eo, qui suum cum alterius Beneficio superioris auctoritate commutat: satis enim est, si ille sit Beneficio dignus.

Vndecimo quaeritur, An qui examinant doctrinam eorum, qui in Beneficij petitione concurrunt, debeat suis suffragijs digniores præferre? Respondeo debere, id eo enim illi omnes examinantur, vt dignior cæteris præferatur. Illud dubie quaestio est, An Episcopo indicare debeat digniorem, etiam si Episcopus præcipiat solum vt ei dicant, qui & quot sint digni & idonei? Reuera Episcopi interdum ægre ferunt, vt qui ad Beneficia promouendorum doctrinam examinant, ipsis renuncient digniores. Nam synodus Tridentina solum præcipit, vt Episcopus quem peracto examine cæteris digniorem iudicauerit, eligat Sess. 24. c. 18. De reformatione sic habetur: Peracto examine renuncientur, quotiescumq; ab his idonei iudicati fuerint aetate, moribus, doctrina, prudentia, & alijs rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis. Ex hisq; Episcopus eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit: atq; illi, & non alteri collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quæ spectabit eam conferre.

Ex quibus verbis aperte colligitur è multis probatis examinatorum iudicio, Episcopum seligere debere quem iudicauerit digniorem. Vbi non dicitur: (quem examinatores digniorem iudicauerint) nihilominus examinatum partes sunt, competitorum scientiam & doctrinam examinare & patefacere, & renunciate Episcopo qui sint alij doctiores, quinam aptius & melius responderint ipsi enim doctrinam siue literaturam, non vitam & mores explorant: at vero Episcopi est ætate, moribus, doctrina, prudentia, & alijs rebus ad Ecclesiæ gubernationem commodis perspectis, iudicare, qui sint cæteris digniores, eumq; eligere, quem digniorem cæteris iudicauerit.

Duodecimo quaeritur, An qui dignum eligit, omisso digniore, restituere aliquid ipsi digniori debeat? Dux sunt opiniones, Vna affirmat, quam defendit Caietanus 2. 2. quæst. 62. art. 2. versic. ad confirmationem dicitur, cui subscribunt nonnulli iuniores, vt Salon. 2. 2. quæst. 63. art. 4. controuersia 3. post conclus. 3. versic. hanc partem, quam negat Sorus: eo quod in tali electione elector iustitiam violet, communia Ecclesiæ bona & præmia bonis & doctis hominibus debita, contra fas & ius distribuendo: sed qui talis iustitiam est violator, restituere damnum prætermisso digniori debet.

Item si dominus bona sua in plures distribuenda alteri committeret, ea lege & conditione, vt Titio daret mille, Caio centum, Seio quinquaginta, & is, cui distributio committitur, ea lege neglecta Caio daret mille, & Titio centum, restituere deberet ipsi Titio reliquum, quod erat illi voluntate domini dandum. Sed Ecclesia electoribus præcipit, vt digniores deligant, quibus Beneficia conferantur. Ergo, si his prætermittis elector dignum eligat, debet laeso damnum restituere.

Accedit quod Beneficia distribuuntur in Clericos tanquam bona ecclesie communia, & tanquam honorifica præmia debita Clericis pro varia meritum dignitate: ita ut maiora dignioribus, mediocria mediocribus, minora inferioribus debeantur. Sed quando in distribuendis communibus Reipublicæ bonis, aut spolijs ex bello parvis, aut præmijs iustitia violatur, debet qui distribuit, restituere totum, quod erat privato civi, vel alioqui bene merito dandum. His adde, quod elector, cum non sit dominus Beneficiorum, sed administrator ratione sui muneris & officij, vitamque iustitiam servare debet, & quæ distribuit, & quæ commutat, ne ecclesiam lædat indigno electo, & ne digniori ius denegat, vel adimat: Sed qui iustitiam in suo munere & officio non servat, damnum compensare debet: hanc sententiam videtur sequi Palu. in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 2. conclus. 4. Sylvest. refutatio. 3. quæst. 12. versic. 2.

Altera opinio negat, quam sequitur Adrianus in 4. de resit. in q. qua incipit. Quia iam determinatum est, in conclus. 1. Sor. lib. 4. de iustit. q. 6. art. 3. ad 6. conclus. 1. Navarr. in Man. 6. 17. num. 72. Mai. 4. dist. 24. quæst. 9. ad finem. Covarr. in regula peccatum. par. 2. §. 7. num. 6. & alij, unico permoti argumento: quod in conferendis Beneficijs, qui dignum & idoneum eligit, nec ecclesie nocet, nec digniori, quem omittit ac præterit. Non ecclesie quidem, nam in ea idoneum & dignum ministrum constituit: non digniori, quia is ante electionem nullum ius nec in re, nec ad rem acquisierat. Deinde Beneficiarij in ecclesijs constituuntur tanquam operarij quidam sed laborandum conducti, & Beneficia ipsis conferuntur tanquam laborum mercedes, & sacre militie stipendia: ergo qui dignum eligit, iustitiam commutativam non violat, cum talem in ecclesia operarium eligat, qualem ipsius ecclesie Beneficium requirit & postulat.

Postremo si dominus vineæ œconomus præcepisset, ut operarios conducere, meliores vitæ quos possit ad laborandum in vinea: reuera dignis & idoneis conductis, & commodioribus omisis, contra iustitiam ille minime fecisset, quamvis domino suo se fidelem non præstitisset. Operarii enim tales essent conducti, quales merces & stipendium postulare.

Tota hæc controuersia in eo sita est, An Beneficia Clericis debeantur, & reuera conferantur tanquam laborum mercedes & stipendia, An vero pariter etiam tanquam præmia meritum, & velut communia quedam ecclesie bona, quæ in singulos pro varijs ipsorum meritis, vitæ scilicet probitate, & doctrina diuidantur? Primæ opinionis auctores censent esse quidem merces & stipendia laborum, sed pariter etiam honorum præmia, & bona ecclesie communia, ac proinde aiunt, si eligatur indignus, electores, ecclesie damnus illatum reticere debere, quia operarium dignum, & idoneum ecclesie denegarunt: Si vero dignior omittatur, ipsi, non ecclesie, aliquid Electores debent restituere, quia præmia, quæ melioribus, & doctioribus vitis debentur, & bona communia ecclesie contra iustitiam distribuentur.

At vero secundæ sententiæ auctores arbitrantur, Beneficia ecclesiastica solum dari tanquam mercedes & stipendia laborum? ac propterea si electores eligant indignum debent suis bonis damnus ecclesie compensare: at si dignior prætermissus, dignum elegerint, nihil ipsi digniori debent, quoniam iustitiam ecclesie debitam non violant, nec ius vilius auferunt digniori. Dices, eos in distribuendo, iustitiam minime servare: Respondent illi, beneficia non distribui tanquam communia ecclesie bona, aut honorum præmia. Cur ergo, inquis, ecclesie leges præcipiunt, ut Beneficia dignioribus conferantur? Atque illi, electores in hac parte esse veluti Oeconomos & procuratores ecclesie, quibus illa præcipit, ut Beneficiarios tanquam operarios ad laborandum in vinea Domini eligant, nec qualescunque, sed meliores quos possunt. Et idcirco cum digniores non eligunt, fidem

quidem ecclesie datam non seruant, ac iustitiam non violant. Sunt igitur infideles administratores, non tamen iniusti.

Profecto, quamvis utraque opinio mihi satis esse probabilis videatur, posterior tamen mihi magis placet, tum quia mirior, tum quia plurimum, & grauiorum auctorum consensu & testimonio comprobata, & satis firma ratione fulta. Et primæ opinionis argumenta solum probant, peccate qui dignum eligit, præterito digniore, quia debet iuxta Canonum decreta magis idoneum deligere, in quo fidem ecclesie datam de digniore eligendo non seruat, sed iustitiam non violat: nam ecclesie idoneum ministrum dat, & digniori ius non adimit, cum is ante electionem nec ius in re, nec ad rem acquisierit: nec bona communia ecclesie distribuit, sed operarios tantum minus idoneos ad laborandum in ecclesia constituit.

Decimo tertio quaeritur, An dignus in sui electione consentiens, cum competitor magis idoneus omittitur, peccet? Respondeo, minime. Dices Electores digniorem prætermittendo peccate: ergo ipse quoque, illorum scilicet peccato consentiens. Respondeo, ipse non esse peccatorem, nec ne illi eligendo, nec ipso quod sui electionem ratam habet & acceptam, illorum peccato prestat assensum: illi enim digniorem omittendo peccant, ipse vero cum idoneus sit & dignus, in consentiendo sui electioni, non item.

Sed quis si certo ei & euidenter constet, ab electoribus esse digniorem neglectum? Dico, nec ei etiam tunc peccate: quia non est idem, Titium dignum quidem & idoneum in sui electionem consentire, quod cum peccato electorum simul operari, nec Titium beneficio dignus debet prospicere & consulere commodo dignioris.

Decimo quarto quaeritur, An dignus tuta conscientia in petitione Beneficij cum digniore concurrat? Navarrus, De oratione, Miscellanea 45. numer. 89. & 97. ita distinguit: Aut certo & euidenter noui alterum digniorem, aut secus: Si primum, peccat, si vsque ad examen, & examinatorum, & electorum suffragia persistat: nam electoribus causam peccandi præbet, & damno digniorem afficit, qui eo ipso quod habet competitorum, impensas plures & maiores facere cogitur. Deinde, quia peccat quod digniori debetur, & impedit ne Beneficium dignior assequatur. Si tamen bona fide putet secum digniore secundum aliquam quandam rationem videlicet, nobilitatis, ætatis, prudentiæ, vel industriæ merito posse conferri, nihil peccat. Idem videtur Caietanus sensisse in Summa, verbo Beneficium. Visum est tamen alijs probabilis, siu pliciter fas esse digno cum digniore in Beneficio petendo concurrere, quia solum se electoribus offert, ut ipsi scientiam in eius explorent, & merita perpendant. Si quartas, An saltem dignus iustam excusationem habeat, si id faciat, ut dolum & fraudem electorum, vel dignioris impediatur, vel ut deinceps allegare queat se cum viro tam digno semel, aut bis concurrisse? Navarrus Miscellanea 45. numero 100. ait, primam causam præbere illi iustam excusationem, non item alteram.

Cæterum alij probabilis arbitrantur, vitamque euistam excusationem adferre, quia ipse non est sua merita discutere & diiudicare, sed electorum, quorum Iudicio & sententiæ sese examinandum offert.

Decimo quinto quaeritur, Quo pacto ecclesie damnus electores compensabunt si indignum elegerint? Respondeo in hunc modum in primis: si ita erat indignus, ut beneficij capax non esset Canonico aliquo obstructus impedimento, irrita profus fuit electio: quamvis in foro iudiciali, ob occultum quod suberat impedimentum, rata habeatur: quare cum electus, tum electores curare debent, ut alius denuo ecclesie præficiatur. Electus enim Beneficium deponere suo iure compellitur. Si electus vero erat capax Beneficij, & Præfecturæ, electio subsistit: quia tamen indignus est, vel Beneficium in foro conscientie di-

titio dimittere debet, vel ad utroque aliquem idoneum sibi adsciscere, cuius opera, consilio, industria iuuetur. Postremo, qui indignum elegerunt, illatum resciantur damnatum, curando diligenter, ut electus aliquid praedictorum praestet, quod nisi fecerit electus, damna, quibus est ecclesia affecta, suis bonis compensanda omnino curate compellatur.

Decimo sexto quaeritur, An Titius impediens ne Caius Beneficium ecclesiasticum assignetur, debeat aliquid ipsi Caius restituere? S. Thom. 2. 2. quaestio. 62. art. 2. ad quartum ita scribit: *Aliquis potest impedire alium ne habeat praebendam, multipliciter: Vno modo, iuste puta si intendens honorem Dei, vel utilitatem ecclesiae, curet ut detur digniori: Et tunc nullo modo tenetur ad aliquam restitutionem, vel compensationem faciendam: Alio modo iniuste puta, intendens eius nocuentum, vel impedit propter odium, vel vindictam, vel aliquid huiusmodi: Et tunc si impedit ne praebenda digno detur, antequam sit firmatum quod ei detur, tenetur quidem ad aliquam compensationem per factis conditionibus personarum, & beneficij, secundum arbitrium sapientis, non tamen tenetur ad aequale, quia illam nondum suam adeptus est: poterat multipliciter impediri. Si vero iam firmatum sit, ut alicui detur praebenda, & aliquis propter indebitam causam curet, ut reuocetur, idem est, ac si iam habitam ei auferret, & ideo tenetur ad restitutionem aequalem. Hec Sancti Thomae. Sciendum est, contra quod re posse, ut aliquis impediatur à beneficio dupliciter, aut per vim, mendacium, siue dolum, aut consilio, suasio, & precibus culpabiliter. Rursum, potest accedere, siue per vim aut dolum, siue consilio & precibus, ut obstat aliquis digno Caii, ut Seius aequale dignus Beneficium assequatur: aut digniori Caii, ut Seius minus dignus obtineat, aut digno Caii, ut Seius indignus habeatur, aut Caii indigno, ut dignus & idoneus Seius ad Beneficium eligatur.*

Item euenire potest, ut quis impediatur à Beneficio Caium alioqui idoneum & dignum, non quidem ut eius commodis officiat & obstat, sed ut Seio amico suo, alias etiam digno proficiat. Postremo cum Caii obfistat, quo minus ad Beneficium eligatur, id dupliciter fieri contingit: aut electores firme iam ante decreuerant ipsum Caium eligere, aut nondum certo statuerant.

His positis inter omnes conuenit, si quis obstat per vim, mendacium, siue fraudem & dolum, quo minus quis idoneus & dignus Beneficium consequatur, ut indignus obtineat, debere eum compensare totum damnatum illatum. Ut si Titius mentiendo dicat, Caium alioqui dignum, esse spurium, aut aliquo alio impedimento Canonico teneri, ut Seio indigno Beneficium conferatur, tunc ipsi Caii restituere debet quicquid per mendacium ei, vel per fraudem abstulit, nisi ante electionem, vel ad probationem Beneficij quae dixerat, retractet, & Seium indignum repellendum curet. Rogat aliquis, quid dicendum de Titio, si fraude, vel mendaciis obfistat, ne Seius Beneficium obtineret, alioqui indignus: Caius idoneus & dignus? Respondeo, eum peccasse quidem, & ob dolum satisfacere oportere, sed Beneficium Caii non deberi: quare si Titius de suo peccato videlicet mendacio vel fraude doleat, & dolum ac fraudem compenset, nihil amplius debet indigno Seio, quia non dignum, sed indignum à Beneficio excludendum, quamuis malis artibus, curauit. Et quia ipsi Seio nihil iuris abstulit. & Ecclesiam multum profuit, à qua indignum & inaptum ministrum prohibuit. Quid si Titius mendacijs & fraudibus, aut vi impediuit Caium, idoneum quidem & dignum, sed ut Sempronius dignior, & magis idoneum Beneficium consequeretur? Respondeo, satis quoque esse si Titius sui peccati penitentiam agat, & dolum malum compenset. Nam Caius minus dignus quam Sempronius ius ad Beneficium non habuerat: ac propterea Titius Caii obfistens, ut Sempronius ad Beneficium aspiraret, iustitiam non violauit.

Sed quid tandem si Titius Caium indignum à Beneficio impediatur, per vim, mendacia, vel fraudem, ut Sempronius

aequale dignus illud obtineat? Respondeo, aequale bonum ac Beneficium Titium Caii restituere debere.

Verum hic tria merito in dubium vocantur. Primum est, An Titius odio, vel vindicta, vel prauo alio voluntatis affectu solis precibus efficiens, ut Caii digno, & idoneo omisso, Sempronius aequale dignus ad Beneficium eligatur, restituere aliquid Caii debeat? Alterum est, An Titius solis precibus curans, ne Caius alioqui idoneus, Beneficij compos fiat, ut Sempronius ipsius Titij amicus alioqui aequale dignus illud obrineat, restituere aliquid Caii debeat?

Tertium: An Titius solis precibus impediens Caium digniorem quo minus Beneficium assignetur, debeat Beneficium aequale commodò compensare ex eo praecise, quod Caium digniorem ab eo consequendo impediuit. Quod ad primum spectat: Scotus & Richardus senserunt, Titium debere Caii compensationem: quod idem ante illos auctores S. Thomas praedicto loco (ut videtur) tradiderat: Id autem ex iure civili petitis legibus, concludere nituntur. Et enim in l. 1. §. Denique Marcellus, ff. de aqua pluuiaria arcendi, dicitur, cum eo qui in suo fodiens vicinam fontem auerterit, nihil posse agi, nec de doli actione. Et sane non debet habere, si non animò nocendi vicinò; sed suum agrum meliorem faciendi id fecit. Et in l. Flaminium, §. Item videmus, ff. de damno infecto. In domo mea puteum aperio, quo aperto vena putei tui praecisa sunt: videmus an teneat. At Trebatius, non teneri me damnum infecti: neque enim ex estimati operis mei initio damnum tibi dari in ea re, in qua iure meo usus sum. Si tamen tam alte fodiam in meo, ut putei tui stare non possit, damnum infecti stipulatio committitur. Et l. Proculus, ff. eodem tit. sic habetur: Proculus ait: Cum quis iure quid in suo faceret, quamuis promississet damnum infecti vicinò, non tamen teneri eum ea stipulatione: velut si iuxta mea aedificia habras aedificia, eaque iure tuo alius tollas: aut si in vicinò tuo agro cumiculo vel fossa aquam meam auoces quamuis enim hic aquam meam abducas, & illic luminibus officias, tamen ex ea stipulatione actionem tibi non competere, scilicet quia non debeat is videri damnum facere, qui eo veluti lucro, quo adhuc utebatur, prohibetur: multumque interesse verum damnatum quis faciat, an lucro quod adhuc faciebat, ut prohibeatur. At ibi videtur vera Proculi sententia. Sic ibi. Et in l. In summa, §. Idem Labeo, ff. de aqua pluuiaria arcenda: Si vicinus flumen, torrentem auerterit, ne aqua ad ipsum perueniat, hoc modo sit effectum, ut vicinò nocentur, agi cum eo aqua pluuiaria non posse, aquam enim arcere, hoc esse, curare ne infuset. Quae sententia verior est, si modo non hoc animò fecerit, ut illi nocent, sed ne sibi nocent. Sic eo loco. Ergo cum quis malo animò ut vicinò nocent, aquam auerterit, damnatum compensare debet: Secus vero si tantum auerterit, ut proficiat sibi. Ac ob id pari ratione, si digno Caii obstem eo animò ut ei nocent, damnatum illatum rescarcere debeo: scilicet, si illum impediui solum, ut Seio amico ad Beneficium digne electo proficiam.

Communi tamen iuniorum consensu haec sententia rejicitur, quia non ob malum voluntatis affectum, sed ob illatum damnatum restituere quisque compellitur: alioqui enim iudex, vel magistratus latronem, vel homicidam priuato odio, vel vindicta suspendens, & miles iure quidem belli, sed priuata tamen inimicitia hostem interimens, restituere debent offensis, quod est absurdum. Ex quo fit inquit, ut Titius, etiam si malo animò suis precibus effecerit, ne Caius aequale dignus ac Sempronius, Beneficij sit compos, nihil penitus reddere Caii debeat.

Ad id vero, ex l. In summa, obiectum, Respondent solum in lege constitui, ut actione de dolo agi possit, contra vicinum, qui opere manu facto aquam auerterit eo animò, ut vicinò noceret: non tamen si id fecerit eo consilio, ut sibi tantum proficiat. Et lex locum habet in vicinò, qui vel natura loci vel iure seruitutis alteri aqueductum non debet.

Quod ad secundam attinet dubitationem propositam: Galetanus & alij iuniores quos citauimus in hoc capite, quaestio prima, affirmant, Titium debere aliquid Caii restituere,

quia cum à Beneficio consequendo suis precibus impediatur. Sotus tamen, Hadrianus & alij, ut dixim hoc ca. qu. 1. negant: quia Titius non videtur iustitiam Caio debitam violasse, cum ante electionem Caius in Beneficio ius nullum haberet: Nam penes electores libera potestas erat eligendi ex duobus aequae dignis quem mallent.

Quod ad tertium dubium pertinet, eius solutio pendet ex ijs, quae dicta sunt in q. 12. huius capituli: Auctores enim prius sententiae dicerent aequae Bonum, ac beneficium Caio restituendum. Sed qui secundum sententiam sequuntur, affirmarent nihil esse Caio restituendum, propterea quod nullum esset ipsi ius acquisitum ante electionem, quam sententiam nos probabiliorum existimavimus.

Decimo septimo quaeritur, An ad beneficia Ecclesiastica Theologus dignior, & magis idoneus habeatur, quam Iuris Pontificij peritus. Hanc quaestionem in libr. 3. *divinimus* cap. 1.

CAP. XVI.

De Confirmatione eorum, qui ad Dignitates, siue Beneficia eliguntur.

Sciendum est, Confirmationem, esse titulum Canonicum quo quis ius acquirit in beneficio. Nam Electio in Collegio Clericorum, siue Monachorum facta succedit confirmatio, qua Superior electum intra tempus lege praescriptum confirmat: & per confirmationem inter Praefectum, & Ecclesiam contrahitur vinculum, quod sine legitima superioris auctoritate non soluitur, *Abbas & alij in c. 2. De Translat. episc.*

Primo quaeritur, An electores statim curare debent ut Electus confirmetur? Respondeo, quod in Concilio Lugdunensi, ut habetur in c. *Quam sit, De elect. in sexto*, statutum est, ut Electores in Cathedralibus, vel Regularibus Ecclesijs, quam primum commode possit, operam dent, ut Electi consensum habeant. Nimirum debent Electionem Electo renunciare, & petere consensum eius intra octo dies, postquam commode poterunt; alioqui negligentes excluduntur à prosecutione, & sunt suspensi per triennium à beneficijs suae Ecclesiae, *cap. Cupientes, §. Caterum. De elect. in sexto*. Consensum vero, si infra mensem, computandum à die habitae notitiae de electione, Electus praestare destiterit, iure, si quod ei fuerit ex tali electione acquisitum, confestim careere debet, electoresque possunt ad aliam electionem convenire, *cap. cupientes, §. cap. superius plogno, & cap. Quam sit, ante citato*. nisi forte ea sit electi conditio, ut consentire non possit sine superioris licentia; tunc enim vel ipse, vel electores eum petere debent intra tantam temporis spatium, quantum requirit praesentia, vel absentia Superioris; & si illa non obtineatur, Electio ex elect. ipsam prosequuntur.

Secundo quaeritur, Electus post consensum suae praestitum electioni, aut post notitiam de electione habitam, si de electione certior factus non fuerit, intra quantum tempus debeat confirmationem petere? Respondeo, in *dicto c. Quam sit*, decre tum esse, ut electus intra tres menses, si nullum iustum impedimentum obstat, confirmationem à Superiore petere debeat, vel per se, vel per alium: alioqui trimestri spatio elapso, electionem esse penitus infirmam, & habendam ut irritam.

Sed quia interdum evenit, ut aliquorum locorum vicinitas minus temporis exigat, aliquorum distantia plus, merito Nicolaus III. c. *Cupientes, de elect. in sexto*, sancit, ut electi ad Cathedralibus, vel regularibus Ecclesijs, quarum electionum confirmationes, vel informationes ad ipsius Sedis Apostolicae examen deducit, vel immediata subiectio, vel appellatio interiecta auoluit, infra unum mensem post consensum datum, vel si eis electio nuntiata non sit, post habitam de ipsorum electione notitiam ad Sedem ipsam Apostolicam iter arripiant: & cum primum commode locorum consulerata distantia poterunt,

cum omnibus iuribus, & ministerijs suis coram Romano Pontifice se sistere student, suarum Electionum confirmationis petunt, vel prosecuntur. Haec ibi.

Tertio quaeritur, Quid iuris & potestatis Confirmato tribuat Elector? Respondeo, plenum ius eam tribuere in Beneficio, ita ut confirmatus possit ea omnia quae sunt iurisdictionis, *capit. Nostri, de electio. & capite, Transmissam, eodem titulo*. per confirmationem spirituale coniugium inter Ecclesiam, & Pastorem, quod erat Electione in hoc actum, perficitur, & consummatur. *cap. Inter corporalia, de Translatio. Pralato*: quapropter confirmatus, etiam ante consecrationem, adeptam tamen possessionem, ut alias dixi, potest ea omnia quae sunt iurisdictionis obire, & exquiri: quae sunt Ordinis, non item. Vnde confirmatus potestatem habet corrigendi, praecipendi, à priorum communione remouendi, interdicendi sacris, iurisdictioni, exigendi, conferendi Beneficia, eligendi, instituendi, & confirmandi, & id genus alia.

Sed quam poenam incurrit Electus, si ante confirmationem sese ingerit in administrationem spiritualium, vel corporaliū pertinentium ad Ecclesiam, vel dignitatem, ad quam electus est? Respondeo, si se ingerat Pralatus, vel Procurator, aut Oeconomus, vel alio qualis nouo nomine, vel per alium in totum, vel in partem, ipso facto eum omni iure priuari, quod per Electionem acquirerat, *capit. Avaritia, De elect. in sexto*. Excipitur Abbatissa electa a maiori parte, quando non à duobus partibus impugnetur, ne confirmetur, haec enim interim potest administrare. *capit. Indemnitatibus, paragrapho, Si vero, de elect. in sexto*.

Item, qui est Electus ad ecclesiam ultra Italiam, & eget confirmatione Papae, potest administrare spiritualia & temporalia: non tamen potest alienare ante confirmationem, *c. Nihil, De Elect.*

Quarto quaeritur, An quando eligentium vota & suffragia in duas diuisa sunt partes, liceat Superiori suo arbitrari confirmare quem maluerit ex duobus electis? Respondeo, eius iudicio alterum esse praefendum, qui maioribus meritis dignior, & magis idoneus fuerit. *in cap. Quoniam, de Iure patron. §. c. Si forte dist. 63.*

Quinto quaeritur, An vacante Ecclesia, & collegio Canonico in duas partes diuiso, si vnus electus fuerit, alter vero postulat, electio an sit confirmanda? An potius postulatio admittenda? Respondeo, in c. *Scriptura, de elect. Statutum* esse, quando postulatio cum electione concurrat, si postulantium numerus sit eligentium numero duplo maior, & postulatus idoneus: postulationem vtiq; esse admittendam, reiecta electione: sin minus, electionem confirmandam. Sed si postulantes indignum, petignorantiam id fecerunt, nec postulationem, nec electionem ratam habendam, quod si scientes, indignum postularunt, tunc electio est confirmanda.

Sexto quaeritur, An is, cuius est electionem confirmare, ius habeat examinandi mores, & vitam electi? Respondeo, habere. *cap. Nihil est, de elect.* Nam explorare debet num electio fuerit Canonice facta, & num electus aliquo impedimento Canonico teneatur: & hoc examinandi ius habet Superior ratione sui muneris, & officij, tametsi contra Electum nihil obijciatur. *c. Cum nobis, §. c. Venerabilem, De elect.* hoc enim interest Superioris: qui quidem punitur merito alioqui, si quem non debet, confirmat. Nam si id negligenter omiserit, maxime si non integritate vitae hominem, vel non legitimitate status, & litteraturae admitterit, à perceptione sui beneficii tam diu suspenditur, quam diu Antistiti suo Superiori videbitur, & confirmandi primum successorem potestate priuabitur: quod si id per malitiam sciens fecerit, grauius punietur. *cap. Nihil est, de elect.* Et confirmatus promotione illa deijcerit: & confirmatio sine causa cognitione facta, nullius est momenti, *c. vlt. de elect. in sexto*.

Septimo quaeritur, Quorum sit electos confirmare? Respondeo in hunc modum: Olim iure communi Episcopus

pum electum confirmabat Metropolitanus *can. 4. In Concilio Nicano: Metropolitanus Primas, siue primae sedis episcopus, ut colligi potest ex Concilio Carthaginiensi 3. Can. 28.* Primatum Patriarchae vnus ex quatuor praecipuis: hunc vero electum, expresse, aut tacite, Rom. Pont. aut eius Apostolicus Legatus a Latere, *ut liquet ex Epistola Leonis f. ad Anastasium Episcopum Thesalonicensem, & altera Simplicij ad Achatum.* Romani vero Pontificis electio, nulla indiget confirmatione, quoniam in terris superiores non habet, cuius auctoritate confirmetur. Olim item Abbates Regulares eligebantur a Monachorum conuentu, siue Collegio: & episcopi, qui erant proxime subiecta Monasteria, auctoritate confirmabantur. Qui deinde Abbates Romanorum Pontificum priuilegijs, ab episcopis sunt exempti: quare factum est, vt quando sunt ipsi Papae proxime subiecti, ab eo confirmantur. Abbates saeculares, si sint exempti, confirmantur a Papa, vel a Legato Apostolico, si quis sit in illa Prouincia. Si non sunt exempti, confirmantur ab episcopo. *Panormit. in c. 1. De sup. plen. neglig. Pralat.* Nunc tamen quia Canonico Collegijs potestas eligendi episcopos est adempta: sicut electio, ita etiam confirmatio in desuetudinem abiit. Episcopi enim a Regibus, aut Principibus nominantur, designantur, praesentantur & Papae offeruntur, a quo insistantur, quamuis per Germaniam antiquus etiam mos ille retineatur, vt a Canonico Collegijs episcopi deligantur, & Romani pontificis auctoritate confirmantur. Prouinciales Praepositi regulares confirmantur a Praeposito Generali totius Ordinis. Praepositi vero Generales, vel a nullo confirmantur, vel a Papa, qui ordinis Constitutiones approbavit.

Octauo quaeritur, An Praelatus superior confirmare queat sine Capitulo? Iure communi non potest, nec valet confirmatio absente Capitulo facta. *Archidiacon. Gemini. an. in c. Quoniam, de elect. in sexto: at consuetudo contraria, si recepta fuerit, valet. c. Non est, de elect. in sexto.*

Nono quaeritur, An electus admittatrans post confirmationem, quae nulla fuit, incidat in poenam iuris contentam in cap. Auaritia, de elect. in sexto: Respondeo cum Glossa in eo capite, si per ignorantiam facti, punitis confirmationem valuisse, admissauerit, non incidere. Si vero id fecerit per ignorantiam iuris, incidit.

CAP. XVII.

De postulatione Praelatorum.

Primo quaeritur, quid nomine Postulationis Praelatorum in iure significetur: Extat titulus in Iure Canonico, De Postulatione Praelatorum Tripliciter beneficia, quae electiua dicuntur, olim conferri solebant; videlicet, Per electionem, Postulationem aut nominationem, siue praesentationem. Qui postulabant aliquem sibi in Praelatum, non se eum eligere testabantur, sed solum se libenter electuros significabant, si per Canones talem eligere liceret, & ideo petebant, vt Canonum rigor in hac parte laxaretur, & vt sibi fieret simpliciter potestas eligendi quem petebant.

Secundo quaeritur, Quo modo Postulatio definiatur in Iure? Ex Hostiensis in summa ritul. De postulat. & ex Abbate in Rubrica, De Postulat. Pral. sic definitur potest: Postulatio, est simplex quadam a Collegio Canonico facta apud Superiorem petitio, qua petitur vt aliquis certa Ecclesia vacanti praeficiatur, qui propter impedimentum Canonum, quod non est animi, vel corporis vitium, eligi iure non potest, vt colligitur ex ca. Innocentius, De elect. c. cap. vlt. c. c. Bona. 2. De Postulat. Praelatorum. Aliquando tamen Postulatio amp'te, ac late sumitur, & tunc cum electione confunditur; stricto vero & presse accepta Postulatio, ab electione distinguitur, nam electio iuri innititur, postulatio gratiae. *Abbas loco citato.* Et proinde iure multi postulari queunt, qui

nequeunt eligi, eo quod impedimento aliquo Canonico teneantur; vt, qui legitimam aetatem non habent; spurij item ac caeteri extra legitimum matrimonium nati: item, qui nondum ecclesiasticis ordinibus initiati, adhuc laici sunt: episcopi etiam Ecclesijs alligati, postulari quidem ad alias Ecclesias, non tamen eligi possunt.

Tertio quaeritur, An postulant, in postulando oporteat esse concordēs: Quidam affirmant oportere, ita vt nisi omnes in vnum consentiant, sic, vt nemo discrepet, irrita sit & inanis postulatio; vt quae sit ex eorum numero, quae sunt voluntatis, fauoris & gratiae, in quibus non sufficit, si maior Collegij pars consentiat, vt Glossa notauit, c. Cum omnes, De constitutioni. Atque etiam c. Innocentius, De elect. c. Bona. 2. c. vlt. De Postulat. Pralat. constare videtur postulantibus oportere esse concordēs.

Alij requirunt in postulatione duas Collegij partes. Sed constans est plurimorum opinio, quam habent Goffred. Hostien. Abbas, vt refertur Sil. Postulatio. q. 2. satis esse si maior pars consensum praestiterit, vt colligitur ex c. Scriptum, de elect. Nam quod a maiori parte Collegij fit, a toto Collegio concordati & consentienti factum censetur, c. 1. c. vltimo, De iis quae sunt a maiori parte, c. l. quod maior ff. ad municipalem. Vnde quamuis verum sit, in gratia a collegio concedenda omnes concordare debere, ita vt nec vnus dissentiat: id tamen nihil obstat, hoc enim accipiendum est, ubi Collegium gratiam faceret; non quando peteret, vt in postulatione contingit.

Quarto quaeritur, An postulantē variare queant? hoc est, An postquam vnum petierunt, alterum nominare, & postulare possint? Exempli causa: Maior Collegij pars concordati sententia conuenit, vt Titium petenti quaeritur, possit ne mutata voluntate, Caium postulare? Respondeo, in hoc Postulationem ab electione discerni, quod eligentibus semel electione facta, non est fas mutare sententiam, & alterum eligere: Nam per electionem ius est electo acquisitum, vt confirmationem petat: at Postulantes, aut postulationem, ad Superiorem delatam, variare, & mutare sententiam queunt. c. Bona. de Postulat. nisi obtulerit fides de compromittendo data, Glossa in c. In causis, de elect. Ratio huius est, quoniam postulatus, nullum sibi ius per solam postulationem acquirit, quia postulantes non proprie consentiunt, sed votum suum declarant: & qui postulatur, cum iure Canonico sit praepeditus, ius ad praefecturam sibi comparare ex postulatione non potest. *Abb. in Rub. de Postulat. Pralat. n. 3.*

Quinto quaeritur, Cuius sit postulationem admittere, & postulatam confirmare? Respondeo, eius superioris, cuius est Canones, & iura laxare, ac vinculum quo postulatus obstringitur solvere, vt omni impedimento semoto, eligi possit. c. 1. De postulat. pralat. c. Glossa in c. Indemnitatib. De electione in 6.

Porto postulatione admissa, factaque Iuris relaxatione, Postulatus ab impedimento liber eo ipso approbatur, eaque approbatio eundem prorsus sortitur effectum, quem confirmatio electionis. *Glossa in c. vlt. in principio, De elect. nec alia confirmatio expectatur, Abbas in c. 1. De postulat. Pralat. num. 34. c. Gratum. eo. tit. num. 13. c. colligi videtur ex cap. Gratum citato, c. c. Bona, c. cap. vlt. De postulat. Pralat. Quare Postulatus, statim vt est a Superiore approbatus, potest ea omnia quae sunt iurisdictionis, non item ea quae ordinis. ex c. In causis, ad finem, De elect. c. Post translationem, s. vlt. De renuntiat. Sunt autem duo modi, quibus Superior postulationem admittit. Primus est cum superior ait: Prouidamus ecclesia vestra, prout postulastis, hunc, vel illum, Secundus est cum dicit, Admittimus postulationem vestram. Abbas in c. Gratum, De postulatione Praelatorum, nu. 13. non autem dicere debet, Confirmamus postulationem. *Abb. ibidem.**

Sexto quaeritur, An postulantē scienter indignum, tunc ipso facto, postulandi iure priuentur, seu eligendi facultate? Negat nonnulli eam ob causam, quod haec

poena tantum irrogetur eligentibus scienter indignum, & poenae restitui debeant, non laxari. Probabilis tamen alij docuerunt, ut Abbas in c. 2. de testamen. 9. 2. & c. 2. de postulat. eos & iure postulandi, & eligendi priuari, ut deduci videtur ex c. 1. & 2. De postulat. Prelati. & c. Scriptum ad finem, de elect.

Septimo quaeritur, An Postulatus repetere iure queat impensas à consensu Postulantium factas, si postulantibus postea, voluntate mutata alium petierint? Respondeo, minime, quia nullum ius sola postulatio tribuit: quare Postulatus sibi imputet, quod fecerit impensas. *Sim. verbo. Postul. q. 9.*

Octavo quaeritur, An Simoniae crimen Postulantes aliquando contrahant? Respondeo, contrahere: quoniam licet Postulatio ius ad Praefecturam non tribuat, praebet tamen aliquid ad eam consequendam: Est. a. ad eam veluti quidam gradus factus. Unde omnis pactio & conuentio de dando, aut recipiendo emolumento & commodo temporali ratione postulationis, simoniaca labe maculatur, cum sit pactio in spiritualibus, in quibus omnis conuentio ipso iure prohibetur. *Quam Pius 1. q. 1. & c. ult. De pactis. & c. Tria. De Simonia.*

Nono quaeritur, Quis postulari queat, & quis nequeat? Respondeo, Postulari non posse criminolum, ut homicidam, peritum notorium, bigamum, irregularem, quia in his non solet iuris rigor relaxari. *Siluest. postulat. q. 3.* ac postulari potest, qui nondum legitimam aetatem habet, qui non est legitime natus, qui non est ordinibus initiatus, qui est alteri ecclesiae alligatus. *Siluest. verbo Postulatio. quae. 3.*

CAP. XVIII.

De Nominatione in Beneficiariis insituendis, & creandis.

Proest per nominationem Beneficium acquiri, *c. Bona, ad finem, De Postulatio. Prelator.*

Primo quaeritur, In quo nominatio ab electione, & postulatione differat? Respondeo, aliquando nominationem cum postulatione, & electione confundi, ut constat ex c. Cum olim, de sensen. & re ind. aliquando vero cum ab electione, tum a Postulatione distingui. Tripliciter enim accipitur nominatio, ut ait ex Glossa 10. Selua. De Benefic. p. 3. q. 1. un. 14. prima quidem est, quia ante Scrutinium aliqui ab electoribus nominantur tanquam idonei & digni, quae nullum profusus ius praestat nominato, quia solum a Collegio Canonicorum proponitur, ut si placuerit, eligatur, de qua in c. Quod sit, De elect. Secunda nominatio est, quae electorum singuli certum aliquem lecto nominant, quando in chartula quisque scribit, *Elige aut nomino Titium*, de qua in c. Si quis iusto. De elect. in 6. ad finem, ex qua etiam nominatione ius nullum acquirunt nominato, quamvis publicato Scrutinio, Electores amplius variare & mutare sententiam non queant, bene tamen prius quam publicetur nominatio. *c. Publicato, De elect.* Tertia nominatio est ea, quae duo, vel tres qui sunt caeteris digniores, & magis idonei, à Collegio Canonicorum nominantur, & Superiori offeruntur, ut quem ipse maluerit, confirmet: quae quidem nominatione oblata Superiori, Electoribus variandi sententiam potestas non est. Differt igitur a Postulatione nominatio, quod non nisi unus postuletur: cum tamen duo aut plures nominari iure queant: ab electione vero, quod nominatio absque villo Scrutinio, & sine Scriptura fit: cum tamen electio & Scrutinio & scripto fiat. Nominatio etiam aliquando sumitur pro ea, quae Patronus promouendum Clericum designat, nominat, & offert Superiori: & huic nominationi institutio à Superiori facta succedit.

Secundo quaeritur, An nominationi Simoniae labe possit aliquando subesse? Respondeo, posse, quia (quod etiam Superiori c. de Postulatione diximus) Nominatio

aperit viam & aditum ad ecclesiasticas praefecturas: ac propterea si ratione nominationis deat, vel accipiantur commodum pecunia aestimabile, Simoniae crimen suscipitur. Omnis item pactio & conuentio, quae reuocatur ad vnum ex quatuor contractibus. *Do. ut des. Facio, ut facias. Do, ut facias: Facio, ut des. si in nominatione intercedant, Simoniae labe inquinatur.*

Tertio quaeritur, Quo pacto nominari alicubi soleant ij, qui ecclesijs praeficiuntur? Respondeo, duplicem in Francia esse vlt receptam nominationem in Antistitum, Abbatum, & aliorum Beneficiorum institutione, Regiam videlicet, & Scholasticam. In prima illa nominatione haec fere continentur: Vacante Ecclesia Cathedrali, vel Metropolitana episcopus à Collegio Canonicorum non eligitur, sed Rex intra sex menses virum grauum & idoneum Romano Pontifici offert, ac nominat. Idoneus autem habetur, qui annos, ut minimum, septem & viginti natus est: quamvis veteres Canones maiorem aetatem requirant: quique praeterea in Schola aliqua celebri solemnibus litterarum honoris gradibus ac titulis praeditus sit: qui nempe in Theologia, iure ciuili, vel Pontificio Magister, seu Doctor, aut Licentiatius sit: Romanus Pontifex, si nihil requisitum in viro à Rege nominato desideretur, eum episcopum instituit, & creare debet. Quod si idoneus non fuerit, qui nominatur à Rege: Rex alium quempiam quamuis intra spatium trium mensium, digniorem & aptiorem nominare compellitur. Sunt tamen aliqui, quos, si à Rege nominentur, Pontifex creare Antistites debet, tametsi honores illos Scholasticos, & insignia adepti non sint, cuiusmodi sunt Regis gentiles, & consanguinei, & alij illustres & splendidi viri: saepe enim vtilitas aliqua, & ratio temporis postulat, ut huius generis viri, posthabitis humilioribus, & obscurioribus hominibus, ad sacras praefecturas eligantur. Tales etiam sunt Regulares & Mendicantes, quibus Lege Sociali Scholasticis honoribus & insignibus interdictum est: si modo tamen excellens sit eorum virtus & doctrina, ut Reipublice Christianae interit, eos Ecclesijs praefici. Et quod dictum est de episcopis, locum habet in Cœnobiaribus, qui Abbates vocantur. In his autem, ut nominantur à Rege, aetas trium & viginti annorum sufficit: nec vili Scholastici honorum gradus necessarii sunt. Hoc porro nominandi ius interdum Regi non conuenit, velut in aula & comitatu Romani Pontificis mortuo Praefule, ecclesia vacauerit: quia tunc solius Pontificis nutu, & arbitrio, creatur Antistes.

Ad Scholasticam vero nominationem in Gallia fieri conuenit, haec pertinent, quae sequuntur: Primum litteratis viris, tertia Beneficiorum ecclesiasticorum pars, certa quaedam forma contributa est, exceptis Ecclesijs Metropolitanis, & Cathedralibus, & Cœnobiaribus: nam Beneficia, quae quatuor mensibus vacant, id est, tertia parte anni, litterarum cultoribus, ad Scholasticos honorum titulos ecclesiae conferuntur: quod quidem nominandi ius habent scholae publicae, & celeberrimae Franciae. Publicae autem scholae vocantur, quae sunt publica auctoritate institutae & erectae, & more vulgari Vniuersitates dicuntur: non quod omnium disciplinarum artium in eis professio vigeat: sed quod professoribus & studiosis litterarum corpus, collegium, aut veluti reipublicam habere liceat: quamuis alias id sit iure interdictum. Hoc enim significat apud Iurificosconsultos Vniuersitatis nomen. Itaque tametsi schola aliqua publica ad certarum tantummodo disciplinarum professionem instituta sit: quales sunt in Gallia pleraeque, ius tamen habet nominandi. Porro is, qui nominari iure potest, praeditus debet esse Scholasticis gradibus ac titulis, quales sunt in Gallia tres: Baccalaureus, Licentiatius, Magister, seu Doctor. Ante hos autem gradus, in studio litterarum certum tempus consumpsisse eos, qui nominati sunt, necesse est: utpote, in Theologiae studio ante infimum gradum, sexennium, ante superiores gradus, decennium:

in stu-

in studio iuris Civilis, & Pontificij quinquennium ante gradum infimum: ante alios, medium scilicet, & summum, septennium. Est item necessarium, vt is, qui nominandus est, declaret beneficia quæ obtinet, vna cum vera, iustaq; annorum prouentuum æstimatione: quia eos nominare non licet, qui beneficijs sunt donati ad quantitatem ducentorum aureorum, ac propterea huius quantitatis mentio fieri debet. Ius vero quod sic nominatus acquirit, est, vt ei Beneficium quod postea vacauerit, conferatur ab episcopo, Collegio vel alijs qui ius habent beneficia conferendi. Et quadruplex denuntiatio apud eos fit Quadragenarij ieiunij tempore. Vna de Scholastico gradu quo præditus est nominatus: altera de legitimo studiorum tempore, tertia, de nominatione a publica schola facta: quarta, de genere & nobilitate. Et has quatuor denuntiationes, postquam semel fuerint factæ, repetere nominatus vltra non cogitur. Sed nihilominus nomen suum quotannis profiteri debet, ne forte mutasse voluntatem, & nullam amplius beneficium affectare credatur. Quæ igitur beneficia mense Iulio, Ianuarioq; Aprili, & Octobri vacant ob obitum beneficiarj, non nisi nominatis à schola publica conferuntur.

CAP. XIX.

De Nominatione, quam præsentationem appellant, quæ conuenit his, qui Patroni Ecclesiarum dicuntur.

Premitendum est: quædam esse beneficia Ecclesiastica, in quibus auctoritate Superioris iij Clerici constituuntur, quos Patroni nominant, & episcopo obtulerint, siue præsentantur. Vnde in iure Canonico Titulus extat, De Patronatu. Patronus est, Clericum promovendum nominare, & offerre, & vt vulgo dici solet, præsentare Papæ vel alteri inferiori Ordinario. Papæ vero, vel Episcopi Clericum nominatum, oblatum, & præsentatum iustitiam: hoc est, ei Ecclesiam aut beneficium dare: quam passim alij Præsentationem, ego Nominationem appellauit: vt loquar more cæterorum, Præsentationem dicitur vocabo.

Primo quaeritur, quid sit Ius patronatus? Hostiensis in *Summa, Titu. De iure Patronatus*, definit in hunc modum: *Est potestas nominandi seu præsentandi, & offerendi Clericum, promovendum ad Beneficium simplex, & vacans.* Quæ definitio à quibusdam rejicitur res ob causas. Primo, quia dicitur potestas nominandi, & offerendi: cum tamen Ius Patronatus non solum in hac facultate, sed in alijs etiam multis consistat. Deinde ob illud, *ad beneficium simplex*, cum multi Patroni etiam ius habeant nominandi, & præsentandi Clericos promovendos, ad quælibet alia beneficia curam animarum habentia, ad Dignitates, ad Personatus, ad Ecclesias Cardinales, & Metropolitanas: quales ius habent Reges Galliæ, Hispaniæ, & Poloniæ, & Siciliae. Postremo, propter id, *ad beneficium vacans*, cum Patroni consensus non solum sit necessarius, cum Beneficia obitu Clerico: cum vacantia conferuntur, sed etiam quando alio quouis modo, videlicet, per mutacione, viacione, translatione, renunciatione dantur. Verum tamen hæc nihil impediunt prædictæ definitionis bonitatem, probabilitatemque: sed in præsentati loco sufficit ita Ius patronatus definire: Ius patronatus, est Beneficium onerosum, & vile, contentens alicui in Ecclesia ob aliquod eius meritum, vel obsequium in ipsam collatum. Secundo quaeritur, An Ius patronatus spirituale sit? Hanc quaestionem tractant *Ductores in cap. Quanto, De iud. c. ca. 1. De Ius patronatus.* Nam si spirituale ius est, quomodo in Laicum cadit, qui spiritualis potestatis capax non est? Quomodo item abque vlla Simonia labe venditur vna cum viuereitate rerum, in quibus est Patronatus constitutus? quomodo etiam ad hæredes simul cum hereditate transmittitur? Quod si temporale ius est, quomodo Canonicum, & Ec-

clesiasticum ius vocatur: & quare non nisi Ecclesiæ auctoritate conceditur? Cur etiam Patronus illud vendere prohibetur? Cur item Magistratus & Iudex civilis causam patronatus cognoscere nequit? *cap. Quanto, de iudicis. Abbas in cap. Quanto, numero quinto, au. Goffredum, & Antonium* sensisse, Ius patronatus esse simpliciter spirituale, Ecclesiæ tamen beneficio & privilegio in Laicum cadere.

Sed verius est, quod Glossa, Innocentius, Hostiensis, Ioan. Andreas, & ipse Abbas tradiderunt, Ius patronatus non esse simpliciter spirituale, sed spirituali tantum iuri coniunctum & connexum. Nam *cap. De iure de Iure patronatus*, dicit esse spirituali annexum. Cum vero hoc ius dicatur spirituali rei annexum, variæ causæ redduntur: nimirum, vel quia sic ius nominandi, præsentandi, & offerendi Clericum promovendum ad beneficium, vel quia non nisi Ecclesiæ auctoritate possit acquiri & possideri. Mihi videtur rei spirituali dici annexum, quoniam sit rem spirituales antecedens; quia videlicet sit potestas nominandi Clericum, & præsentandi, vt in beneficio instituat ad sacra officia in Ecclesia obeunda. Cæterum, iuxta Panorm *loco citato.* Ius eligendi, Ius instituendi, Ius confirmandi, Ius conferendi, est simpliciter spirituale, quoniam per vnumquodq; huiusmodi, acquirit Clericus Ius ad beneficium vel in beneficio, & datur Clerico facultas ex toto, vel ex parte ea quæ sunt iurisdictionis exequendi: Ius autem nominandi, seu præsentandi, quod Patronus habet, nominato Clerico nullam dat in beneficio potestatem, sed tantum tribuit, vt is, qui præsentatus est, possit institui.

Tertio quaeritur, Quotuplex sit Ius patronatus? Respondeo, duplex, Vnum Clericorum, Laicorum alterum: Ius patronatus Ecclesiasticorum est, quod Clerico conuenit ratione Ecclesiæ, seu beneficij quod habet: Nam sæpe Clerici iure Ecclesiarum, quibus præsent, potestatem habent nominandi, præsentandi, & offerendi Clericos promovendos ad Beneficia. Ex quo fit, vt si Clerico Ius patronatus conueniat ratione patrimonij quod habet, non sit Ius patronatus Ecclesiasticorum, sed laicorum, eo quod illud Clericus habeat communi iure & ratione quæ Laicus, Ius patronatus Laicorum est, quod congruit Laico, quia Ecclesiam ex rebus & bonis suis fundauit, vel extruxit, vel dotauit. Quæres, quibus in rebus Ius patronatus Laicorum distinguatur? Hanc quaestionem soluam inferius, *cap. 21. & 23.*

Quarto quaeritur, Quot modis aliquis acquirat Ius patronatus? Respondeo *cum Glossa c. Pia mentis 16. quæst. 7.* tribus modis: Primo ex eo quod aliquis Ecclesiam fundauit, *c. Pia mentis citato, & c. Nobis, De Iure patronatus. c. Abbatem 17. q. 2.* secundo modo quia Ecclesiam edificauit, *c. Nobis. De Iure patronatus. c. Frigenti, c. Pia mentis, c. Monasterium, & c. Eius eadem causa, & quæst. Tertio, quia Ecclesiam dotauit. *cap. Filijs citato, & c. Nemo, De consec. distim. 1.* Vnde verius apud Glossam *loco citato.**

Patronum faciunt dos, adificatio fundus: Fundatione Ecclesiæ acquiritur Ius patronatus: cum quis fundum, agrum, vel domum, hoc est, terræ solum donauit, vt extruatur Ecclesia: adificatione, cum alius in eo fundo Ecclesiam extruxit: dotatione, cum alius annuos redditus siue prouentus, qui dotes Ecclesiarum. *in c. De reum. 10. q. 1.* recte dicuntur, attribuit, & assignauit: Ecclesiæ enim hęc redditibus, & dote idonea fundari non debent, *c. Nemo, de cons. d. 1.* Et si forte absque dote fundata fuerint, consecrandæ non sunt, nisi prius dotentur. *Glossa in cap. Cum seculus, de consecrat. Eccles.* Et ipse edificator debet dotem dare, & ad id compelli potest: quod si non dederit, eius hæres dotem debet. Si vero episcopus permiserit Ecclesiam sine dote fundari, extrus, & consecrati, eam ipse dotare compellitur, *Glossa, c. citato, cum sicut.*

Quinto quaeritur, An alijs etiam modis Ius patronatus possit acquiri? Respondeo, posse acquiri, nimirum alijs similibus, siue æquipollentibus, veluti cum quis

Ecclesie dotes auget: vel dirutam & collapsam Ecclesiam reparat ac reficit, pristinaque restituit dignitati, & integritati. *Communis opinio.*

Sexto queritur, Quo modo intelligatur Ius patronatus acquiri fundatione, ædificatione, dotatione Ecclesie: an videlicet hæc tria sint necessaria, an vero vnum eorum sufficiat? Ratio dubitandi est, quia non videtur satis esse, si quis fundet, aut extruat ædem sacram, nisi dotem donec: nam Ecclesia non dotata, beneficium habere non potest, cum redditibus careat ad ministros commode sustentandos necessarios. Respondeo, vnum eorum trium sufficere; dummodo tamen aliquis doret Ecclesiam, quam alius, vel fundauerat, vel extruxerat. Sic exemplum: Titius fundauit Ecclesiam, Caius extruxit: sed redditus ei neuter attribuit: quamdiu sine dote existeret, nullum alium in ea Ius patronatus acquirere. Sed Seius postea ei dotem assignauit, ac dedit: tunc Titius, Caius, & Seius simul, in ea Ius patronatus habere queunt, quia Episcopi consensu Titius fundauit, Caius extruxit, Seius dotauit. Quod si vnus, & idem hæc simul omnia præstiterit, vnus ipse ius acquirere, tribus tamen de causis. Item, si plures dotem Ecclesie dederint, omnes ex æquo patroni sunt, quamuis vnus plus conferat, quam alius. *Sic Innocentius, & Panoritanus in Rubrica de Iurepatronatu. & Glossa distincti. 63. in summa.* Sed quid si vnus eorum trium modicum tantum dedit? *Glossa in ca. Quicumque 16. quest. 7. ait, non eo ipso Patronum effici. Sed verius est, quod Abbas loco citato dicit, Patronum fieri, quando plures dotationem sufficientem, & idoneam dederunt. Nam ius simpliciter sit, dotatione Patronatum acquiri nihil distinguendo, vnus ne an plures Ecclesiam dorent. Si tamen vnus tantum dotem det, quæ non sufficiat Ecclesie, is Patronus non fit, quoniam non dotauit Ecclesiam: quo sensu vera est Glossæ sententia, vt dixit Panoritanus.*

Septimo queritur, An satis sit, si quis fundet, vel ædificet, vel dotet Ecclesiam absque vlllo Episcopi, vel Ordinarij consensu? Respondeo, minime, *cap. Nobis de Iurepatronatu: Canonem enim & iura postulant, vt hæc fiant ordine iuris seruatore, hoc est, auctoritate, & consensu Episcopi, qui per se, vel per alium nutu ipsius debet primarium lapidem ponere, Glossa in cap. Placuit 1. quest. 2. in verbo. dote. Hostien. in sum. tit. de Eccles. adif. n. 3. Gofred. in sum. tit. de consec. Eccles. n. 4. & tit. de Eccles. adif. n. 5. Asten. in sum. lib. 6. cit. 28. q. 1. Silu. in verb. Ecclesia 2. q. 2. Armil. eo. verbo n. 4. debet iridem Crucis signum figere, atrium designare, ad Deum preces fundere. t. Nemo, de consec. dist. 1. ex Concil. Arelat. 4. & ex Authen. de Monachis, §. illud. coll. 1. in Authen. de Eccles. tit. §. Si quis autem voluerit. collat. 9. Authen. vt nullus fabricet orat. §. 1. collat. 5.*

Octauo queritur, An qui Ecclesie absque vlla dote fundatæ, & antea consecratæ dotem dederit. Ius patronatus acquirat? *Glossa in c. Pia mentis, 16. q. 7. negat ob eam causam, quod rei sacræ seruitus imponi iure non potest, per loca sacra nulli seruitus debetur, l. seruitutes, 3. §. vlt. ff. de seruitutibus: & quod humani iuris esse desijt, seruitutem non recipit. l. Caseri. ff. Communia prædiorum.*

Sed probabilius videtur, id quod ait Abb. in cap. Quoniam num. 9. de Iurepatronatu. Innocentius, & Ioan. And. secutus, gratia Ecclesie, Constitutionem dotis retrahit, ita vt valeat, ac si ante Consecrationem dotaretur Ecclesia. Hoc autem sic intelligitur, quando is, qui sine dote fundauit, vel extruxit Ecclesiam, aut est vita functus, aut ad eum commode aditus non potest. tunc enim patronus fit, qui Ecclesiam longe ante consecratam dotauit, secus est, si qui fundauit, vel extruxit, consulus, & vocatus velit esse patronus: tunc enim ambo patroni sunt.

Nono queritur, An qui fundat, extruit vel dotat Ecclesiam, nec expressim, & nominatim Ius patronatus sibi reseruat, ipso iure id acquirat? Quidam negant. Verius tamen est, quod communis habet opinio in e. significauit, de testibus, ipso iure acquirere, nisi expressim dixerit, se nihil iuris retinere velle.

Decimo queritur, An si eadem sacram contruentem, quis quomodolibet episcopi consensu rescerit, acquirat Ius patronatus? Quidam teste Glossa, ca. Quoniam de Iurepatronatu, ita distinxerunt: Aut per partes collapsam reparauit, aut ex toto: Si primo, non acquirat: si secundo, acquirat. Quia sicut domus, aut nauis si per partes tantummodo tota reficiatur, est eadem quæ antea, & proinde Dominus vsusfructus, aut seruitutem, quam habebat, non amittit. Si vero ex toto restituatur & innouetur, iam est alia domus, & nauis, ita vt incipiat esse in bonis eius, qui eam funditus dirutam reparauit, & prior dominus vsusfructus, & seruitutem amplius non habet. *l. Quid tamen, ff. Quib. modis vsusfructus amittatur, sic Ecclesia semper eadem censetur; si per partes reficiatur; alia vero, cum eadem diruta reparatur. Dubitet quispiam, an si ædes sacra penitus collapsa reedificetur ab aliquo, & quoduis aliud ius in ea constitutum. Deinde obligatio nemel extincta, non reuiuiscit. l. Rex. §. Arcam ff. de solutionibus.*

Vndecimo queritur, An Ius patronatus præscriptione, & consuetudine possit acquiri? Duo hic vocantur in dubium, Vnum est, An Ecclesia libera, in qua feliciter nullum est Ius patronatus, possit aliquis ipsum Ius patronatus præscriptione quadam acquirere. Alterum est, An in Ecclesia non libera, hoc est, habente patronum, licite quis contra ipsum patronum Ius patronatus diuturnitate temporis, & vi præscriptionis acquirat? In primo, præscriptio si datur, contra Ecclesiam procedet: in secundo, contra patronum vim suam habebit.

Quod ad primam dubitationem attinet, inuenio duas Auctorum sententias, quarum vna negat posse præscriptione Ius patronatus acquiri. Archidiaconus, Cardinalis, Abbas, Alexander, Felinus, Decius, Curtius, quos refert Couarr. in Regul. possessor male fidei, p. 2. §. 11. n. 2. vbi affirmat, hanc opinionem olim fuisse communem. Altera opinio est, alserentium posse acquiri: quam multis rationibus defendisse, & tenuisse Ioannem Andream, Paulus, & Couarr. attestantur, quam ipsi quoque sequuntur, & Paulus addit eam nunc esse communi consensu receptam, & certe hæc opinio ad veritatem magis accedit.

Si quartas, An post Concilium Tridentinum, Ius patronatus consuetudine, aut præscriptione acquiri possit? sessione 14. c. 12. de reformatione: Nemo, inquit Synodus, etiam cuiusvis dignitatis Ecclesiastica, vel secularis, quacumque ratione, nisi Ecclesiam, beneficium, aut Cappellam de nouo fundauerit, & construxerit; seu iam erectam, quæ tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis proprijs, & patrimonialibus bonis competenter dotauerit, Ius patronatus impetrare, aut obtinere possit, aut debeat. In casu autem fundationis, aut dotationis huiusmodi institutio Episcopo, & non alteri inferiori reseruetur. Huic dubitationi respondeo, eiusmodi decretum intelligi iuxta aliud eiusdem Synodi decretum in sessione 15. c. 9. de reformatione, vbi sic ait: Decernit sancta Synodus, vt titulus Ius patronatus sit ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico documento, & alijs iure requisitis ostendatur, siue etiam ex multiplicatis presentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliarve secundum Iuris dispositionem. In ijs vero personis, seu Communitatibus, vel vniuersitatibus, in quibus id ius plerumque ex usurpatione potius quæsitum præsumi solet, plenior, & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur, nec immemorabilia temporis probatio aliter eis suffragetur, quam si preter reliqua ad eam necessaria presentationes etiam continuata, non minori saltem, quam quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortita sint, authentice scripturæ probentur. Reliqui patronatus omnes in beneficijs, tam secularibus, quam Regularibus, Parochialibus, vel dignitatibus, aut quibuscumque alijs beneficijs, in Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia, seu facultates & præuilegia concessa, iam in vim patronatus, quam alio quocumque iure nominandi, eligendi, presentandi ad ea,

cum vacans, exceptis patronatibus, super Cathedralibus ecclesiis competentibus, & exceptis alijs, que ad Imperatorem, & Reges, seu Regna possidentes, aliosque sublimes, ac supremos Principes, sive Imperij in dominij suis habentes, pertinent, & que in favorem suorum generalium concessa sunt, in totum prout, us abrogata, & irrita, cum quasi possessione inde secuta intelligantur. Beneficiaque huiusmodi, tanquam libera à suis collatoribus conferantur, ac promotiones huiusmodi plenum effectum consequantur. Ex quibus Concilij verbis manifeste perspicitur, quoniam patronatus abrogari; videlicet eos, qui privilegio ante Concilium impetrati possidebantur.

Quo ad secundam questionem Covarruvias in Regula, Possessor mala fidei par. 2. §. 11. numer. 8. testatur communem esse sententiam, Ius patronatus posse præscribi: sed dubie questionis est, quæ annorum spatium ad præscribendum sit necessarium. Idem Auctor tradit, quosdam sentire, inter præsentes quidem, decem annorum; inter absentes viginti annorum spatium requiri. Alios vero docere, cum inter præsentes, tum inter absentes, quadraginta annorum tempus esse necessarium: quod Ecclesiæ interest, veniat necne Ius patronatus in huius, aut illius hominis potestatem. Nam si potenti viro parum ecclesiæ studioso, parum pio, & minus ecclesiæ grato, & benevoluo Ius patronatus quærat, damno afficietur Ecclesiæ. Federicus, Decius, Alexander, Lambertinus, & alij huius fuere sententiæ, quam & refert, & sequitur Covarruvias loco citato. Quod quid sit, Concilij Tridentini paulo ante citatum Decretum, oportet hac in parte servari.

Duodecimo quaeritur, An privilegium Ius patronatus obtineri queat? Vna est omnium opinio, Romani Pontificis beneficio posse obtineri: qui alicui potest hoc privilegium concedere, siue quia de Ecclesiâ, & Republica Christiana sit benemeritus, siue quia futura eius in ecclesiâ merita sperentur: tametsi ædem sacram non fundaverit, extruxerit, vel dotaverit. Inferiores vero Antistites hoc privilegium tribuere nequeunt ei, qui ecclesiâ non fundavit, nec extruxit, nec dotavit. Et cum Synodus Tridentina talia privilegia sustulerit; si Romanus Pontifex ea quibus concederet, clausulam opponeret qua Concilij auctoritati deroget, ratum, & firmum privilegium habebitur.

CAP. XX.

Alie quaestiones de Iure patronatus diluuntur.

Quæritur primo Quotplex ius in ecclesiâ Patronus acquirat? Respondeo, quadruplex, vnde versus apud Glossam in c. Nobis, de Iure patronatus.

Patrono debetur honor, onus, emolumentum. Præsentis, Præsit, Defendat, aliarum egenus.

Quorum verborum sensus hic est: Patronus Ius patronatus habet in ecclesiâ honorem, quia potestatem habet nominandi, & offerendi Clericum ad beneficium promovendum. Item præcipuum obtinet in ecclesiâ locum in sedendo, & in supplicationibus, & Conventibus, publicis. Et primo omnium pacis osculum datur, & interdum aliquid donum offertur. Habet item onus, quia ipsius est ecclesiâ protegere, dotem, & bona eiusdem ecclesiæ tueri. Quod si forte ipse, aut filij eius ad summam inopiam, & egestatem devenierint, ecclesiæ à se fundatæ bonis sublevari, ac sustentari debent, c. Quicumque, 16. quæst. 7. c. Nobis de Iure patronatus.

Secundo quaeritur, Quis honor in procedendo sit, qui dicitur patrono deberi, in c. Nobis, de Iure patronatus, c. c. Piamensis, 16. quæst. 7. Glossam c. Piamensis, intelligit honorem, quo patronus vna cum Clerico quem nominat, procedit ad episcopum, vt ab eo instituitur.

Abbas in c. Nobis, de Iure patronatus n. 5. interpretatur honorem, quo patronus excipitur, cum ad ecclesiâ venit. Et enim obviam procedit Rector, siue præfatus ecclesiæ cum Clericis, & cum comitatur, ac deducit vsque ad ingressum in ædem sacram, cum Rex est, vel Princeps, aut illustri Patronus. Sic, inquit, est consuetudine receptum Venetijs, ubi cum Dux ad ædem S. Marci sacram, in quo Ius patronatus habet, venire solet, à Primicerio vna cum Canonis obviam procedenti excipitur honorifice, atque ad templum vsque adducitur. Sic ille.

Tertio quaeritur, Quando ecclesiâ patrono ad inopiam redacta debeat alimenta? Respondeo, cum Glossa c. Quicumque 16. quæst. 7. & Abbate c. Nobis, de Iure patronatus tunc debere, quando patronus ad summam egestatem devenit, qui necessarijs vitæ subsidijs indigeat, & ecclesiæ ita bona suppetant, vt omnibus necessarijs in pensis deductis, aliquid superfit. nam in primis ecclesiâ debita ministris stipendia solvere cogitur, deinde impendit quidquid est necessarium ad cultum divinum, & ad cultum reficiendum, muniendum, & conservandum: de eo quo superest, Patrono indigenti alimenta præbet. nam part ratione Libertas patrono alimenta debet. l. si quis à liberis. §. Alimenta ff. de lib. agnoscent. Obijcies, Ecclesiâ ex bonis, que sibi supersunt omnibus ad extremam inopiam redactis subvenire debere: ergo nullum in hoc privilegium patronus habet. Respondet Abbas cum Glossa loco citato prius, & abundantius ecclesiâ patrono debere succurrere, quam cæteris indigentibus. Item pauperes actionem non habent contra ecclesiâ. vt notat Glossa, capit. Si eubi, distict. 17. & capit. Exigent 1. quæst. 7. sed auctoritatem, & officium iudicis implorare queunt: at patrono indigenti actionem Canones, & iura concedunt.

Quarto quaeritur, Quot modis possit Ius patronatus in alterum transferri? Respondeo Glossa in c. Piamensis, 16. q. 7. quatuor modis: donatione, permutatione, venditione, & testamento, siue iure hæreditariæ successions. Sic etiam Inno. in Rubrica, de Iure patronatus.

Quinto quaeritur, Quo pacto tale ius possit donatione transferri? Respondeo, sic donari potest, aut laico, aut ecclesiæ, Cœnobio, seu Monasterio, Collegio, vel Seminario vel Clerico, nomine & iure ecclesiæ, aut dignitatis, cui præsit. Si laico donetur aut etiam Clerico causa ipsius, non ecclesiæ, donatio non valet sine episcopi consensu, ne ecclesiæ Ius patronatus transeat ad hominem suspectum, vel minus gratum ecclesiæ. sic Hostiensis, Ioann. Andreas, & Archidiaconus teste Panormitano in ca. illud, de Iure patronatus, quamvis Innocentius, & alij vt idem ait Panormitanus, oppositum senserint in eo capitulo. Si ecclesiæ, vel clerico nomine, & iure ecclesiæ detur, donatio valet etiam sine vilo consensu Antistitis, vt habet constans omnium opinio in capitulo. Nullus. §. capit. Ex insinuatione. capit. Illud. capit. Cum saculum, de Iure patronatus, & expressim in cap. 1. eod. titulo. in sexto habetur, eam donationem subsistere. & cap. illud, de Iure patronatus, dicitur, [Religioso loco Ius patronatus conferendi libertatem: habeat patronus facultatem:] Obijcies oppositum haberi in c. Quod autem. §. c. Nullus. De Iure patronatus, Respondeo cum Glossa, cuius sententia est communi consensu recepta, in his capitulis, solum constitui, patronum non posse conferre ecclesiâ etiam Monasterijs, aut Collegijs Clericorum absq; episcopi consensu, quod attinet ad proprietatem vel titulum, non autem quod spectat ad Ius patronatus. Porro episcopi consensus sufficit expressus, vel tacitus, puta (sicut iura loquuntur) per ratihabitionem. Deinde satis est, si ad donationem, vel statim accedat eiusmodi consensus, vel ex intervallo temporis, vt puta, si donationem ante factam episcopus ratam, & acceptam habeat.

Sexto quaeritur, An sit necessarius episcopi consensus in donatione, qua vnus patronus alteri patrono socio suo ius remittit? Duæ sunt opiniones, vna affirmantium

in qui-

in quibus est Hostiensis, Ioan. Andreas, & Panormitanus Curtius item & alij in c. ex insinuatione. de Iurepatrona. quos producit Lambertinus lib. 1. de Iurepatronatus par. 2. qu. 2. art. 12. Ea nimirum illi ratione mouentur, quod remittere Ius quod quis habet, idem sit, quod donare. c. Venient. de testibus, sed ad donandum laico Iuspatronatus requiritur assensus Episcopi: ergo & ad remittendum. Item, quia non solum requiritur assensus Episcopi, ne Iuspatronatus transeat ad hominem Ecclesie ignotum, inuisum, vel suspectum; sed etiam, ut omnis fraudis occasio praecidatur: saepe enim ficta est emptio, & simulata donatio.

Altera est opinio negantium, Glossae, Antonij, & Cardinalis, & ipsius Lambertini locis supra citatis, quorum ratio est, quia non instituitur nouus patronus, sed ius quod penes duos erat, penes vnum permanet. Deinde, quia nihil damni Ecclesie patitur, tunc enim Iuspatronatus non transfertur in aliquem Ecclesie ignotum, inuisum, aut suspectum hominem, cum donetur alteri patrono socio iam antea Ecclesie noto, grato, & accepto. Haec opinio est admodum probabilis, & vt Abbatis verbis vtat, maxime consentanea aequitati.

Septimo quaeritur, An in permutatione requiratur etiam Episcopi assensus? Respondeo, requiri, si in permutatione Iuspatronatus in laicum transferatur: secus vero, si in Ecclesiam, aut Clericum nomine Ecclesie. Animaduertendum vero est, patronatum, cum sit ius quoddam rei spirituali coniunctum, commutari non posse cum re, vel iure temporali, hoc est, rei spirituali annexo, vt constat ex c. ult. & c. Ad quaestiones. de rerum permutatione.

Octauo quaeritur, Quomodo ius patronatus vendi queat? Respondeo, in primis, per se vendi non posse absque simoniae labe. Porro tum per se vendi videtur, vel quando venditur separatum, & diuisum a re, in qua constitutum est: vt si patronus vendet ius, quod habet nominandi Clericum, abique fundo, agro, villa, vel possessione, in qua est patronatus: vel quando quis ius patronatus venderet vna cum ea re, sed plus pretij exigeret, & acciperet pro ea re, quia in ea haeret Iuspatronatus. Simoniae enim crimen admittitur, cum quis vendit calicem, vestem, aut rem aliam sacratam maiori pretio, ob id quod sacrata sit, aut si vendat sepulchrum locum amphiori pretio, ex eo quod locus ille ius habeat sepulchrae sacrum. Ius tamen patronatus vendi potest cum vniuersitate rei in qua est constitutum, videlicet, cum villa, castro, hereditate, do: ali fundo, vel alia re, quae non singula corpora, sed corporum vniuersitatem, hoc est, aliqua iura contineat: dummodo nullum maius pretium pro ea accipiat, eo quod Iuspatronatus habeat. c. Ex litteris, & cap. Cum saculum, de Iurepatrona. Dicitur Iuspatronatus vendi cum vniuersitate rei, quia venditur cum tota ea re, in qua est vniuersitas. Vniuersitas vero in praesenti loco intelligitur, cum res aliqua non solum est particularis, sed continet in se non tantum corpora rerum, sed etiam iura vniuersitatis. Abb. in cap. ex litteris. de Iurepatrona. n. 10. & n. 11. & cum ea res ex toto in emptorem transit, transferuntur quoque seruitutes, onera, iura, & actiones ad eam pertinentes. Patronatus enim non cuiuscunque rei certa inest, sed rei vniuersitatem bonorum habenti: velur, villa, castro, Monasterio, ecclesiae, Conuentui, Seminario, Ciuitati, Prouincia. Haec enim habent iura vniuersitatis. Si quaeras, An hereditas contineat vniuersitatem? Continet, quia hereditas est quid vniuersum. l. bonorum. 2. ff. de verb. signif. & l. hereditas. ff. de petis. heredit. Si iterum roges, An omnia bona alicuius vniuersitatem contineant? Innocent. & Ioannes Andreas cap. ex litteris, de Iurepatrona. negat: At Abbas in eo capit. nu. 12. affirmat & probat ex l. bonorum. 2. ff. de verb. signif. Quaeras, An tuto res cum patronatu vendatur, cum quis ita vendit: vendo tibi villam, aut, vendo castrum, & Iuspatronatus, quod in eo habeo; aut sic, vendo tibi villam, aut castrum cum omnibus, quae in eis in sunt seruitutibus, oneribus, & actionibus: vel sic, vendo tibi vil-

lam cum Iurepatronatus ad eam pertinente. Quidam negant huiusmodi venditionem valere, quia tunc venditur etiam Iuspatronatus, quare isti volunt, solum fas esse sic pacifice vendi tibi villam, aut castrum Cornelianum. Alijs vero videtur, tuta conscientia venditionem hanc fieri posse; dum modo venditor in animo non habeat vendere Iuspatronatus: In foro tamen iudiciali, venitio haec tanquam simoniae labe infecta, irrita, & inanis censetur: nam venditor ex suis verbis Iuspatronatus vendidisse crederetur.

Nono quaeritur, qua ratione Iuspatronatus successione, vel testamento in haeredes transferatur? Quidam senserunt transire tantum ad haeredes sanguinis seu communis, & veta sententia est, transire ad quoslibet haeredes etiam extraneos. Glossa in cap. filijs. 16. q. 7. & Abbas in cap. 1. de Iurepatrona. Item Glossa in cap. 1. de Iurepatronatus, communi consensu approbata, docet Iuspatronatus ex aequo, siue in solidum ad quemlibet haerodem transire, etiam si non sint haeredes ex aequa portione instituti: quia iura quae sunt incorporalia, diuidi nequeunt, vt innuitur in l. si sepulchrum. C. de Religio. & sumptibus funerum: S. c. enim caeterae seruitutes indiuidue transiunt ad singulos haeredes, l. stipulationes. ff. de verbo. obligatio. Et l. Viuine. ff. de seruit. dicitur: [Seruitus est vna, si in re alius, aquaductus, diuisionem non recipiunt.] quamuis vltus fructus diuidi queat, vt habetur in l. 1. si vltus fructus. ff. ad legem Falcidiam. & l. vltus fructus. 2. ff. de usufructu, ubi sic est: vltus fructus, & ab initio pro parte indiuisa, vel diuisa constituitur. Si tamen vnus sit haereditarius in re certa cum vnus sit haereditarius, cuius patronatus inhaeret, ad eum tantummodo haerodem pertinet.

Ex his peti potest, cuiuslibet haeredi contineat, vt Glossa loco citato notauit, omnes patronatus effectus, praeterius nominandi, quod ita manet apud omnes commune, vt vnus per se tantum nominare non possit, sed omnes communiter, quia ius nominandi diuidi nequit. Si igitur singuli haeredes sint ad egestatem redacti, quilibet eorum debet ex illius Ecclesiae bonis sustentari: quilibet item in ea ecclesia praecipuum locum habet, at non quilibet eorum ab alio nominat, sed omnes communiter. Dubitabit aliquis, An haeredes patroni conuenire possint, pacifice inter se, vt alternatim, siue vicissim nominent? Respondeo, cum Glossa loco citato, posse: hoc modo nempe, vt vnus eorum semel nominet, alter alias, & sic deinceps: quae Glossa & aliorum sententia nunc est approbata in Clem. Plures, de Iurepatrona. Item si Iuspatronatus habeant in diuersis Ecclesijs, inter se conuenire queunt, vt vnus eorum nominet Clericum ad vnam Ecclesiam, alter ad aliam. Ita Panormitanus in cap. primo de Iurepatronatus. Quaerit rursum aliquis, An Iuspatronatus transeat etiam ad haeredes extraneos ex testamento institutos? Respondeo, transire, cap. Cum saculum, de Iurepatrona. Abbas in cap. 1. de Iurepatronatus, num. 2. & ceteris. Transfertur quoque non solum in haeredes maiculos, sed etiam in foeminas, Glossa in cap. quoniam inuistiuram. 16. qu. 7. Abb. in c. 1. n. 2. de Iurepatro. quare si filia est, vna cum fratre haereditate, succedit aequae ac frater. Ius igitur patronatus sequitur haereditatem: ac propterea si filius non est haereditate, quia repudiavit haereditatem, non succedit. Federic. cons. 3. vnde vbi solus primogenitus succedit, caeteri filij a iure patronatus excluduntur. Similiter, & filia a patre dotata, vt haereditate cedat. Ex quo fit, vt si pater filio in certa re instituit extraneum haerodem vniuersalem faciat, Iuspatronatus in extraneum, non in filium transferatur: transit enim cum vniuersitate rerum, quam haereditas continet. Ita sensit Panormit. in cap. 1. de Iurepatronatus n. 2. Demum quis quaerit, An in Iurepatronatus succedant haeredes per stirpes, an per capita? Vetus multorum opinio fuit per capita succedere: sicut vult Ciuili, in bonis libertorum patroni succedunt. Innocentius tamen, & Hostiensis quos sequitur Abbas c. 1. de Iurepatronatus n. 5. docuerunt, haeredes per stirpes, non per capita succedere, & ita constitutum est

in Clem.

in *Clemen. vlt. de iure patronatus*. Finge tibi Titio tres filios successisse, Caium, Sempronium & Seium: quibus vita fundis, ex Caio vnus est nepos relictus, duo ex Sempronio, ex Seio quatuor, tunc in iure patronatus, quod Titio vnus instituit, succedunt duo filij Sempronij, non tanquam duo patroni, sed tanquam vnus tantum, & quatuor filij Seij similiter tanquam vnus: qui succedunt non vt suas personas parentum hereditatem adit, tamen si possessionem nactus non sit, ius tamen patronatus, quod est in hereditate constitutum, acquirit.

Decimo queritur, An ius patronatus legari ex testamento possit? Respondet Panormitanus in *c. Cum saculum. de iure patronatus*. Ioannem Andream fecerit, posse, quia ius patronatus donari inter viuos potest: ergo & testamento legari. Quæres, An si legetur laico, necessario requiratur Episcopi consensus? Respondeo, Feder. *conf. 3.* sensisse, posse legari sine Episcopi consensu: At communis est opinio, requiri Episcopi consensum, sicut etiam requiritur, cum laico donatur: non tamen, si Ecclesie legetur. Panorm. loco citato. Sed satine erit, inquires, si Episcopi consensus testamento antea facti succedat? Quidam in *c. Cum saculum, de iure patro.* senserunt, legatum sine consensu Episcopi factum, nullius esse momenti: at Panormitanus loco predicto satis esse affirmat, si Episcopus ex interuallo temporis, etiam post mortem testatoris consentiat, & hoc est verius causa, & fauore Ecclesie: sed antequam Episcopi consensus accesserit, ius patronatus consistit penes heredem; quia sola voluntate laici huiusmodi ius non potest ad alium transferri: & iura tantum permittunt, vt transferatur in filios & heredes, non autem in legatarios, vt ait Abbas.

Vadecimo queritur, An ius patronatus possit in alium locatione transferri? Respondeo, minime, quia iure & ratione locationis, conductor, rei dominium directum, vel vtile nequaquam acquirit: ac propterea ius patronatus in ipsum non transit.

Quoddecimo queritur, An possit patronatus in feudum dari, aut emphiteusim? Respondeo, posse vt habet communis Doctorum sententia in *c. Cum saculum, de iure patronatus* & *Glossa in c. vlt. de concess. prebende*: nequit tamen dari nisi cum vnuerfitate ipsa rei, in qua est patronatus constitutus. Nam sicut vna cum ea re vendi iure potest, sic etiam in feudum dari, vna cum vnuerfitate, cui inest, ea enim feudo data, datur quoque ius patronatus: sicut enim rei venditæ dominium directum in emptorem transit, sic vtile dominium in feudatarium: ergo patronatus ius, quod est quoddam rei commodum, in feudatarium transfertur.

Decimo tertio queritur, An patronatum vna cum re in qua est, creditori dare quis pignori queat? Quidam affirmant, alij negant, vt videre est apud *Glos. cap. vlt. de concess. preb.* Innoc. Hosti. & *Glossa* id fieri posse negant. Quoniam si id fieret, Ecclesia damno afficeretur, quia ex vna parte debitor iure suo vt non posset, nempe Clericum nominando, si hoc ius in creditorem transfereat, ei pignori datare, in qua est patronatus. Ex altera parte creditor quoque nominare non posset, cum pignore vt licite non possimus: nisi de hoc expressim conuenerimus. *l. Sed an vna, ff. de pignori. actio.* Item, eo ipso quo tali iure, & fructu pignoris creditor vteretur, debiti quantitas minui deberet, & fructus in sortem computandi essent. Nam licet creditor rem pignori acceptam locare queat, *l. Creditor ff. de pign. act.* fructus tamen in sortem computat. Nihil igitur mirum est, si ius patronatus in creditorem cum pignore non transeat, nam seruitus quandoq; inutilis est, *l. Et fundo, ff. de seruitu.* Hoc autem quod diximus, etiam locum habet, si episcopi consensus accedat, neque enim propria ipsius auctoritate id fieri potest.

Decimo quarto queritur, An ius patronatus in fisco saecularem transeat, patroni bonis omnibus Ecclesie ob crimen eius publicatis, & fisco additis? Quidam affir-

mant, vt *gl. in c. filijs. 16. q. 7.* & *Ioan. Andr. Abb. Cardinal. in c. cum laici. de iure patronatus §. Ipse, vlt. nu. 65.* Quod probant, quia sicut vna cum vnuerfitate, donatione, legato, aut venditione, patronatus in donatarium, legatarium, aut emptorem transfertur, sic etiam patroni rebus in fisco transeuntibus, patronatus tranfite ipso iure creditur. Et idem inquirunt, iuris est, si ius patronatus in re aliqua certa institutum sit, & ea res ob heresim, vel crimen læsæ maiestatis, vel ob quoduis aliud delictum publicetur.

Alij vero negant, vt *Glossa sibi contraria in Clem. Pastoralis. de sent. & re iudic. & Archidiaconus in c. filijs. 16. q. 7. Antonius, & alij in c. Cum laici, de iure patronatus* hac ratione adducti, quod ius patronatus Ecclesie auctoritate obtinetur, rei spiritali coniungitur, Canonum institutione firmatur: ergo fisco saecularis, hoc est, Imperator, Rex, Princeps, vel Respublica illud auferre, & sibi sumere non potest. Quare, inquirunt, patroni bonis ob crimen ad fisco saecularem translatis, Ecclesia manet omni patronatus iure, & seruitute immunis, ac libera. Alij distinguunt: aut fisco est Ecclesie, aut laicorum Principum: si primum, ad eum transit patronatus: si secundum, Ecclesia sit patronatus iure libera, quoniam ad fisco non transit: horum opinio eadem esse videtur, quæ secunda: nam tota quæstio est, an transeat ad fisco civilem & saecularem. Probabilior autem videtur prima sententia, quia res cum suo onere, seruitute & actione ad possessorem iure transferuntur. Secunda autem sententia in hoc locum habet, quod Princeps saecularis directe, & perse nequit priuare patronum iure patronatus ob delictum: cum ius patro. habeat ab Ecclesia laicus. Sic Abbas in *cap. cum laici de iure patronatus*.

Decimo quinto queritur, An patronus possit censum, seu pensionem alienam exigere ratione patronatus? Respondet Panormitanus in *cap. Prætorum. 2. de iure patro.* nihil posse exigere præter id, quod Canones concedunt. Quo fit, vt si in ipsa fundatione, extructione, vel donatione Ecclesie aliquem censum, seu pensionem sibi patronus reseruet Episcopi consensu, eam exigere, & accipere queat, quoniam id quoque Canones concedunt, dummodo ab initio Episcopi consensus accesserit: velut si patronus ex fundo, vel prædio aliquos fructus sibi retineat, vel certos cercos, sibi quotannis soluendos. Si roges, An patronatus possit in aliquo alio iure consistere, præterquam in potestate Clericum nominandi? Respondeo, posse initio enim potest patronus cum Ecclesia, & Episcopo conuenire, ita vt se expressim abdicet iure nominandi, & tantum sibi retineat, vel certam aliquam pensionem pecuniariam, vel aliquos fructus, vel certos cereos in singulos annos sibi soluendos, vel deniq; primum, ac præcipuum in Ecclesia locum. Verumtamen nisi expressim nominandi iure cedat, id sibi reuerfale re ipsa videtur, & creditur.

CAP. XXI.

De iure quod Patronus habet nominandi, offerendi, & præsentandi Clericum, vt in Ecclesia, vel beneficio instituat.

Sciendum est, in patronatu tres interesse personas: patronum, cuius est Clericum nominare: & Clericum, qui nominatur, & offertur, ac præsentatur Episcopo: & Episcopum, qui Clericum à patrono nominatum, & oblatum instituit.

Primo queritur, An liceat patrono Clerico seipsum nominare, & præsentare? Respondeo, minime. *cap. Per nostras, de iure patronatus*. vbi dicitur: *Nullus se potest ad personatum alicuius Ecclesie præsentare, quantumcumque sit Clericus idoneus, & quibuscumque studijs, & meritis adiuuetur*: sicut etiam is ad quem spectat collatio dignitatum, seipsum Præfectum creare non potest. *cap. vltim. de iustit.*

& ita

& ita similiter l. Prator. ff. de tutor. & curator. dat. Prætor ipse se tutorem dare non potest: sicut nec pedaneus iudex, nec compromissarius sua sententia fieri potest. Sic ibi.

Secundo quæritur, An pater filium alias idoneum nominare, & præsentare queat: Ratio dubitandi est, quoniam pater & filius pro eadem persona habentur in iure. 35. q. 3. h. ac auctoritate. Et l. ult. C. de tempore. & alijs substitutis. Item quidpud filius acquirit, patri acquirit non sibi. Insistit. Per quas personas nobis, & l. cum oportet, & l. ult. C. de bonis qua liberis: ergo pater nominando, & offerendo filium, videtur seipsum nominare, & offerre. Respondeo, cum Abb. c. Consultuit. de iure patrona. Goffredo, & Archidiacono ab eo citatis patrem & filium eandem personam censeri, non reipsa, sed iuris fictione: & ideo ubi ius eos pro eadem persona non habet, rei veritas potius, quam iuris fictio consideratur: potest igitur pater filium Clericum aliqui dignum nominare.

Tertio quæritur, An quando plures patroni sunt videlicet Clerici, aut vnus laicus, & alter Clericus, possint ex seipsis vnum nominare, & præsentare? Respondeo, cum Glossa, in c. consultuit. de iure patrona. communis consensu omnium approbata posse. sicut constat in l. ubi absunt. ff. De tutori. & curat. dat. esse constitutum, vt Decutiones cum possunt tutores dare, vnum ex se tutorem creare queant. Et idem fit in electorib. quib. liberum est vnum ex se deligere. c. Ne pro defectu, & c. Quia propter, de elect. c. Congregato, 16. q. ult. Immo generatim, quando plures certo aliquo munere, & officio funguntur, quib. data est facultas, vt alios ministros deligant, possunt ex seipsis vnum, vel duos creare. Sic Abb. in c. Consultuit citato: quod quidem locum habet, nisi iure aliquo scripto id facere prohibeantur.

Quarto quæritur, An patronus debeat dignum, & idoneum semper nominare, & præsentare? Respondeo, debere: alioqui si quando indignum nominet, & offerat, lethalem contrahit culpam, quod suo muneri, & officio non satisfacit, & ecclesie quam debebat fidem non seruat: immo magno eam incommodo, & damno afficit, & episcopus debet indignum clericum a patrono nominatum, & oblatum excludere. Quæres, An patronus explorare debeat Clerici mores, ac vitam, vt videat sit ne dignus, & idoneus, sit ne talis, qualem nominare constituit: nam secundum iuris Regulam: Nemo creditur malus, nisi contrarium constet. Respondeo, si aliqui Clericus est patrono ignotus, debere patronum inuestigare mores eius, ac diligenter excutere, antequam nomen, vt eum sibi notum habeat. Regula iuris supra citata. Nemo creditur malus, nisi constet aliter: locum habet in morib. & probitate: non autem in conditionib. vel impedimentis extrinsecis, quæ scripto iure sanciantur: in Beneficiarijs enim multa Canonones requirunt præter vitam, & morum probitatem, videlicet litteraturam, ordines ecclesiasticos, legitimos natales, nomen bonum, & alia, quæ non omnes habent, & in Clerico peregrino litteras commendatitias episcopi.

Quinto quæritur, An patronus digniorem nominare, & præsentare iure cogatur? Respondeo, quando vnus tantum dignus, & idoneus inuenitur ex loco, ecclesia, familia, vel gente, ex qua nominari debet iuxta patronatus institutionem: eum nominandum esse, etiam si extra eum locum alius dignior videatur, eo quod iustæ sint illæ leges, & ipsius ecclesie auctoritate probatæ: ac proinde is qui extra dignior reperitur, cum ijs conditionib. careat, capax beneficij non est, & ideo nominari iure non potest.

Quæstio igitur in eo versatur An patronus digniorem debeat nominare, & præsentare ex duobus, qui ex loco, ecclesia, familia, vel gente occurrunt: vnus quidem magis dignus, alter vero minus? Hanc quæstionem tractauit Lambertinus lib. 2. de iure patronatus, par. 2. q. 10. art. 3. vbi ait, communem esse Doctorum sententiam digniorem esse nominandum: cuius sententia Autores referunt Archidiaconum, Abbatem, Francum, Paulum, Rochum, quibus etiam annumeramus Nauarum, Couarrui-

am, Sorum & alios recentiores, etiam Theologos. Nam patronus est Ecclesie rem vtiliter gerere? quod non præstaret, si minus idoneum nominaret: is etenim minus fidelis, quam deberet, esset Ecclesie. Ipse tamen Lambertinus censet, fas esse patrono minus dignum, digniori præterito nominare: cuius sententia etiam Autores referunt, & iuniores quidam Theologi eam vt probabilem putant, quando ad beneficia simplicia, Clerici a patrono nominantur: secus vero quando beneficia cura animarum sunt prædita, vel dignitate, & personarum. Mihi tam prior sententia vera esse videtur: nam etiam Canonici, vt potest simpliciter Beneficiarij, sunt valde suæ ecclesie necessarii, ipsorum enim consilio, prudentia, industria, & diligentia, maxime ecclesia indiget: ergo qui digniores sunt præferri debent. Cæteri quoque Beneficiarij simplices, cum aptiores, & digniores eliguntur, ipsam ecclesiam quam accipiunt, plurimum iuuant. In Concilio Tridentino, sess. 24. capit. 18. de Reformat. statutum est, quem patroni debeant nominare ad beneficia, quibus cura animarum inest, vbi Synodus ipsa definit de patronis Ecclesiasticis aliter, ac laicis, De illis sic ait: Si vero iuris patronatus ecclesiasticus erit: ac institutio ad Episcopum, non alium pertinet: is quem patronus digniorem inter probatos ab examinadoribus iudicabit, Episcopo præsentare teneatur, vt ab eo instituantur. Cum vero institutio ab alio, quam ab Episcopo erit facienda: tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præsentat, ad quem institutio spectat. Quod si iuris patronatus laicorum fuerit, debent, qui a patrono presentatus erit, ab eodem deputari, vt supra examinari, & non nisi idoneus reperitus fuerit, admitti. Hactenus Concilium. Decernit etiam ibidem, vt qui ius patronatus habet intra decem dies, vel aliud tempus ab episcopo præscribendum, idoneos aliquos Clericos ad regendam ecclesiam eorum deputatis examinadoribus nominet. Porro Synodi decretum est de Parochialibus Ecclesijs Et sess. 7. cap. 13. de Reformat. generatim sic statuit: Presentarij, seu electi, vel nominati a quibusvis Ecclesiasticis personis, etiam Sedis Apostolicæ Nuncijs, ad quatuor Ecclesiasticæ beneficiæ, non instituantur, nec confirmantur, neque admittantur, etiam præterea cuiusvis privilegij seu consuetudinis, etiam immemorabili tempore præsertim, nisi fuerint prius ad locorum Ordinarijs examinati & idonei reperi. Et nullus appellacionis remedijs se tueri possit, quo minus examinem subire teneatur: presentatis tamen, electis, seu nominatis ab Vniuersitatibus seu Collegijs generalium studiorum exceptis.

Sexto quæritur, An patronus possit absentem Clericum præsentare? Respondeo, posse, & sic vnus habet: nam Reges solent aliquos nominare, & Romano Pontifici offerre, vt creentur episcopi, qui tamen a Curia Romana, & etiam Regia absunt, & eos abentes Pontifex instituit Episcopos.

Septimo quæritur, An ius patronatus in Iudæum Paganumue cadere possit? Fingamus enim hic aliquem ex his ædem sacram fundasse, extituisse, dotasse, vel rem vniuersam emisse, in qua sit patronatus? Respondeo, minime: cum Glossa in cap. Frigentijs, cap. Quicumque, & cap. Piamen. 16. quæst. 7. & cap. nobis, de iure patrona. Nam in cap. Quicumque, dicitur: Quicumque fidelium: & ex ea. Piamen. 16. constat, pios, seu Christianos homines, si ecclesias fundauerint, vel dotauerint, ius patronatus acquirere. nam in eo c. & c. sequenti Frigentijs, dicitur, præcessionis aditum Christianis hominibus debere.

Octauo quæritur, An Hæretic^o possit ius patronatus acquirere? Respondeo cum Abbate, & Ioanne Lignano in c. nobis, de iure patrona, minime: quia bonorum dominium Hæreticis sibi comparare non potest: Nam ob hæresim vniuersa eius bona sunt fisco addicta. c. cum scilicet leges, de Hæret. in sexto. Vnde ius patronatus quod ante hæresim habebat, eodem iure ad fiscum pertinet ac propterea noui patronatus capax non est.

Nono quæritur, An ius patronatus licite in eum cadat, qui vinculo maioris excommunicationis adstringitur?

Respon-

Respondeo, cum Ioan. Andrea, & Abbate loco citato. Si ante excommunicationem ius patronatus habeat, non amittere, sed eius usu priuari. quare excommunicatione alligatus, ad ius patronatus denuo admitti non debet: sitamen admittatur, ius patronatus acquirit, sed vltim iuris non habet. Ioannes Andr. & Abbas in cap. nobis. de iure patro.

Decimo quaeritur, An foemina ius patronatus acquirere possit? Respondeo, posse: Sic Abbas, & Ioan. And. in c. nobis citato: quia Canones constituunt, vt illud acquirat quicumque Ecclesiam fundauerit, extruxerit, vel dotaue- rit: at sub masculino genere in iure foeminarum continetur, licet non à contrario. l. si tra scriptum sit. ff. de legat. 2. & l. si quis ita, ff. de testament. iura. & l. i. ff. de verbo signifi. & Glossae si quis. 17. quest. 4.

Vndecimo quaeritur, Intra quod temporis spatium Clericum patronus nominare cogatur? Respondeo, si patronatus est laicorum, patronum intra quatuor menses nominare debere, ex cap. Quoniam, & cap. Cum propter, de iure patron. Si vero patronatus sit Ecclesiasticus, patrono praescriptum est ad nominandum sex mensium interval- lum, vt habetur in cap. Si laicus. §. Verum, de iure patrona. in sexto. Quare id quod dicitur in cap. Eam te, de iure patron. non aduersatur ei quod habetur in c. Quoniam, & cap. Cum propter, eod. tit. nam in cap. Eam te, sex menses patrono tri- buuntur, videlicet Ecclesiastico; in c. Quoniam, & cap. Cum propter, quatuor dumtaxat, laico scilicet patrono: Sicut capita conciliauit Panormitanus ibidem. Quaeres, à quo tempore quatuor, vel sex mensium spatium sit computan- dum; à tempore ne, quo vacauit Ecclesia, an potius à die, quo, de ea vacante, patronus factus est certior? Respon- deo, à die, quo patrono confitit de Ecclesiae vacatione. Ex quo fit, vt longe verior sit Abbas, Federici, & Ioannis Andreae locis citatis sententia, astrictum, patrono igno- ranti, lapsum temporis non nocere; quam aliorum secus opinantium. Et pati quoque ratione patrono legitime impedito, quo minus nominet, lapsum temporis non ob- esse, nam nemo sine culpa priuatur iure, quod habet, vel possidet.

Duodecimo quaeritur, An quando lis, & contentio in- ter duos de iure patronatus orta, intra tempus lege praescriptum, videlicet, quatuor, aut sex mensium, nequa- quam dirimitur, fas sit Episcopo, vel inferiori ordinario, ad quem institutio spectat, sine patrono nominante, ad Ecclesiam vacantem Clericum promouere? Respondeo, fas esse, vt patet ex cap. Quoniam, de iure patron. Quo fit, vt ius eligendi, quod electores habent, in hac parte à iure nominandi, quod patronus obtinet, plurimum differat. Nam si ob licem, tempus lege electoribus destinatum ef- fluxerit, electores ipsi iure eligendi minime priuantur: priuatur tamen patronus iure nominandi post tempus praescriptum in lege transactum.

Decimotertio quaeritur, An patrono liceat in nomi- nando, & praesentando mutare, & variare sententiam? Respondeo, distinguendum esse: aut patronus est laicus, aut Ecclesiasticus. Si primum, variare potest; si secundum, non item. cap. Cum autem, de iure patron. & ibi Doctores, laicus autem variare potest dupliciter: Primo, si indignum nominet; & propterea ab Episcopo, vel ab eo, ad quem in- stitutio pertinet, excluditur. Altero modo, si dignum, & idoneum nominet. Potest autem idoneum nominare, an- tequam priorem nominatus Episcopus instituat, & intra quatuor mensium spatium. nam postquam Episcopus in- stituit nominatū, patronus alium nominare nequit. Ab- bas, & ceteri in c. Cum autem, de iure patron. Ius porro va- riandi, locum habet, non vt patronus priorem nomi- natum refutet, & reiciat, sed vt primo secundum etiam ad- dat, & aggreget. Abbas, & alii in c. Cum autem citato: vt ex pluribus idoneis nominatis, & oblati, Episcopus dignio- rem, aut quem maluerit, instituat: vnde hic potius est Ec- clesiae fauor, & commodum, quam patroni, quoniam in- terest Ecclesiae, vt plures aequè idonei, & apti nominentur, vt vnus ex illis instituat.

Si quaeras, An patronus laicus variare queat, quoties voluerit, antequam Episcopus instituat, ita vt non solum secundum, sed tertium, & quartum, & plures nominare possit? Calderinus consil. 26. de iure patron. censet solum se- cundum post primum nominari posse à patrono: quod quibusdam rationibus concludere conatur. In primis, quia in cap. Cum autem, & c. Quoniam autem, & cap. Pas- toralis, de iure patron. vbi laico patrono ius variandi concedi- tur, solum dicitur, vt secundum nominare queat, vel al- lium. Deinde in Clem. Plures, de iure patron. habetur, plu- res posse à patrono nominari: duo dicuntur plures in iure. Acedit, quod in iure, & legibus infinitas deuitanda est. Postremo, quoniam in l. Boues, §. Hoc sermone ff. de ver- borum significatione dicitur: [Hoc sermone dum nupra erit, primae nuptiae significantur:] & cum alicui datur fa- cultas veniendi in oppidū, vel ingrediendi in cœnobium, vel ascendendi in Capitolium, vel prorogandi tempus, in primo actu finitur, vt docet Felinus cap. 2. de treuga & pace. Ceterum Decius cap. Quanto, de iudicis, oppositum tradit, nempe liberum esse patrono laico variare quoties volue- rit. Hæc opinio mihi magis probatur: quoniam patro- nus cum tertium, & quartum nominat, à primis non rece- dit, sed eos addit & aggregat primis: & quo plures nomi- nat, eo vtilius rem Ecclesiae gerit, vt ex pluribus vnus eli- gatur à Præsule, ad quem institutio pertinet. Et hæc sen- tentia fuit Glossae in Clem. Plures, de iure patrona. verb. Plures Abbates, & in c. Quanto, de iudic. Antonii & Cardinalis in c. Pastoralis, de iure patronatus.

Decimoquarto quaeritur, An in pupillum cadat ius pa- tronatus? Respondeo, cadere. Ita sentiunt Archidiaconus cap. decernimus. 16. q. 2. Ioan. And. cum ex eo, de elect. in sexto. Federicus consil. 97. Abbas in c. 1. de iure patron. num. 5. est enim ille capax hæreditatis, & legati: ergo in ipsum iure successionis & testamenti, & legatū ex testamento ius patronatus poterit transire. Ceterum, quamdiu infans est, hoc est, septennio minor, non ipse nominat, sed tutor nomine ipsius: maior vero septem annis, siue ante puber- tatis annos, siue postea, non tutor, seu curator, sed ipse nominat, quia sicut potest sponsalia contrahere, sic & nomi- nandi iure gaudere.

Quaeres, An tunc necessaria sit tutoris, vel curatoris auctoritas? Respondeo, minime: quæ fuit Rochi senten- tia, in tract. de iure patro. in verbo. competens. q. 2. & ante eum, Ioannes Andrea, Antonii, & Ancharani, quos ille secutus est: ex quo fit, vt etiam si curator vel tutor nominet di- gnior, & minus dignum pupillus: nominatus à pupil- lo praefertur debeat, quia est penes ipsum ius patronatus. Sic Ioan. Andr. & Panormitanus locis supra citatis.

Decimoquinto quaeritur, An spurius, & quiuis alius, qui nō sit legitime natus, sit iuris patronatus capax? Duas inuenio sententias. Vnam negantem; ob id quod in ipsum cadere nequeunt iura spiritalia, sicut nec beneficia, nec Ecclesiasticæ pensiones. Deinde, quia ab officiis publicis, & honoribus excluditur: at ius patronatus est munus ho- norificum. Altera opinio affirmat: estque Baldi, Antonii, & Geminiani, quos refert, & sequitur Rochus in tractatu de iure patron. in verbo competens, questio. 2. qui inde pro- bant, quod Canones, & iura in cap. Piamenti, cap. Quicum- que, & cap. Filius. 16. quest. 7. generatim constituunt, vt qui- cunque Christianus fundauerit, extruxerit, vel dotaue- rit Ecclesiam, ius patronatus acquirat, nec vllum ius scri- ptum inuenitur, quod spurios ab eo munere repellat. De- inde, quia ius patronatus cum rerum vniuersitate trans- fertur, vt ante iam diximus: at spurius capax est hæredita- tis, vel legati ex testamento alicuius extranei: ergo potest cum hæreditate, vel re sibi legata, patronatum obtinere.

Postremo potest spurius emere rem in qua est patro- natus. Vnde huius opinionis auctores docent, multis mo- dis posse ius patronatus ad spurium deuenire. Primo, cum Imperatoris, Regis vel Principis auctoritate, legitimis a- talibus restituitur, ad hoc vt possit in hæreditate succede- re: tunc enim eo ipso quod factus est capax hæreditatis,

compos quoque censetur patronatus, qui ad heredem cum hereditatis vniuersitate transmittitur. Secundo modo, cum spurius ab extraneo hæres instituitur, in cuius hereditate sit patronatus. Tertio, si spurio donetur, & legetur, vel vendatur vniuersitas rei, in qua est patronatus. Quarto, si ipse spurius ex suis bonis funder, extruat, vel dotet Ecclesiam: & hæc est opinio valde probabilis.

Decimosexto quaeritur, An ius patronatus transeat in maritum, cum vniuersitate dotis: velut, si marito in dorem detur villa, vel castrum, in quo vxor patronatum habet? Ratio dubitandi est, quia dotis fructus, & commodum ad maritum pertinet, *cap. Per vstras, de donatio. inter virum. & vxorem, cap. Salubriter. de vsur.* Sed nominare, est quidam fructus, & emolumentum patronatus. Præterea ius patronatus transit cum vniuersitate rei: sed maritus sit dominus rei dotalis constante matrimonio. *l. Dote ancillam, C. de rei viciat.* Ergo cum villa, vel castrum datur in dorem marito, transit ius patronatus in eum. His argumentis quidam conuicti, affirmant, ratione dotis, ius nominandi ad maritum pertinere. At Ioan. Andreas, Panormitanus, & alii verius, mea quidem sententia, oppositum censent, penes vxorem manere ius patronatus: ac proinde si vxor nomen Clericum, institui debere nominatum ab ea: nam penes ipsam manet dotis dominium. Nec impedit, quod rei dotalis fructus, & vtilitas ad maritum spectet, eo quod dotis commoda & ius marito concessit, ad onera matrimonii sustinenda: sed ex iure patronatus, quod in nominando consistit, nullus fructus æstimabilis pecunia percipitur, sed quidam honor: ergo nihil mirum est, si huiusmodi fructus ad maritum cum dote non transeat, quia ad onera matrimonii sustinenda est inutilis. *l. Et fundo, ff. de seruitutibus.*

Decimosextimo quaeritur, An qui solum possessionem patronatus bona fide habet, ius habeat nominandi, & presentandi? Respondeo, eum habere, id enim constat ex *cap. Consultationibus, de iure patron.* vbi sic legitur: Si alius quis Clericus ab ordinario iudice in Ecclesia fuerit institutus ad presentationem illius, qui eiusdem Ecclesia credebatur esse patronus, & postea ius patronatus alius euerit in iudicio, non debet ab ipsa propter hoc remoueri, si tempore presentationis sue, illo qui eum presentauit, ius patronatus Ecclesia possidebat. Et paulo inferius: Si vero non possidebat, sed tantum credebatur esse patronus, cum non esset, poterit ab eadem Ecclesia remoueri. Hæc ibi: Ratio huius legis est, quia nominare, est quidam fructus, & commodum iuris patronatus: quare quemadmodum fructus aliarum rerum ad possessorem bonæ fidei, & non ad dominum pertinent, *Instit. de rerum diuisio. §. Si quis à non domino, & cap. Graui, de restitut. spoliat.* sic etiam hic fructus iuris patronatus ad possessorem bonæ fidei spectat, non ad dominum. Ac quemadmodum possessor bonæ fidei consumptos fructus restituere iure non cogitur, ut est communis sententia Doctorum in *c. Graui, de restitut. spoliato.* ita nominatus ab eo, qui patronatum bona fide possidet, & institutus est in Ecclesia, reuocari non debet, quia est veluti fructus à possessore bonæ fidei cõsumptus. Obiciat aliquis id, quod habetur in *l. fructus, ff. de vsur.* Possessor non facit fructus rei naturales suos. Respondeo, cum Innocentio, & Abbate in *consultationibus, de iure patronatus, & in c. ex literis, eod. tit.* nominationem non esse fructum naturalem, sed potius industriæ patroni, cuius est nominare Clericum non solum dignum, & idoneum, sed etiam digniorem & aptiorem, & intra tempus lege præscriptum: & tamen esset fructus naturalis, quia tamen est bona fide consumptus, nec inde possessor est locupletior effectus, nihil restituere deberet. Et quod dicitur in *l. fructus, citat.* possessor bonæ fidei non facit suos naturales fructus, intelligitur antequam consumat eos bona fide.

Quæres, An si possessor malæ fidei nomen Clericum, & ab Episcopo instituat, debeat ab Ecclesia remoueri? Respondeo, cum Glossa, & Innocentio, & Abbate in *c. consultationibus, citato* debere, quia possessor malæ fidei fructus non facit suos, *cap. Graui, de restitut. spoliat.* Is porro bona fide

possidet rem, vel patronatum, qui putat absque dubio se esse dominum rei, vel Ecclesiæ patronum, hoc est, qui possidet rem, vel patronatum opinione domini, vel patroni, *vt colligitur ex cap. Si virgo, 34. q. 1. Sic Abbas in cap. consultationibus, citato.* Sed quid de possessore patronatus ambigente de se, sit necne patronus? Quidam distinguunt: aut iudicis auctoritate, & officio, adeptus est possessionem, aut secus, si primo, fructus facit suos: si secundo, nequaquam. Verius tamen est, quod Abbas, & Innocentius in *c. consultationibus prædicto, tradiderunt:* si possessor est quis auctoritate iudicis, & seruat iuris ordine, tunc bona fide possidet: si vero iudex auctoritatem interposuit non seruat iuris ordine, non possidet bona fide. Idem possessor malæ fidei, siue priuata, siue publica iudicis auctoritate nactus sit possessionem, vt non potest iure nominandi, quia in nominando, publico munere, & officio non fungitur, sed priuato. Hæc enim est causa, cur si Præfeci, & Magistratus legitima auctoritate Præfecturæ possessionem consequantur, rata sint, & firma quæ gerunt, nempe, quia publicum munus, & officium obent. *l. Barbarius, ff. de officio prætor.* pari ratione, quæ sunt ab excommunicato nondum in Ecclesia denuntiato, valent, si ratione publici muneris gesta sint: secus, quæ priuata auctoritate ab eo faciuntur. *Innocentius in cap. Cum dilectus, de consuetudine, & Ioan. Andreas in c. de rescriptis, in sexto, & Abbas in c. consultationibus, num. 8. de iure patronatus.*

Decimo octauo quaeritur, An qui possidet patronatum bona fide, nominare & presentare queat post licentiam contestatam? Hanc quaestionem tractat Glossa in *c. Ex literis, de iure patronatus,* vbi duas refert sententias: Vnam affirmantem, ob id quod nominatio est quidam fructus iuris patronatus; sed qui possidet bona fide, rem aliquam, fructus colligit etiam lite pendente, donec causa definitur. Altera opinio negat, quam sequitur Glossa. At Panormitanus in *cap. Ex literis, num. 7. & 9.* sentit nominationem quidem ratam esse & firmam, quia possessor bonæ fidei, fructus iure percipit post licentiam intentatam, & motam: sed nominatum non esse instituendum ab Episcopo, siue ordinario; & institutionem factam non valere pendente lite, donec tota lis, & controuersia dirimatur, eo quod possessor, fructus perceptos, vel æstimationem eorum post litem contestatam, si causa cadat, restituere debet. *cap. Graui, de restitut. spoliat.* Quod si institutio lite pendente valeret, postea reuocari non posset.

Decimonono quaeritur, Quo modo, vbi plures sunt patroni, Clericum nominare, & presentare debeant? Respondeo distinguendo: si quidem nominandi, & presentandi ius singulis condeniat in solidum, hoc est, æque nominare quisque potest: si vero omnibus in communem competat, tunc omnes communiter nominant, hoc est, non vt singuli, sed vt vnus patronus, cuiusmodi est Collegium, Vniuersitas. Quando igitur plures patroni, aut conueniunt omnes, siue maior pars eorum, & is qui nominatur, instituendus est: aut dissentiunt, ita vt vnus nomen vnus, alter alterum, si paria sint nominantium suffragia, præferendus est, qui à Patrono masculino nominatur, si dignus sit, ei, quem femina nominat, quamuis æque dignus, & idoneus. Item præferri debet is qui nominatur à patrono magis de Ecclesia bene merito, si nominati sint æque apti, & idonei. Præterea si patroni in nominando conuenire nequeant, Episcopo, siue ordinario libera facultas est ex nominatis, & paribus aliqui dignitatis instituendi quem ipse maluerit, si id facere absque vlla offensione possit: quod si offensionem aliorum orituram inde crediderit, sua auctoritate potest alium, quem dignum iudicauerit, Ecclesiæ præficere, aut eam alicui alteri commendare, ne illa ob patronorum inter se discordiam careat debito sibi rectore, & ministro.

Vigesimo quaeritur, An quando nominandi, & presentandi ius pluribus personis conuenit, necesse sit, vt rata, & firma sit nominatio, & presentatio, cõueniat maior pars, habita ratione omnium patronorum: an vero sufficiat

maior pars, habita ratione minoris? Exemplum pono: Quatuor sunt patroni, quorum duo nominant & presentant Titium, tertius Caium, quartus Seium: Titius nominatus à duobus, non habet suffragia maioris partis patronorum omnium, sed maioris respectu habito ad alios patronos nominantes. Respondet Ioannes Andreas in c. Quoniam, de iure patronatus, distinguendo: Aut quatuor patroni nominant communiter, vt Collegium, & tunc requiritur maior pars totius collegii, hoc est, omnium patronorum nominantium: aut nominant, & presentant, vt singuli, & tunc sufficit maior pars, consideratis aliis partibus: Ita vt quotiescunque plures habent ius aliquod faciendi, si habent communiter, vt Collegium, necesse est, vt maior pars collegii conueniat. Si vero habeant, vt singuli, satis est maior pars caeteris partibus. Vnde electio Rectoris ab Scholasticis Academia facta, non est rata, nisi maior pars totius vniuersitatis consenserit: & ideo si in vniuersitate sint centum Scholastici, quorum quinquaginta vnum eligant, & triginta alium, & caeteri item alium, nulla electio eorum valet, quia nulla est facta à maiori parte totius vniuersitatis. Abbas in cap. Quoniam, num. 13. de iure patronatus.

Vigesimo primo quaeritur, An patroni in nominando, & presentando, simul debeant conuenire, ita vt omnes vocandi sint ad nominandum, an vero aliqui eorum, caeteris minime vocatis, nominare queant? Respondet similiter Ioan. Andr. loco citato distinguendo: Aut hi plures patroni nominant communiter, vt Collegium, & tunc vocandi sunt omnes; alioqui praetermissi, aut neglecti actionem habeant, qua nominationem refutare, & oppugnare possunt, sicut etiam in simili, quando plures sunt electores, c. Quod fecit, & c. Bona. de elect. aut nominant, vt singuli, & tunc non est necesse omnes vocare. At Panormitanus in cap. Quoniam praedictato, num. 14. Bartolomaeus secutus in l. omnes populi, ff. de iust. & iure, generatim docet, omnes esse vocandos: alioqui omisi habent ius contra nominationem excipiendi, opponendi, & agendi.

Vigesimo secundo quaeritur, An patronus sua auctoritate vendere queat fructus, vel redditus annos, quos ab Ecclesia percipit? Respondet Innocentius in cap. Praterea. 2. de iure patronatus distinguendo: Aut sunt certi, & collecti, & hos potest vendere: aut sunt futuri, & incerti, & nequit eos vendere: nam eo ipso quod fructus futuri, aut adhuc è terra pendentes vendit, ad emptorem ius eos exigendi transmittit: ac proinde consequens est, vt ius patronatus vendere videatur, quod videtur absurdum.

Caeterum Hostiensis, reffe Panormitano eodem cap. num. 8. & 9. hanc Innocentii sententiam refellit: quia quisque potest rem futuram, & incertam vendere, qua venditione emptor spem habendi rem futuram emit, sicut cum venditur iactus reus, partus ancillae, vel foetus animalium futurus, vel fructus adhuc ex arbore, vel è terra pendentes, l. si iactum, ff. de actione empti, & venditi, & l. Nec emptio ff. de contrahen. emptio. Vnde Hostiensis concludit, fas esse patrono, tales fructus vendere, & fatetur, in emptorem, ius exigendi fructus transire: quod idem Goffredus reffe Panormitano ante docuerat. Ratio eius: quoniam hiis conditionibus, qui futuri sunt, venditis, necessario ius eos colligendi pariter venditur. Et nihil, inquit, mirum est, si ius patronatus hac ratione vendatur: non enim per se venditur, sed venditioni fructuum accedit, eamque comitatur.

Sed Goffredum, & Hostiensem refutat Panormitanus hac ratione, quia ius percipiendi redditus annuos, potest ad alium transferri, penes venditorem iure patronatus penitus manente. Rector enim Ecclesiae, vel Canonicus, vel alius quilibet beneficiarius, locat, & vendit ad triennium redditus, quos ex sua Ecclesia, Canoniaru, vel beneficio percipit, manente apud ipsum titulo, vel iure Ecclesiae, vel beneficii. V usufructuarius item vendere potest commodum vsusfructus, reuocato sibi iure vsusfructus, in l. Necessario, §. vlt. ff. de periculo, & commodo rei venditae: ergo potest patronus fructus futuros, & incertos vendere: pe-

nes se iure patronatus manente. Nequit tamen, vt Abbas annotauit, loco citato, alimenta sibi ob inopiam obuentura, alteri vendere: hæc enim ipsi tantum patrono tanquam honorifica præmia, & commoda debentur.

C A P. XXII.

De institutionibus Clericorum, qui à patronis ad beneficia nominantur, & offeruntur.

Extat titulus in iure Canonico de Institutionibus. De hac materia Abbas in cap. Auctoritate, num. 5. De institut. Primo quaeritur. Quid in iure, Institutionis nomine veniat intelligendum? Respondeo, concessionem Ecclesiae, seu beneficii auctoritate legitima Episcopi, vel alterius ordinarii factam, non simpliciter cuius Clerico, sed ei qui est à patrono nominatus, & oblatus. Hinc est, vt institutio, reffe Panormitano, differat à confirmatione, & collatione. Siquidem confirmatio est, qua superior electo, vel postulato à Collegio Clericorum, Ecclesiam, vel beneficium donat: Collatio vero, est datio Ecclesiae, vel beneficii legitima superioris auctoritate simpliciter, & libere facta, qua superior beneficium dat Clerico idoneo cui ipse vult. Contra institutio est, qua superior Ecclesiam, vel beneficium concedit Clerico nominato, & oblato à patrono. Quare confirmatio electioni, approbatio postulationi succedit, Institutio nominationi, siue presentationi à patrono factae: collatio vero fit superioris arbitratu absque vlla electione, vel postulatione à Collegio Clericorum facta, & absque presentatione, vel nominatione à patrono præmissa. Item, institutio, confirmatio, collatio, ius tribuunt in beneficio: sed electio, nominatio, postulatio nequaquam.

Secundo quaeritur, Ad quemnam pertineat institutio? Respondeo, iure communi ad Episcopos, quorum est instituire Clericos à patronis nominatos in omnibus Ecclesiis, vel beneficiis intra suam ditionem constitutis. cap. ex frequentibus, c. Cum ex iniuncto, de heret. cap. Omnes Basilica 16. q. 7. Vnde merito Abbas cap. 1. de institut. refellit Ioannem Andream in cap. Cum in cunctis, de electis, & c. Quamquam eod. tit. in sexto. dicentem, collationem, seu institutionem non esse proprium ius episcoporum, quoniam multi alii ius habent conferendi, vel instituendi. Caeterum id habent Episcopi iure communi, reliqui vero non nisi iure speciali. Et hanc potestatem, qua est iurisdictionis, non ordinis, habet Episcopus, statim vt est electus simul, & confirmatus quamuis non consecratus, secus non item, vt superius dixi.

Tercio quaeritur, An in alios cadat potestas instituendi? Respondeo, Generali Episcopi Vicario eam potestatem conuenire, licet ei speciatim non demandetur. cap. Ex frequentibus, de institutio. ac ibi Glossa communi consensu recepta. nimirum, ea est potestas iurisdictionis, & hæc Generali Vicario vniuersè committitur, nisi aliquas causas ius excipiat. Eam vero potestatem caeteri Vicarii non accipiunt, nisi expressim delegatam. Obiicies id, quod habetur, cap. vlt. de officio Vicarii in sexto, eum beneficia conferre non posse, nisi id ei fuerit speciatim commissum. Respondeo, cum Glossa & Abbate, in cap. ex frequentibus citato conferre eum quidem non posse, bene tamen instituere: quia instituere est necessitatis, conferre non item: nam is, qui est presentatus à patrono si dignus fuerit, institui debet. Deinde, collegium Canonicorum, Ecclesia vacante, habet etiam ius instituendi, vt habetur ex c. 1. de institutio. in sexto. Tradit etiam Calderinus consil. 3. Abbas in c. Cum olim, de maiorib. & c. ibi Glossa. & si conferre nequeat beneficia, quæ ad collationem solius Episcopi pertinent, cap. 1. Ne sede vacante in sexto, & c. 1. de institutio. in sexto. Caeteris inferioribus Episcopo præfectis, iure communi non conuenit, nisi priuilegio, præscriptione, consuetudine, statuto, donatione, vel aliis modis. Contingit enim interdum, vt Capellania à laico fundetur, ea conditione adiecta, &

Episcopi consensu approbata, ut certæ Ecclesiæ Præpositus, Decanus, Archidiaconus, vel Archipresbyter potestatem habeat instituendi Clericos à patrono nominatos, & oblatos. Similiter episcopo aliquando fundat, vel erigit certas Capellanas, vel alia beneficia, & eam conditionem apponit, ut penes certum aliquod collegium Clericorum, vel conuentum monachorum, vel vniuersitatem Scholariorum sit instituendi potestas. Alios episcopo inferiores ius habere nonnunquam instituendi, constat ex c. *Super eo, de officio iud. deleg.* ubi dicitur, institutionem ad episcopum, vel archipresbyterum, vel archidiaconum pertinere. *Idem dicitur ex cap. Cum venissent, de institutio. & cap. Si in plebibus, dist. 63.* At Synodus Tridentina sess. 14. c. 12. de reformatione definit, ut si patronatus alicui concedatur, institutio ipsi episcopo, & non alteri inferiori referretur.

Quarto quaeritur, An si episcopus instituat sine patrono, irrita iure ipso sit institutio? Dux sunt opiniones: Vna quæ asserit, esse rescindendam. Eo quod in c. *Illud, de iure patronatus* dicitur, Institutionem esse irritam, nam sic Hostiensis teste Lambertino lib. 2. de iure patron. par. 3. q. 2. art. 2. Altera opinio affirmat, ipso iure nullius esse momenti. Ioan. Andr. c. 2. de offi. Vicarii in 6. Abbas in c. *Illud, de iure patronatus.* Quoniam in c. *Decernimus, 16 q. 17.* habetur: *Si episcopi sine patronis instituerint, nonerint esse irritam institutionem.* Hæc opinio est vetior, eo quod in eo c. *decernimus*, irrita esse dicitur institutio. Et verbum (*Iritanda*) in cap. *Illud, supra citato*, intelligitur sicut alias solet in iure, irritanda est, quod idem est, ac si diceretur, declaranda est, vt irrita.

Quinto quaeritur, An si patronus sit in nominando Clerico negligens, episcopo possit, sine eius assensu institueret? Respondeo, fas esse, id enim habetur in cap. 1. de supplen. magis. pralato, nam tunc ad episcopum deuoluitur nominandi potestas. Sed quid si institutio non ad episcopum, sed ad alium inferiorem pertinet? Respondeo, tunc episcopi partes esse, curare, vt is, ad quem spectat institutio, Clericum instituat: quod si is quoque neglexerit, ad episcopum quoque institutio deuoluetur.

Sexto quaeritur, An si patronus sciens nominet indignum, possit episcopus absque eo institueret? hoc perinde est, ac si quaeretur: An si patronus indignum nominauerit, & obtulerit, ipso iure priuatus sit potestate tunc nominandi? Respondeo Glossa in c. *Cum vos, de offi. iud. ordina.* patronum Ecclesiasticum ipso facto esse priuatum, laicum non item. Ita etiam sentit Archidiaconus cap. 1. de praben. in 6. Hostiensis tamen, & Innocentius, vt ait Panormitanus in c. *Cum vos, citato*, generatim docuere, quemlibet patronum ipso facto priuati iure tunc nominandi. At Ioan. Andreas, quem sequitur Panormitanus, censet, laicum patronum nominantem scienter indignum, ante quatuor mensium lapsum posse quemuis alium dignum, & idoneum nominare, quia talis laicus in nominando, ius habet mutandi sententiam: ergo sicut intra quatuor menses nominando dignum potest variare, antequam episcopus instituat: multo magis poterit variare, si quem non debuit, nominari: exacto vero illo quadimestri spatio intra quod patronus indignum solummodo nominauit, Episcopus libere potest alium institueret, quoniam eo elapso tempore, patrono nullum nominante, fas est episcopo institueret, c. 1. de iure patronatus in 6. Itaque si eo quadimestri patronus laicus indignum solummodo nominauit, liberum est episcopo Clericum institueret: quia perinde est immemritum nominare, ac nullum, c. 2. de translat. & cap. *Tua, de Clerico non residen.* At vero si patronus sit Ecclesiasticus, tunc aut ignorans, aut sciens nominat indignum: si primum, variare non potest, donec nominatio repudietur: qua repudiata, intra semestre poterit alium nominare: si secundum, ipso facto priuatur iure tunc nominandi. Ita Panormitanus loco citato, Ioannis Lignani, Federici, & aliorum sepe sententiam.

Septimo quaeritur, An institutio valeat sine patrono, si postea suum præstiterit assensum? Respondeo Lambertino lib. 2. de iure patrona. par. 3. q. 2. art. 2. valere.

Octauo quaeritur, An si patronus præfens sciens taceat, nec vllum nominet, & præstent, institutio subsistat? Quidam negant, eo quod in his, quæ nobis nocent, silentium pro assensu non habetur. Alii vero affirmant, ob eam generalem iuris formulam: sciens, & tacens videtur consentire. Hæc opinio maiorem præ se fert probabilitatem: præsertim si patronus ad nominandum vocatus, aut nominare iussus, nullum nominet, & episcopo institueret sciens taceat: nam cum aliqui commode, aut resistere, aut nominare possit, tacite videtur consentire, cum id facit: secus esset, si ob merum incussum, aut episcopi præsentiam, aut dignitatem reueritus taceat.

Nono quaeritur, An Legato à latere Romani Pontificis liberum sit, citra patroni consensum, ad Ecclesiam vel beneficium Clericum institueret? Respondeo, minime, nisi cum potestatem à Papa expressim acceperit. Abbas in cap. *Dilectus, de iure patronatus.*

Decimo quaeritur, An quando episcopus sine patroni assensu licite aliquem instituit, institutus patroni assensum requirere aliquo iure cogatur? Respondeo Panormitanus in c. *Si vero, de iure patronatus*, ad id nullo iure compelli: nam per institutionem, plenum ius in beneficio natus est. Petitur tamen patroni consensum, ne presbyter institutus ab eo vniquam reuocetur, & ne patronus à nominandi, & præsentandi possessione cadat.

Vndecimo quaeritur, An liberum sit episcopo, sine patroni consensu, Ecclesiam collegiatam essere? Respondeo, cum Abbas in c. *Suggestum, n. 2. de iure patronatus* minime; quia sic patronus amitteret ius iuum nominandi, cum in Ecclesia collegiata præfectum nequeat nominare, vt supra diximus. Eadem ratione, episcopo fas non est, Ecclesiæ redditus citra patroni consensum alienare, vel ad aliam Ecclesiam transferre: quia etsi patronus suum ius non amitteret: sine eius tamen nutu, & voluntate, Ecclesiæ bona alienari non possunt.

Duodecimo quaeritur, Quid sit dicendum, cum patronus ius nominandi, & præsentandi ad episcopum sponte sua transfulerit in Ecclesiis ipsi episcopo subiectis, tunc ne episcopus pariter nominabit, & instituet? Respondeo, distinguendo, cum Abbate in c. *significasti, nu. 3. de iure patronatus*, & Glossa in c. *ead. tit. in 6.* aut institutio iure speciali ad alios episcopos inferiores pertinet, aut ad ipsum episcopum solum iure communi. Si primum, ad episcopum spectat nominatio, & præsentatio, & ad alios institutio: si secundum, Goffredus, vt testis est Panormitanus, dixit episcopum tunc nominare, & offerre Clericū sibi ipsi tanquam patrono, & tanquam episcopum institueret. Hostiensis tamen, Ioannes Andreas, & ipse Panormitanus volunt tunc nominationem, siue præsentationem, cum institutione confundi: & ideo episcopus Ecclesiam, vel beneficium conferre potest libere, eadem ratione qua & cætera beneficia omni iure patronatus libera. Hoc autem locum habet, cum episcopus ipse solus est patronus: nam si alii vna cum ipso patroni sint, tunc vera est Goffredi sententia.

Decimo tertio quaeritur, An sit certum tempus communi iure præscriptum, intra quod episcopus, vel alius inferior, ad quem institutio spectat, nominatum à patrono institueret? Respondeo, minime: & idcirco superioris arbitrio relinquatur, vt iis quorum est institueret, certum tempus constituat, intra quod institueret cogantur: quod tempus ultra semestre prorogari non debet.

Decimo quarto quaeritur, An sit episcopo liberum, eum institueret, quem maluerit è multis quos patronus nominauit, & ipsi obrulit, vt vnū institueret? Respondeo Glossa in c. *decernimus 16 q. 7.* liberum esse, si æque digni sint, & idonei: idque constat ex c. *cum autem, & c. Quod autem, & c. Pastoralis, de iure patronatus.* Quid si primo, vel secundo nominatus est dignior: eritne in episcopi potestate eum institueret, quem ipse voluerit, an potius digniorem institueret iure debet: teste Abbate in c. *Cum autem, de iure patronatus, nu. 5.* Ioannes Andr. opinatur etiam tunc episcopum liberam optionem habere, quia factis est, vt instituarur ido-

neus, & dignus. Sed probabilius iudico, quod docet Abbas tunc digniorem esse ab episcopo instituendum. Nam cap. si forte, distinct. 63. dicitur: *Vbi vota sunt paria, preferendum est, qui maioribus meritis inuatur.* quod si prætermisso digniore, minus dignum episcopus instituatur, potest, ut ait Abbas dignior appellare.

Decimo quinto quaeritur, An duobus, vel tribus ab examinatore approbaris, ut æque dignis, sit episcopo liberum, an potius patrono, quem voluerit, alteri præferre? Respondeo, hanc liberam facultatem penes patronum, non penes episcopum esse. Quia etsi Concilium Tridentinum velit, ut ij, qui à patrono nominantur, examinatum iudicio approbentur: non tamen admittit patronis potestatem nominandi vnum ex his, quos examinatores approbavit.

Obiicit id quod habetur in c. Cum autem, de iure patrona. videlicet, Episcopo fas esse quem maluerit ipse, instituere è pluribus æque dignis, qui à patrono laico nominantur? Respondeo, cum Nauarro consilio 5. de iure patron. in c. Cum autem, solum conuenit, ut ex multis nominatis, & oblati à patrono possit episcopus instituere quem voluerit. nos vero loquimur de iis, qui ex examinatore iudicio sunt approbati, & nondum à patrono nominati, & episcopo oblato: ex his enim quem patronus, non quem voluerit episcopus, eligi potest. Quærat aliquis, An idem iuris sit, cum patronus est Ecclesiasticus, & plures, examinatorum iudicio, vridonati sunt approbati, vtrum penes patronum, an penes episcopum sit libera facultas ex illis vnum aliquem eligendi? Respondet Nauarrus loco citato, esse penes patronum Ecclesiasticum, quoniam nondum illi sunt à patrono nominati, & episcopo oblato, vtrinstantur, sed tantum examinatorum iudicio approbati: ergo patroni est, quem voluerit, ex illis eligere: hoc enim ius sicut nec laicis patronis, ita nec Ecclesiasticis Tridentina Synodus tollit, vel admittit.

Decimo sexto quaeritur, An episcopi sit examinare literarum, mores, & vitam eorum, qui à patronis nominantur? Respondeo, in Concilio Trident. sess. 24. c. 18. de reformatione decreti: *Vt quicumque sive à patronis laicis, sive Ecclesiasticis nominantur ad Ecclesias Parochiales, subeant examen eorum examinatorum, qui ad id sunt destinati: aliter eorum institutio nullius sit momenti.* Et sess. 7. c. 13. de reformatione, idem Concilium statuit, ut presentati seu electi, vel nominati à quibusvis Ecclesiasticis personis, etiam sedis Apostolicae Nunciis, ad quævis Ecclesiastica beneficia non instituantur, nec confirmantur, neque admittantur, etiam præterea cuiusvis privilegii, seu consuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præscripta, nisi fuerint prius à locorum ordinariis examinati, & idonei reporti. Presentatis tamen, electis, seu collegiis generalium studiorum exceptis. Hæc ibi.

Decimo septimo quaeritur, An quando institutio ad aliquos inferiores episcopos pertinet, & nominatio ad episcopum tanquam patronum, satis sit, si episcopus Clericum nominet, & offerat, ut instituitur? Respondeo, cum Abbate in c. Significasti, de iure patrona, id sufficere: quia episcopus cum Clericum nominat, & offert instituendum, illum approbat, cum ipse sit approbare Clericos suæ diocesis, cap. vlt. de Cler. peregrinis. Sed quid si episcopus Clericum nominet, & offerat alteri episcopo, ut instituat in Ecclesiis illi subiectis, in quibus episcopus nominans, ius patronatus habet? Quidam senserunt, nominatum ab episcopo, illius alterius episcopi iudicio esse approbandum, ad quem institutio pertinet. Alii contra docent, sufficere solum episcopi nominantis iudicium, qui eo ipso quo nominat Clericum, & offert, approbat. Abbas in d. c. significasti, videtur innuere, hoc esse episcoporum privilegium, ut nominando Clericos ad beneficia, hoc ipso eos approbent, ita vt alia approbatione non indigeant. Sed Concilium Trident. loco proxime allato in superiori quaestione, videtur requirere, ut presentati, electi, vel nominati à quibusvis Ecclesiasticis personis, ad quævis Ecclesiastica beneficia non instituantur, nisi fuerint prius à locorum ordina-

riis examinati. Cæterum secundum alios hoc non impedit: quia qui nominantur, & offeruntur ab episcopo, vt in aliena ditione instituatur, hoc ipso, sui ordinarii iudicio approbantur.

C A P. XXIII.

Quid iuris, & potestatis habeat Romanus Pontifex in beneficiis patronorum laicorum, siue Ecclesiasticorum.

DE tota hac quaestione tractat Couarr. lib. Practicarum q. c. 36. Doctores in c. cum dilectus, de iure patr. & c. 2. eod. tit. in 6. Animaduertendum est aliquas literas à Romano Pontifice impetrari, quibus derogatur iuri, & potestati patronorum; cum præcipiat Pontifex, vt certo Clerico beneficium vacaturum conferatur: addens hæc verba. *Ad cuiuscunque presentationem, nominationem, electionem, collationem, & dispositionem beneficia pertineant.*

Primo quaeritur, An Romanus Pontifex possit citra patroni consensum beneficia conferre? Respondeo, posse Papam cuiusvis patroni etiam laici, iuri & potestati derogare: sic Glossa, cuius sententia est communiter recepta in Clem. 2. ver. Apostolicis, de præben. sic etiam Innocentius, & Archid. Abbas, Ioan. Andreas, Dominicus, Francus, Felinus, quos Couarruias citat lib. practicarum quest. c. 36. nu. 1. & illud ratio ipsa conuincit: quia ius patronatus Ecclesiæ auctoritate conceditur: ergo eius auctoritate aufertur potest. Quæres, An Pontifex solo suo nutu, & arbitratu possit ius patronatus auferre? Respondeo, minime, nisi iusta ex causa, vel honesta: alioquin enim laici, à fundandis, ædificandis, & dotandis Ecclesiis auerterentur: præsertim cum Principum privilegia soleant cuiusdam contractus naturam & rationem habere, cum conceduntur ex causa aliqua, & non sola ipsorum Principum libera voluntate: taleq; est ipsum ius patronatus, cum sit Ecclesiæ quidem beneficium, & privilegium, sed patrono ex causa concessum.

Secundo quaeritur, An Papa iuri patronorum laicorum derogare credatur, si in literis Apostolicis ea clausula vtatur: *Beneficium huic vel illi conferatur, ad cuiuscunque dispositionem pertineat?* Respondent Couarr. loco citato. Lambert. tract. de iure patr. lib. 1. p. 3. q. 9. art. 2. Gloss. Cle. 2. de præben. ver. si Apostolicis, non derogare iure laicorum, nisi expresse in literis Apostolicis, laicorum mentio fiat: aiuntque hanc esse communem Doctorum sententiam. Sed quid si eiusmodi literæ clausulam contineant, videlicet: *Ad cuiuscunque patroni presentationem, vel nominationem beneficia pertineant?* Respondent etiam Couarr. Lambert. locis citatis. Rochus tract. de iure patron. verbo Honorificum, q. 3. per hanc clausulam non derogare Papam iuri patronatus laicorum, sed tantum Clericorum. Obiicit, in clausula generatim dici, (*Ad cuiuscunque patroni nominationem beneficium spectet.*) Respondeo, hanc clausulam generatim apponi, vt Papa iuri cuiuslibet Ecclesiastici patroni significet derogare, nam Ecclesiastici patroni sunt multi, & diuersi, aliquando episcopi, aliquando alii episcopo inferiores præfecti, aliquando collegia Ecclesiarum Cathedralium, vel collegialium, vel vniuersitates studiorum generalium, vel collegia hospitalitatis causa fundata, vel monachorum conuentus.

Tertio quaeritur, Quid si in his literis Apostolicis clausula generalis contineatur huiusmodi (*Ad cuiuscunque patroni nominationem pertineat, etiam laici,*) an Papa tunc deroget iuri patronatus ad laicos etiam illustres pertinenti, cuiusmodi sunt Comites, Marchiones, Duces, & alii Principes? Respondent Couarruias, Lambert. locis citatis, & Rebuff. apud Couarruiam, minime, nisi in clausula Pontifex expressim horum Principum meminerit. Sed quid si in clausula dicatur: *Ad quoruncunque patronorum Comitum, Marchionum, Ducum, & aliorum Principum nominationem pertineat;* aut si absolute ita dicatur: (*Ad quoruncunque patronorum etiam Principum, nominationem spectet.*) An hæc clausu-

clausula patronatus Imperatoris, vel Regis continetur? Respondeo, cum prædictis auctoribus, minime: quoniam cum Imperator, & Rex longe cæteris Principibus auctoritate, & dignitate præsent, necesse est, ut eorum fiat expressum, & aperte mentio.

Quarto quaeritur, An quando ius patro. laicorum solummodo originem habet ex præscriptione, consuetudine, aut priuilegio, ei Papa derogare credatur per clausulam generatim appositam, (*Ad cuiuscumque patroni præsentationem, vel nominationem pertineat.*) vel sic, (*quomvis beneficium ex iure patro. existat*)? Respondeo ex iisdem auctoribus nominatis, communem esse doctorum sententiam, tunc Papam derogare. Ita Panormitan. Card. Anto. Cald. Dominicus, Haymon, Alexan. Feder. Decius. Ioan. Selua. Felin. Lambert. Rochus, Cassad. quos refert, & sequitur Couar. c. citato. n. 6. tamen addat, huiusmodi derogationem in Hispania non admitti, sicut etiam Rebuff. ait, in Francia non recipi. Communis opinio doctorum est, huic iuri patronatus per generalem clausulam derogari, & comprehendendi beneficia horum patronorum sub reservationi bus Pontificiis in iure communi contentis.

Quinto quaeritur, An quando ius patro. ad Clericum pariter, & laicum pertinet, Papa tunc ei derogare credatur per clausulam generalem, (*Ad cuiuscumque patroni præsentationem, seu nominationem beneficium spectet*) perinde, ac si esset tantummodo Ecclesiasticus patronatus, cui per generalem clausulam Papam derogare ante iam diximus? Quidam affirmant, eo quod huiusmodi patronatus, licet si partim etiam laicorum, simpliciter tamen Ecclesiasticus censetur, quia dignius trahit ad se minus dignum. Alii tamen negant, quoniam hoc ius patronatus in his, quæ sunt fauoris & gratiæ, Ecclesiasticum habetur: in iis, quæ ad damna, odia & pœnas spectant, laicorum censetur. Ita Couar. c. citato, n. 5. & apud eum Rebuffus ex Federico, Felino, Abbate, Dominico, Franco, Rocho, Cassadore, & aliis: quam opinionem vsus Rom. Pont. sicum consensu receptus in Hispania, & Gallia approbant.

Sed quid si ius patronatus ad duos Ecclesiasticos, & ad vnum laicum pertineat? v. g. ad Decanum Ecclesiæ, & ad Priorem Monasterii, & ad Trinum laicum: an tunc per clausulam generalem supradictam Papa derogare intelligitur? Respondet Couar. *ibidem* n. 5. tunc derogationem admitti, eo quod maiori ex parte sit Ecclesiasticus patronatus. Illud etiam dubium esse possit: Cum ius patronatus ad plures laicos pertinet, & in literis Apostolicis derogatio sub hac clausula continetur: (*Si maior pars patronorum laicorum derogationi consenserit.*) An tunc sit derogatio iuri patronatus, maiori parte laicorum suum ad id præstante consensum? Respondet Couar. *ibidem* tunc derogari: secus vero, derogationem non recipi, siue ex toto, siue ex parte, patronis laicis derogetur.

Sexto quaeritur, An quando laicus re ipsa patronus non est, bona tamen fide est possessor ipsius, Papa huic patrono derogare videatur per clausulam generalem in literis Apostolicis contentam; (*Ad cuiuscumque patroni laici præsentationem, aut nominationem pertinet*)? Duas inuenio sententias inter se pugnantes: vnam affirmantem, Papam derogare huic iuri: quam, teste Couar. sequitur Staphileus apud eundem c. citato, n. 6. ratio eius est, quoniam Papa derogando, nec patrono, nec possessori iniuriam facit: non patrono quidem, quoniam is possessione caret: non possessori, quia is verus patronus non est. Negat altera opinio per clausulam generalem derogari iuri, quod habet possessor bonæ fidei: nam licet patronus non sit, est tamen bonæ fidei possessor, & ideo rei alienæ fructibus, & commodis fruatur: ergo nõ est cui huiusmodi fructibus priuetur. Sic Cardinalis, Imola, Decius, Rochus, Lambert. & alii, quos refert, & sequitur Couar. n. 6. & hæc est probabilior opinio.

Septimo quaeritur, An Romanus Pontifex extra patroni consensum conferens beneficia apud sedem Apostolicam vacantia, eo ipso iuri patronatus laicorum derogasse videatur? Sciendum est, in e. licet, de præb. l. 6. Clementem

III. alias IV. reseruasse Romano Pontifici ius conferendarum Ecclesiarum, dignitatum, personatum, & aliorum beneficiorum, quæ apud sedem Apostolicam vacauerint. Quæritur modo, An sint reseruata Romano Pontifici beneficia ad ius patronatus laicorum pertinentia, si apud sedem Apostolicam vacauerint; hoc est, An si Papa ea conferat ob id quod apud sedem Romanam vacauerint, & expressum iuri patronatus laicorum deroget, sit admittenda derogatio? Couar. c. cit. n. 4. censet non esse admittendam, & in Hispaniis esse vsu receptum, ut non admittatur. Rebuff. apud Couar. n. 4. teste, in Francia nequaquam recipitur collatione beneficiorum ad ius patronatus regium pertinentium absque ipsius Regis consensu. Refert quoque Couarruias, Staphileum, Ioannem Monachum, Cardinalem, & Felinum docentes, per reservationem beneficiorum in prædicto e. licet, contrariam, non derogati iuri patronatus Regum. Ioan. Lupus apud Couar. n. 4. locum vult habere etiam, quando beneficia solummodo ex priuilegio, præscriptione, & consuetudine ad ius patronatus regium pertinent: quin etiam Ioan. Selua, Falco, & Rebuffus, apud eundem ibidem idem iuris esse contendunt in beneficiis pertinentibus ad ius patronatus Comitum, ac Marchionum, Ducum, ac aliorum Principum. Addit Couarruias, eodem iure gaudere in Hispaniis quoslibet laicos ius patronatus habentes: Staphileus tamea testatur, iuri patronatus horum laicorum Papam derogare consueuisse quotiescunque apud sedem Apostolicam obitu beneficiarii Ecclesiæ, vel beneficium vacat: Certe superior sententia in eo tantum casu locum habere potest, in quo licet collationis merito censentur subreptitiæ, alioqui probanda non est.

Octauo quaeritur, An admitti debeat derogatio iuris patronatus laicorum, & concessio, & collatio beneficii per summum Pontificem absque patroni laici nominatione, vbi beneficium erat apud Romanam curiam litigiosum? Cassadore, teste Couar. c. cit. n. 7. sentit posse summum Pontificem tale beneficium apud Romanam curiam vacans conferre si illic erat litigiosum eo tempore, nec requirit expressam derogationem iuris patronatus laicorum; nec aliquam eius rem mentionem, quia patronis laicis non habentibus in hac causa ius nominandi, cum litigiosum sit beneficium, nulla iniuria fit: atque ita scribitur Rotæ prætorio esse iudicatum. Ad ipsam sententiam Ludouicus Gomezius, & Cardinalis, teste Couarruias. Ratio horum auctorum est: quia lite pendente apud summum Pontificem inter duos super aliquo beneficio facultas non est inferioribus alioqui conferendi, vel eligendi ius habentibus procedendi ad eligendum, institutum, vel conferendum, siue vterque litigantium; siue alter tantum in curia Romana moriatur, iuxta id quod habetur in Clem. 1. c. lite pendente, & in c. 2. eod. tit. in 6. Ergo si duo à patronis inter se dissidentibus nominati litigent apud summum Pontificem, siue vterque, siue alter tantum, in ipsa curia Romana decedat, patroni tunc ius nominandi non habent.

Nono quaeritur, An cum apud Romanam Pontificem vnus suum beneficium cum alio beneficio permutat, valeat permutatio auctoritate Pontificis facta absque vilo patronorum laicorum consensu? Hanc quaestionem inferius ditueamus, cum de beneficiorum permutatione tractabimus. Modo illud tantum dixisse sufficiat, eam permutationem, nõ præmissa iuris patronorum laicorum mentione, irritam esse & inane in iis in causis, in quibus apud episcopum, & loci ordinarij facta non valeret. Item iudicis auctoritate esse rescindendam, quoties foret quoque iudicis officio infringenda, si apud loci ordinarij inferiorem facta fuisset. Ita Lambert. & Couar. loco citat. tradidere: imo Lupus Allegatione 96 n. 4. tradit, permutationem beneficij ad ius patron. laicorum pertinentis, factum in curia Apostolica absque expressa mentione de derogatione patronatus, esse subreptitiæ, & non valere, & ita esse pronuntiatum à Gregor. XI. à quo nunquam potuit quidam Cardinalis impetrare ex causa permutationis, vt fie-

ret derogatio iuris patron. laicorum, teste igitur Couarr. in Hispaniarum Regnis non recipitur permutatio, etiam auctoritate Rom. Pontificis facta, in qua expressum derogatur Regio iuri patr. Eodem etiam auctore, non admittitur, si derogetur iuri patronatus quorilibet laicorum: ut nec in Francia huiusmodi permutationes beneficiorum permittuntur. Sed quid si patronus laicus certior factus de permutatione beneficii absque eius consensu facta, intra tempus datum à iure ad nominandum, nõ contradixerit? Respondet Couarr. permutationem tunc temporis valere.

Decimo queritur, An vniones beneficiorum apud Rom. Pontificem facta citra patronorum laicorum consensum valeant? De hac quoque quaest. dicemus inferius. Sed in praesenti loco illud breuiter dicimus, quod in quaest. superiori de permutationibus praedictam est.

Vndecimo queritur, An renuntiationes beneficiorum quae resignationes dicuntur, siue simpliciter, siue gratia, & fauore alterius facta apud Roman. Pontif. absq. consensu patronorum laicorum sint firmæ? Hanc etiam quaestionem exordiemus infra. Interim vero breuiter dicimus cum Couarr. loco citato, tales renuntiationes iure non recipi: quod si fiant cum expressa derogatione iuris patronorum: ipsi Papæ supplic libellus offeratur, & contra eas, exceptiones proponantur, nec interim literæ Apostolicæ executioni mandantur.

Duodecimo queritur, An Rex, Imperator, Princeps, vel respublica legem ferre queat, qua constituatur, vt nullus possit à Rom. Pontifice literas ad dignitates, personatus, vel beneficia, quæ ad laicos, siue regum, siue aliorum quorumlibet ius patronatus spectent, aut impetrari vtatur, cum derogatione praedicti iuris, sine consensu ipsorum laicorum, quorum est nominare, & offerre Clericos: & qua similiter præcipit Consiliariis, & aliis magistratibus, ne huiusmodi literæ Apostolicæ, si forte impetratæ fuerint, executioni tradantur, & similiter, vt ex literis ad prætoriam Præcipium, Regum, vel rerum publicarum deferantur? Couarruias loco citato refert, praedictas leges esse in Hispaniis auctoritate Caroli V. Imperatoris, & Philippi II. Regis conditas, & promulgatas, & longe ante Caroli, & Philippi tempora consuetudine receptum in Hispaniis esse, quod hisce legibus decretum est.

Ex altera parte videtur eæ leges auctoritati Romani Pontificis derogare. Item, *Quando, de iudiciis* statuitur, causam de iure patronatus ad Ecclesiasticos iudices, non ciuiles pertinere: Et multo minus licet ciuili magistratui impedire, quo minus Apostolicæ literæ in executionem veniant. Profecto hæc leges iustæ esse nõ possunt, nisi quia aliquando Romani Pontificis priuilegio, vel consensu permittuntur, qui cum eas nouerit, alioqui abrogare, vel ex toto, vel ex parte facile possit, permittit nihilominus: ne communis reipublicæ Christianæ pax, & tranquillitas perturbetur: nam laicorum non est quidquam de causis spiritualibus statuere, vt in alio loco iustè ostendi: nec sufficit, si Papa toleret. nam nonnunquam aliqua tolerantur, quia non nisi difficile impediri possunt.

C A P. XXIV.

De quibusdam conditionibus apponi solitis in beneficiis ius patronatus habentibus.

Primo queritur, An conditiones, quæ ab ipsis quidem patronis episcoporum tamen consensu in beneficiis apponuntur, tolli queant ab alio quam à Romano Pontifice? Respondeo, minime, *Clem. Quia contingit, de religiosis domibus, c. Si pro Clericis, de prob. in 6.* Romanus autem Pontifex licet possit his conditionibus derogare, id tamē facere non creditur, nisi earum conditionum expressam fecerit mentionem: nec solentis ex toto derogare, sed ex parte.

Secundo queritur, An episcopi auctoritate in ipsa fundatione Ecclesiæ, possit patrono laico concedi, vt ius vna cum Canonice, vel Clericis habeat eligendi Priorem, vel

Rectorem in Ecclesia Collegiata, vel Conuentuali? Respondeo, cum *Glossa in c. Nobis, de iure patron.* minime, quia esset facultas data laico contra ius commune, quod habetur in *c. Messana, c. c. Sacrosancta, de elect.*

Tertio queritur, An si Cappellania, vel beneficii institutio habeat, vt Cappellanus, vel beneficiarius per se ter in hebdomada sacrum faciat, debeat esse sacerdos, qui à patrono nominatur? Respondeo debere, quia id fundationis verba significant, sic *Lambertinus, de iure patrona. lib. 1. part. 2. q. 7. art. 17.* Sed quid si beneficii fundatio habeat sic: *Beneficiarius per se, vel per alium ter in hebdomada sacris operetur?* Respondeo, ex eod. auctore *art. 28.* Sacerdotem esse debere, quia ea verba hunc sensum habet: vt si ipse beneficiarius legitime fuerit impeditus, quominus per se ipsam rem diuinam faciat, curet, vt alius loco ipsius id præstet.

Quarto queritur, An quando ex fundatione beneficium est sacerdotale, satis sit, beneficiatum, quo nominatur tempore, esse in eæ tate, vt temporibus iure præscriptis intra annum possit fieri sacerdos? Respondeo, beneficium tribus modis posse dici sacerdotale: primo, qua requirit in beneficiario sacerdotium, quo tempore ius in beneficio obtinet. Altero modo vt postea, qui ad ipsum eligitur, nominatur, & offertur, fiat sacerdos intra annum ab eo tempore computandum, quo pæctam eius beneficii possessionem est nactus: alioqui vel ipso beneficio, vel fructibus sit priuatus. Tertio modo beneficium dicitur sacerdotale, quoniam postulat, vt beneficiarius sit sacerdos, quo tempore à patrono nominatur, siue eligitur, quamuis per nominationem, vel electionem non obtineat, sed per institutionem, vel confirmationem. Quando igitur fundatio beneficii est laicorum, si beneficium sacerdotale esse dicatur, requirit, vt Clericus sit sacerdos quo tempore à patrono nominatur: quando vero fundatio beneficii est, vel statuto, vel consuetudine facta ab aliquo Clerico, vel Ecclesia, sufficit si Clericus quando nominatur, vel eligitur, eum ætatis annum agat, vt intra annum possit fieri sacerdos.

Quinto queritur, An patronus in fundatione, vel dotatione Ecclesiæ licite possit contra ius commune, sine episcopi consensu conditiones apponere? Respondeo, in primis, certi iuris esse, citra consensum episcopi, non licere patrono vllam conditionem apponere. Deinde episcopi consensu, potest patronus eas conditiones exigere, in quibus episcopo permittitur, vt iuris communis rigorem relaxet: secus vero, quando episcopo fas non est ius commune remittere, v. g. non potest patrono concedi, vt ipse habeat ius non solum Clericum nominandi, sed etiam instituendi, vel Ecclesiam regendi: potest tamen concedi, vt censum, vel pensionem annuam moderatam sibi referret. Vtrum vero patronus possit habere ius ad nutum suum, Clericum ab Ecclesia, vel officio remouendi, dubia est quaestio. Nonnulli affirmant, alii vero negant. Mihi prior opinio magis probatur, nam episcopi consensu beneficium potest Manuale constitui: Manuale autem beneficium est quod ad nutum ordinarii confertur, & auferri potest: nihil igitur impedit, quo minus episcopus concedere queat, vt beneficium ad nutum patroni reuocari possit.

Sexto queritur, An si patronus conditionem hanc apponat: vt Cappellanus, vel beneficiarius toties in hebdomada sacrum faciat, & processu temporis ita beneficii redditus decrescant, teneque fiant, vt beneficiarius suo muneris, & officio satisfacere commode nequeat, habeat episcopus auctoritatem sacrificiorum numerum minuendi, ita vt redditus ad honestam beneficiarii vitam sufficiant? Respondeo, habere: nam tacita in hoc patroni voluntas subesse creditur, vt is numerus minuatur. Cæterum penes episcopum tantum, & non penes ipsum beneficiarium est huiusmodi potestas, quare beneficiarius ad minorem numerum reuocare priuata auctoritate non potest.

Septimo queritur, An quando fundatio, vel dotatio in beneficio sic habet, vt Cappellanus, vel Beneficiarius

in certo Oratorio, aliove loco sacro, aut in certo altari facrum faciat, debeat beneficiarius eo in loco, vel altari sacrificare? Respondeo debere: siquidem iusta est patroni voluntas, qui eum locum, vel altare delegit, ut frequenter recur, coleturque. Sed quid si beneficiarius legitime impeditur, ne eo in loco, altariue sacrificet: debeat ne alibi sacris operari, an vero à re divina facienda penitus abstinere? Respondeo, eum debere in alio loco, vel altari sacrificare: alioqui enim fundator debitis sibi suffragiis fraudaretur, verisimilius est ipsum hoc maluisse, quam ut nullam sacrificaretur. Quares item, An si beneficiarius absque iusta, & legitima causa alibi sacrificet, non solum peccet, sed etiam compensare omnia sacra debeat? Ratio dubitandi est, quia aliis in locis sacrificando, non videtur fundatorem debitis suffragiis fraudasse. Respondeo, compensationem illi esse faciendam, quia suo muneri, & officio non satisfecit; ac proinde, quod debebat non soluit, debeat eo in loco sacra facere, ut alii quoque excitarentur ad preces in eo loco fundendas.

Octavo quaeritur, An si beneficiarius, vel Cappellanus ter, vel quater per seipsum in hebdomada offerre, & immolare debeat, & per seipsum commode in certa hebdomada praestare non possit, per alium id facere in eadem hebdomada debeat, An vero potius id in aliud quodpiam tempus iuste reiciat? Respondeo, non videri voluntatem patroni, ita restringendam, ut ad unum tantum sit beneficiarius eligendus: quare si per seipsum commode id solvere non queat, verisimile videtur, ut possit, vel in aliud tempus differre, vel per alium in illa hebdomada sacrificare. Nam ex vna parte fundator fortassis beneficiarii fidem, pietatem, & diligentiam exiebat, & tutius tunc foret, ut beneficiarius id per se ipse praestaret, quamvis in aliud tempus reiectum: ex altera vero parte, fortassis idem fundator postulabat, ut quam citissime beneficiarius debita sacrificia expediret, & tunc sine dubio melius id per alium sacerdotem in eadem hebdomada faciendum curabit.

C A P. XXV.

De collatione beneficiorum, quam concessionem, seu collationem praebendae vocant.

EST in iure titulus, de concessione praebendae. Agit de hac re, Rebuffus in *Concordatis tit. de collationibus*, *Cosmas in Pragmatica sanctione, sit. de collationibus*. Sciendum est, beneficia in iure, dici proprie conferri, cum libera ordinarii voluntate Clericis quos ipse voluerit, conceduntur, videlicet nulla à Clericis electione, vel postulatione, aut ab ipsis patronis nominatione praemissa Collatio igitur vulgo, & à iuris Pontificii inter precibus accipitur pro donatione beneficiorum vacantis liberaliter facta. nam donatio in iure dicitur, *cap. ult. de officio Vicarii, in 6. cap. Propositus, c. Quia diversitatem, c. Cum nostris, c. penultimo, de concess. praebendae*. Aut Motu proprio concedentis: aut ad petitionem impetrantis. *c. Si motu, c. Si tibi, de praeben. in 6.*

Ex quo fit, ut beneficia in iure, triplicis generis repantur: Alia sunt electiva, quae videlicet per electionem dantur: alia collativa, hoc est, nullo iure patronatus affecta: & idcirco haec cum Clericis dantur, dicuntur conferri: alia vero non libera, hoc est, quae non nisi praemissa patronorum nominatione donantur, & proinde sunt quasi patronis obligata, quia ipsis ius patronatus imponitur.

Primo quaeritur, Cuius sit beneficia conferre? Respondeo, in primis, solum Romanum Pontificem habere plenum ius ubique beneficia conferendi, *cap. 2. de praeben. in 6. Clem. 1. ad finem, ut lite pendente*: quia, siue sint electiva, siue iuri patronatus subiecta, siue talia, ut ius ea conferendi, ad locorum ordinarios spectet, potest Pontifex & iuri electorum & patronorum, & ordinariorum derogare, ut patet ex regulis Cancellariae. Potest & beneficia antequam vacent, suae potestati reservare, ita ut ea inferiores loco-

rum ordinarii conferre non possint. Potest etiam vacantia beneficia promittere, ita ut ius ad ea concedat, *cap. 2. de praeben. in 6. Glossa cap. ult. q. 3.* quod ordinarii inferiores minime possunt, ut statim dicemus.

Item potest beneficia in toto terrarum orbe constituta conferre, *c. Cuncta per mundum, q. 3.* & colliguntur ex *c. 2. de praeben. in 6. c. Clem. 1. ut lite pendente*, & tradit Abb. in *cap. quia diversitatem, de concess. praeb.* neque tantum simpliciter, sed etiam sub conditione: nec tantum in perpetuum, sed etiam ad tempus dare potest, *cap. Si gratioso, de rescriptis in 6. c. Veniens de filio presbytero, c. Pastorem, 7. quaest. 1. c. Glossa in illis capitulis.*

Secundo quaeritur, An possit generale Concilium beneficia conferre? Respondeo Sclua *par. 2. de benef. q. 2. posse*: quia ibi adest Romani Pontificis potestas; neque enim legitimum Concilium generale est, nisi Papa praesit, *c. Nullus, dist. 17. c. Dudum, 3. q. 9.* sed à Papa auctoritatem & robur accipit, *c. Significasti, de elect.* ergo si solus Papa beneficia confert, quid nisi Concilium eius auctoritate fulsum, *c. Cum in cunctis, de elect.* hoc locum habet, quando necessitas urget, nec possit aliter provideri Ecclesiae vacanti, aut commode differri non possit. *Sclua loco citato.*

Tertio quaeritur, An sede vacante, penes collegium Cardinalium sit ius beneficia conferendi? Respondeo, minime. *Clem. ne Romani, §. 1. de elect.* Etenim conferendi beneficia potestas est iurisdictionis, at quae sunt Pontificiae iurisdictionis, ad collegium Cardinalium, viduata Ecclesia Pontifice non transeunt.

Quarto quaeritur, An Romani Pontificis in urbe vicarius possit beneficia communi iure conferre? *Barbatus in tract. de praestantia Cardinalium in praedicta 2. partis, sentit posse concedere, si Cardinalis sit; sed minus: & probare contendit, ex l. Vicarius, ff. de legationibus*, ubi Vicarius dicitur legatus, sed legatus potest beneficia conferre, ergo & Vicarius Cardinalis. Sed verius puto, quod docet *Bal. in leg. Aliquando, ff. de officio proconsul. c. legas*: quem auctorem sequitur *Rebuffus in praxi beneficiorum, in forma Vicarii Archiepiscopi, n. 64.* Vicarium Papae, etiam Cardinalem beneficia conferre non posse ratione muneris & officii quo fungitur, nisi ei expressim id iuris Papa concesserit. Nam Vicarius Papae, est Vicarius eius tanquam urbis episcopi, non ut totius Ecclesiae pastoris: at ut est Vicarius in urbe, iurisdictionem extra non habet. Ergo nequit beneficia conferre quae sunt extra urbem: nec potest etiam ea conferre beneficia, quae sunt in urbe: nam eadem est ratio Vicarii Papae in hac parte, quae in Vicariis aliorum episcoporum. Sed Vicarius episcopi conferre non potest, *c. ult. de officio Vicarii in 6.* ergo nec Vicarius Papae. Et lex illa intelligitur de aliis legatis, non de Vicario Rom. Pont.

Quinto quaeritur, An Cardinalis presbyter, vel Diaconus possit aliqua beneficia iure conferre? Respondeo, Ioannem Monachum dixisse, *testa Ioan. Andrea in c. 1. de maioribus in 6.* Cardinales quamvis non episcopos, sed presbyteros, vel diaconos episcopale ius, & potestatem habere in Ecclesiis suorum titularum. Idem docent Antonius, Abbas, & Felinus in *cap. Haec quae de maiori a. c. obed. & Dominicus in cap. 1. de maioribus c. obed. in 6. ait, eos habere ius instituendi, & destituendi in suis Ecclesiis. Extat (ut verbis Felini utar) *c. His quae nu. 1. de maioribus c. obed. amplissimum prius legum Cardinalibus à Papa concessum, ut libere possint conferre omnia beneficia Ecclesiarum, quas vel iure tituli, vel commendationis habent, non obstantibus expectatiis, neque reservationibus, nisi vacent in curia: nec de illis disponit Papa, nisi expressus Cardinalis consensus accedat. Hoc autem locum habet, servata reg. 7. Cancellariae, quae sic habet: Item reservant dispositioni suae generaliter quoscunque Canonicius praebendas, & dignitates, personatus & officia, in Principibus Apostolicarum, S. Ioannis Lateranen. ac B. Mariae maioris de urbe Ecclesiis: necnon ad collationem, provisionem, & presentationem seu quamvis aliam dispositionem S. R. E. Cardinalium à Romana Ecclesia absentium reservationem suorum Episcopatum, Cardinalatus, & ipsorum**

Cardinalium titularum spectantia, quamdiu absentia sua duraverit, Canonici & Præbendæ, Dignitates, Personatus, Administrationes, vel Officia, ceteraque beneficia Ecclesiastica cum cura, vel sine cura, vacantia, & antea vacatura tam in eadem urbe, quam in Ecclesiis, Ciuitatibus, & diocesisus dictorum Episcoporum consistantia. Hæc ibi. Locum habet hæc regula quando Cardinalis à curia Rom. sine Papæ consensu abest.

Extat alia quoque Clementis VII. Constitutio, quæ incipit: *Santissimus in Christo Pater*: in qua Cardinalibus, qui ipsius Papæ consensu à curia Romana absunt, ampla conceditur facultas conferendi beneficia, siue regularia sint siue secularia, siue cura animarum coniuncta, siue seorsus, quæ ad eorum aut iure, aut consuetudine dispositionem pertinent, tam ratione suorum titularum, quam Cathedralium, aut Metropolitanarum Ecclesiarum, quibus eos præesse contigerit. Et ratione item aliarum Ecclesiarum & monasteriorum, etiam Consistorialium, Primatuum, dignitatum, & aliorum beneficiorum, quæ ex concessione, vel dispensatione Apostolica inuolunt, vel commendam, vel administrationem habuerint vel quocumque alio titulo obtinuerint. Sic ibi. Sensus huius constitutionis nos iam supra tradidimus. Rogabit aliquis, An Cardinalis iure communi, proprio, aut ordinario conferat beneficia sita in Ecclesiis Tituli? Respondetur, minime: nam Papa cum sit verus episcopus, & tituli Cardinalium Diaconorum, & presbyterorum sint in urbe, ad ipsum Papam iure ordinatio pertinet ius conferendi beneficia omnia, quæ sunt in Ecclesiis urbis. Concessit tamen ipse Papa Cardinalibus, ut conferant beneficia suorum titularum.

Sexto quaeritur, An Romani Pontificis legatus à latere, iure beneficia conferat? Respondetur, eum posse beneficia in provincia sibi delegata conferre, cap. 1. de officio legati in 6. Potest item beneficia vacatura sibi referuare: ita ut cum deinde vacauerint, nullus loci ordinarius inferior ea conferre possit, uti tunc, cum vacauerint, ipse legatus à latere conferat. c. *Presenti de officio legati in 6.* Sed eam referuationem geminare nequit: dumque ea pendet, alteram in eadem Ecclesia, vel diocesi facere non debet, eod. c. *Et in provincia dicta*, ea tamen finita, aliam facere iure potest: dummodo prioris quæ executionem foret est, faciat mentionem, Glossa eodem in c. *Presenti prælegato*. Nequit tamen legatus cuiuspiam ius ad beneficia vacatura concedere, cap. *dictus. l. de præben. c. Nulla, c. Relatum, c. Ex tenore de concess. præben. Sed cur iura legato concedunt, ut possit beneficia vacatura sibi referuare, quæ tamen denegant potestatem ius ad ipsa vacatura alicui conferendi? Respondetur, longe aliquid esse referuare sibi legatum aliquod beneficium vacaturum, ne ordinarius inferior conferat; ac ius alicui ad illud vacaturum concedere. Nimirum per referuationem huiusmodi, nulli Clerico ius tribuitur: ac proinde nulli datur occasio captandæ, optandæve mortis: nec ipse legatus impeditur, quo minus beneficium cum vacauerit, cui voluerit Clerico conferat: cum vero datur ius alicui ad beneficium vacaturum, offertur captandæ optandæve mortis occasio. Ex his fit, ut ad tres simul possit eiusdem beneficii conferendi ius pertinere: videlicet, ad Romanum Pontificem, ad legatum eius, & ad episcopum. Glossa in c. 1. de officio legati, verb. *Ampliori, ad finem, in 6.* Dubitari potest, cum tres ordinarij licite idem beneficium conferant, ut diximus, Papa, legatus eius, & episcopus, vel ordinarius loci, quantum concessio ab eis facta valebit, si vnum, & idem beneficium diuersis Clericis contulerint? Respondetur, in c. *si à sede, de præben. in 6.* sic esse constitutum: *Si à sede Apostolica, vel legato ipsius, vni, & ab ordinario, alteri eodem die idem beneficium conferatur, nec appareat qua collatio fuerit primo facta, erit potior conditio possidentis: Si vero neuter possiderit, ut cui Sedes ipsa contulit: vel legatus, propter conferentis amplioris prerogatiuam, erit alteri præferendus.* Hæc ibi.*

Sed quid, si Papa vni contulit, & legatus alteri? Respondetur, cum Glossa esse præferendum eum, cui Papa contulit, propter amplioris conferentis prerogatiuam. Ex quo fit, ut quoties constitit, quisnam eorum primus beneficium contulerit, is debeat anteferrì: Et ait Glossa in cap. 1. verb.

Ampliori, de officio legati in 6. Et colligitur, ex prædicto c. *À Sede*, vbi dicitur: *Nec appareat qua collatio fuerit primi facta, erit potior conditio possidentis.* Ergo à contrario sensu, vbi prima donatio apparuerit, ea est merito præferenda, ut si constitit per testes hora diei qua facta fuerit, vel in ipsis literis ipsa quoque diei hora exprimitur: Glossa ibidem.

Secundo roget quispiam, An legati Romani Pontificis, qui nati, vel simplices dicuntur, ius habeant beneficia conferendi? Sciendum est, legatos Romani Pontificis, tripliciter esse generis. Glossa in cap. *Excommunicatus, verb. Commisam de officio legati*. Alii enim dicuntur legati à latere, qui sunt Cardinales, quos ex ipso Cardinalium collegio Papa ad aliquam prouinciã, regnũ, rempublicam, ciuitatem, vel principem mittit: ita ut dicti sint legati à latere, quasi à Romani Pontificis latere dimissi & egressi. Alii vocantur legati nati, qui nimirum frequenter sunt Archiepiscopi, & ratione Ecclesiarum, quarum sunt Antistites, in tota prouincia suæ ditioni subiecta, legatione funguntur: Et quia statim sunt archiepiscopi electi, creati & confirmati, præscriptione, vel consuetudine, vel privilegio legationis munus & officium obeunt sibi ratione dignitatis & Ecclesie, cui præsent, coniunctum, ideo legati nati dicuntur, quasi cum ipsi Ecclesie simul nati, ut ex Doctoribus constat in c. 1. de officio legati in 6. Tales sunt in Anglia archiepiscopus Cantuariensis, cap. 1. de officio legati, Eboracensis in alia eiusdem Angliæ prouincia, c. 1. de Appellatio. & in tota Polonia archiepiscopus Gnesnensis: in Francia Remensis, in Corsica Pisanus, testibus Innoc. in c. *Volens, de officio legati, & Franco, c. 1. eod. tit. in 6.* Olim namque archiepiscopus Pisanus Primas erat totius Corsicæ, eo quod Corsica erat in ditione Pisanorum. Alii dicuntur Legati simplices, siue Nuncii, siue Missi, qui Cardinales non sunt, & Apostolica auctoritate aliquo mittuntur ad negotia gerenda & expedienda.

Legati igitur à latere, habent ius beneficia conferendi in prouincia ipsis subiecta, ratione legationis qua funguntur: quo iure carent ceteri legati, c. *dictus de officio legati, & c. si à sede, de præben. in 6. & c. 1. de officio legati in 6.* Nam legati nati beneficia conferunt, non quidem ratione ipsius legationis, sed iure ordinatio, quatenus sunt in certa prouincia archiepiscopi, siue Metropolitanæ, siue primates. Legati simplices beneficia non conferunt, nisi speciali Rom. Pontificis concessu, prædicto c. 1. de officio legati in 6. & his aliquando Papa solet eandem potestatem committere, quæ legatis à latere missis communi iure conceditur.

Septimo quaeritur, An legatus à latere possit conferre beneficia iuri patronatus obligata? Hanc quaest. supra diluimus: In præsentì respondeo cum Abbate, c. 1. de præben. & Ioan. Selua de benef. p. 2. q. 3. n. 1. & 14. non posse ea conferre beneficia, quæ ad laicum patronum pertinent ex fundatione, ædificatione, vel dotatione Ecclesie: posse tamen quæ ad laicos patronos spectant præscriptione, consuetudine, privilegio, Ant. in cap. *Cum dilectus, de iure patronatus. Ioan. Selua, de benef. p. 2. q. 3. n. 14.* Potest item conferre beneficia iuri patronatus Ecclesiastico subiecta, quæ patronum habent Ecclesiasticum non laicum, aut quæ habent patronum clericum & laicum, quæ ad Clericum pertinet præsentatio, nõ tamen quando spectat, ad clericum simul, & laicum, Abb. in c. *ult. de iure patr. Domin. in c. 1. de iure patr. in 6. Selua loco citato.* aut quæ ad solum laicum attinet. Selua.

Octauo quaeritur, An iure communi conferendi beneficia potestas, episcopis, archiepiscopis, Primaribus, & Patriarchis conueniat? Ioan. Andr. in c. *Quangquam de elect. in 6.* sentit facultatem beneficia conferendi, non his communi iure committere, quia etiam multi alij iure beneficia conferunt, videlicet Canonicoꝝ collegium, c. *Proposuit, de concess. præben. in 6.* Abbates item, vel Priores, c. *ult. de instit. & Clem. 1. de supplen. neglig. prælato.* Sed Ioan. Andr. sententiam merito confutauit Abb. in c. *Cum olim de maioris, & obediens, vbi probat, talibus Ecclesiarum præsulibus, beneficiorum conferendorum potestatem iure communi conuenire: ut colligi potest ex cap. Omnes Basilica, q. 7. & c. Ordinarij, de officio ordinarij, in 6. & c. 2. & cap. Ex parte, & c. Constitutus, de concess.*

præben.

præben. Aliis vero inferioribus Episcopis conuenit hoc ius præscriptione, vel consuetudine, vel priuilegio, vt statim dicemus.

Nono quaeritur, An ius conferendi beneficia ad Episcopum sine consensu, & consilio collegii Canoniorum pertineat. An vero ad Episcopum simul, & collegium Canoniorum? quaestio est de beneficiis Ecclesiae Cathedralis, siue sint dignitates, siue Canonicatus, siue alia beneficia minora, & simplicia. Item de beneficiis Ecclesiae collegiatae, quae sunt, vel dignitates, vel Canonicatus, vel minora beneficia: Insuper de beneficiis Parochialibus, & aliis beneficiis minoribus in Ecclesiis alicuius Diocesis constitutis. Hanc quaestionem tractauit Abb. in cap. Cum Ecclesia Vulerana. de elect. num. 8. ubi tres refert sententias, vnam asserentem, ius conferendi beneficia, ad Episcopum cum consilio, & consensu collegii pertinere: alteram, ad Episcopum cum consilio, & non consensu collegii; tertiam vero ad Episcopum simul, & collegium Canoniorum. Et hanc, inquit, habet Glossa, & Federicus, Vincentius, Goffredus, & Ioannes Andreas. Ipse vero Panormitanus ita distinguit. Aut beneficia sunt in Ecclesia Cathedrali dignitates, Canonicatus, vel alia beneficia minora: Aut in Ecclesia collegiata, aut Parochiali, aut in alia qualibet Ecclesia: si sint in Ecclesia Cathedrali dignitates, aut Canonicatus, tunc si fuerint ex bonis communibus ipsis Ecclesiae fundati, & instituti, horum conferendorum potestas communi iure ad Episcopum simul, & collegium Canoniorum spectat; cum siue beneficia ex bonis communibus fundata & erecta: ergo siue conferendi, siue instituendi potestas, an vtrumque, tum ad collegium Canoniorum tum ad Episcopum, pertinet. Omnium enim interest Canonicos, aut dignitate praeditos Clericos gratos & acceptos habere: quod item ad omnes pertinet, debet ab omnibus approbari. cap. Ad hos, de officio Archidiaconi, sic cum Abbate, Ioan. Selua de beneficio, pag. 2. q. 22. num. 11. Et 12. Si vero dignitates, aut Canonicatus sine ex bonis certi patroni fundati & instituti: tunc patroni est nominare, & offerre Clericos, Episcopi vero instituere, vel consensu, vel saltem consilio collegii Canoniorum, c. Nouit, de his, quae sunt à praelatis, quamuis consuetudine receptum sit, vt Episcopo sine consensu & sine consilio collegii conferat, vel instituat. Ioan. Sel. q. citata. n. 12. Quod si dubitetur, An ex bonis Ecclesiae communibus fundati, & erecti sint Canonicatus, vel dignitates? censetur eo ipso, communiter fundati & constituti. c. vlt. 12. q. 1. Innoc. in c. Dilectus de maior. & obedien. Abbas, & Ioan. Selua, locis supra citatis. Si sint beneficia Ecclesiae Cathedralis simplicia & minora: eorum conferendorum ius, ad Episcopum citra Canoniorum consensum & consilium pertinet: quia, vt ait Innoc. in c. Nouit, & c. Quarto, de his, quae sunt à praelato, minora quaelibet negotia agit & expedit Episcopus. sine collegio Canoniorum: sicut etiam Rector cuiuslibet Vniuersitatis, sine ipsa Vniuersitate: si beneficia sint dignitates, Canonicatus, siue praebendae Ecclesiae collegiatae Calderinus, teste Panormitano loco cit. sentit, eorum conferendorum potestatem, iure communi, nisi aliud sit vsu receptum, aut nisi ea beneficia patronum habeant, ad Praepositum, vel Decanum, vel alium quemuis illius Ecclesiae Praefectum, & ad ipsos Canonicos pertinere: quia Praebendae censentur ex bonis illius Ecclesiae communibus instituta.

Item quia sicut collegium Canoniorum illius Ecclesiae cetera bona administrat, sic etiam beneficia. Hostiensis autem, Ioan. Lignanus, & Federicus, quos citat Panormitanus, & refert Ioan. Selua, de beneficio, p. 2. q. 22. n. 13. sentiunt nominationem siue praesentationem ad Praefectum, & Canonicos pertinere: ad Episcopum vero institutionem. Nec dissentit ipse Panormitanus. Quando beneficia sunt Parochialia: ius ea, vel libere conferendi, vel instituendi praesentatos à Patrono, ad Episcopum communi iure spectat. Et addit idem Auctor: Si Cappella sit in ipsa sacra & de Parochiali fundata, ratione fundi, Rector ipsius Ecclesiae vna cum Patrono qui Cappellam dotauit, ius habet

nominandi. Si tamen edificata est extra ipsam eadem sacram, in Parochia tamen, tunc aut ipsa Ecclesia Parochialis, vna cum Patrono aliquid in dorem contulit, & sic Rector ipsius vna cum Patrono nominat, & Episcopus instituit: Si autem nihil contulit, ius nominandi non habet. Quid si de Patrono non constat? Quidam, teste Abbate, sentierunt, ius nominandi ad Parochianos pertinere, sed probabilius est, quod idem ipse Panormitanus, Innoc. & Ioan. Andr. quos ille citat, tradiderunt, iam posse libere Episcopum conferre. Et idem iuris est de Ecclesia Parochiali, quando nullus Patronus apparet.

Decimo quaeritur, An potestas conferendi beneficium, conueniat Episcopo statim, vt est electus & confirmatus, ante consecrationem? Respondeo, consecrationem ad id minime requiri, quia potestas conferendi, est iurisdictionis, sicut & instituendi nominatos à Patrono, aut confirmandi electos à Clericorum collegio. Episcopus autem electus, & confirmatus, ante consecrationem potest ea quae sunt iurisdictionis, c. Transmissam, de elect. Et eadem ratio est de Episcopo, qui sola Papae conferentis auctoritate creatur Antistes. Nam ea donatio, qua quis auctoritate Papae conferentis Episcopo parti accipit, electionis vim habet, & confirmationis, Glossa in c. sicut tuus, de Simo. c. Cum nobis, de elect. Imol. in c. Qualiter, de elect. Fran. in c. Auctoritas, de elect. in 6.

Vndecimo quaeritur, An possit Episcopus iure communi, quae sunt iurisdictionis exercere, antequam sit Ecclesiae possessionem nactus? Respondeo, duas fuisse sententias: aam Innoc. Hostiensis, Ioannes Andreas, & Panorm. in c. Transmissam, de elect. Rota decis. 4. teste Felin. c. Beroldus, de sent. & re iudic. opinantur, communi iure necesse non esse, vt Episcopus sit possessionem adeptus, quia haec, inquit, non ad substantiam collationis, sed ad solemnem formulam pertinet. Sed Archidiaconus, in c. Cum qui, de praeb. in 6. Dinus in reg. 1. de reg. iuris in 6. Ancha. in reg. sine possessione, de reg. iuris in 6. possessionem requirunt. Certe si alius adhuc possessionem obtineat, secunda opinio verior est. Item vbi vsu obtinuit, vt Episc. vel alius ordinarius nihil administret, nisi fuerit possessionem assecutus, ea necessaria est: secus vero iure antiquo communi, non requiritur: & hanc sententiam dicit esse communem Ioannes Selua, de beneficio, p. 2. q. 15. n. 1. Ceterum literis Apostolicis non expeditis, si cui Papa praefecturam Ecclesiae contulit, administrare non potest, nec recipi tanquam praelatus, alioqui qui recipiunt & qui recipitur, poena afficiuntur: Nam Bonifacius VIII. Constitutionem edidit, quae incipit. Iniuncta nobis. De elect. inter Extraneos communes, ubi sic ait: Sancimus, vt Episcopi & alii praelati superiores, necnon Abbates, Priores, & ceteri monasteriorum regimina exerceant, quocumque nomine censentur, qui apud dictam Sedem promouentur, aut confirmationis, consecrationis, vel benedictionis munus recipiunt, ad commissas eis Ecclesias, & monasteria, absque dicta Sedis literis eiusmodi eorum promotionem, confirmationem, consecrationem, seu benedictionem continentibus, accedere, vel bonorum Ecclesiasticorum administrationem accipere non praesumant: Nullus, eos absque dictarum literarum ostensione recipiant, aut eis parent. Quod si aliquid praedicta Episcopi, vel praelati sacre auctoritate praesumpserint, irritum sit & inane, nec quicquam de Ecclesiasticis prouentibus percipiant. Haec ibi.

Duodecimo quaeritur, An Episcopus, vel quilibet alius loci ordinarius cum est extra Diocesim, vel territorium, possit beneficia conferre? Idem queri potest de Legato à latere extra provinciam sibi mandatam, sed non dum legatione finita. Hanc quaestionem agitat Glossa in c. nouit, de officio & potestate iudicis deleg. & docet, non posse ordinariū extra territorium commorantem, ea expedire, quae cognitionem causae requirunt, vel quae sunt iurisdictionis necessariae, sed ea tantum, quae sunt iurisdictionis voluntariae, vel quae cognitionem causae non postulant.

Idem fere Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, & Panormitanus communiter docent. Nam ex l. 2. ff. de offi. Consulis. Magistratus potest quae sunt iurisdictionis vo-

luntariæ. & ex l. ult. ff. De offi. Praefecti Urbis, potest ea, quæ sine causæ cognitione expediri queunt. Hinc fit, vt quibus ordinarius, siue legatus à latere extra territorium possit beneficia conferre, & causas alteri delegare, & sacras penitentiarum confessiones audire. *Hosten. in Summa tit. De penit. & remiss. §. Cui confitendum sit, Archidiaconus cap. Placuit, Dypanus, distinct. 6. Ancharanus in c. Ea quæ, de reg. iuris in 6. Paul. Eleaz. a. in c. Dudum, de sepul.* Nimirum hæc, & similia permulta, sine causæ cognitione iudiciali fiunt; non tamen in quempiam excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiam ferre, aut ab ea absolueri potest ordinarius ille, vel legatus: quia, vt dixi, hæc causæ cognitionem deponunt. Hinc etiam fit, vt nequeat, vel confirmare electos, vel instituire, qui à Patronis nominantur ob dictam rationem, vt docet *Glossa cap. ult. de elect. in 6.* Nam electus à Clericis, confirmari non potest, quin prius vita, mores, & literatura eius examinentur. Similiter nominatus à Patrono, institui iure non potest, nisi prædicta ante explorentur.

Decimotertio queritur, An Collegium Canonicorum Sede vacante, possit beneficia conferre? Respondeo, non posse ea quæ ad solius Episcopi collationem spectant. c. *illa. ne Sede vacante. c. cap. 1. eod. tit. in 6.* posse tamen ea, quorum conferendorum ius ad Episcopum & ipsum Collegium communiter pertinent. Hæc enim communio efficit, vt Episcopo vita functo, tota conferendi potestas penes ipsum Collegium existat. *cap. 1. Ne Sede vacante. in 6.*

Quæres, An collegium Canonicorum Sede vacante, possit, vel electos à Canonicis confirmare, vel nominatos à Patronis instituire? Hanc nos questionem supra suo loco dissolimus, & diximus posse, vt constat ex *cap. Cum olim, de Maioribus. c. ob. c. cap. 1. de institut. in 6. & docet ibi Glossa.* Sciendum est, esse vsu receptum: vt Canonicorum collegium, Ecclesia suo pastore destituta, ea beneficia, quorum conferendorum potestas ad solum Episcopum pertinet, commendat viro idoneo ad tempus, dum Sedes ipsa vacat. *cap. Cum viros, de offi. iudi. ordinari. c. Panormi. in c. Cum vobis, ad finem, de elect.*

Decimoquarto queritur, An generalis Vicarius Episcopi habeat ius conferendi beneficia, quæ ad Episcopi potestatem spectant? Respondeo, minime, vt liquet ex c. *ult. de offi. Vicarii, in 6.* nisi hoc ius speciali Episcopi concessu obtinuerit. Nihilominus tamen Vicarius habet ius confirmandi electos, c. *Dilecto, de præb. & instituendi nominatos à Patronis, vt Glossa tradit communi consensu approbata, ex cap. Ex frequentibus. De institut. c. ult. de offi. Vicarii in 6. c. Dilecto, de præb. Abb. in c. Ex frequentibus, de institut.*

Decimoquinto queritur, An adiutor Episcopo datus habeat ius conferendi beneficia? Respondeo distinguendum esse: Aut hic datur Episcopo ob perpetuam amentiam, & sic potestatem habet conferendi beneficium: atque ita tutor infantis, & curator pupilli perpetuo amentis ius habent nominandi Clericum ad beneficia, in quibus ius patronatus habet pupillus infans, aut perpetuo mente captus. Aut datur adiutor Episcopo ob senium, aliumve corporis morbum, qui vsus mentis non adimit, & hic non habet ius conferendi beneficia. Hæc Ioan. Selua de *benefic. par. 2. quæst. 4. ex Lapo, Oldrado, Dominico, Imola, quos ipse refert, & sequitur.*

Obiicit, habenti liberam administrationem in rebus alterius, interdicta est alienatio bonorum, c. *Is, cui. de elect. in 6.* Respondeo, id locum habere in alienatione voluntaria, non necessaria: at beneficia conferre, si Episcopus perpetuo sic mentis impos, necessitatis est non voluntatis: ne Ecclesia diu rectore ac debito ministro destituta, & graui detrimento afficiatur.

Decimosexto queritur, An qui habet possessionem in conferendis beneficiis, ea iure conferat? Respondeo, eum quamdiu est bonæ fidei possessor, licite conferre, *cap. Cum olim, de causis possessionis.* Pari ratione supra diximus, possessorem bonæ fidei eligere ac nominare, & præsentare, quamuis verus patronus aut elector non sit. Ex quo fit,

vt præferri debeat is, cui bonæ fidei possessor beneficium contulit ei, cui est à vero ordinario concessum. *Abbas in c. Consultationibus, de iure patrona. ad finem.*

Decimoseptimo queritur, An sequester per iudicem datus ad colligendum fructus beneficii, potestatem habeat beneficia conferendi? Sequester in iure dicitur is, apud quem pecunia, vel res controuersa deponitur, vt finita lite, victori reddatur. *l. Sequester, de verb. signif. l. Si apud quem, c. l. Proprie, c. l. Licet, ff. depositi.* Deinde, sequester, est duplex: vnus, voluntarius, qui scilicet à iudice, accedente, vel non accedente litigantium voluntate deligitur: alter, necessarius, qui iudicis auctoritate & officio datur citra litigantium consensum. *l. Prædicta licet.* Tres igitur opiniones inuenio, quas recitat Ioannes Selua, de *benefic. par. 2. quæst. 9.* quarum vna vniuersè negat, penes sequestrum ius esse beneficia conferendi, siue per collationem, siue per electionem, siue per præsentationem, aut nominationem, quia fructus alieno non suo nomine colligit & percipit, & futuro causæ victori referuare, ac restituere debet, c. *Cum Bertoldus, de sent. & re iudica. c. 1. c. 2. de sequestrat. possessio. c. fructuarius. Clem. 1. eod. tit.* secundo, quia sequester veteri non possidet. *l. Interesse, ff. de acquiren. possess. l. 1. c. de sequestrat. possessionis.* Sic *Hosten. Antonius & Abbas, in c. Examinata, de iudicio.* Altera opinio partim quidam affirmat, partim vero negat: sequester, inquit voluntarius libere beneficia conferit & præsentat, vel eligit Clericum, necessarius non item. *Ioannes Selua, tractatus de beneficiis par. 2. quæst. 9.* Tertia opinio generatim affirmat, sequestrum beneficia posse conferre: hæc est opinio Innocentii in *cap. Examinata, de iudicio.* Ioannis Lignani, & Cardi. & Pauli in *Clem. 1. de sequestr. poss.* quos citat Ioannes Selua; vbi dicit, eam etiam leucos fuisse Felinum, Rochum, & Dominicum, & id probant, quia sequester omnia iura, quæ ad beneficium spectant, obire & exequi potest, *Glossa in Clem. 1. de sequestr. poss. c. 6.* Tamen etiam sequester ius in beneficio non habeat, eius tamen fructus iure colligit. Deinde verus dominus, propter dubium reuentum rem alienare non potest, & tamen interest plurimum Ecclesie, quam primum fieri possit rectorem, aut debitum ministrum habere.

Postremo, sequester habet administrationem etiam in his, quæ spiritalia sunt. *Clem. 1. de sequestr. possessionis:* At in fructibus beneficii ius conferendi numeratur. *Glossa in c. Cum olim, de Maioribus. c. obedientia.* Nec impedit, quod rei sequestræ fructus debeant victori causæ restitui: id enim locum habet in fructibus, qui conseruari solent & possunt, cuiusmodi non est beneficia conferre. Sed est animaduertendum, prædictam tertiam sententiam intelligi, quando sequester est Clericus. Nam in laicum ius beneficia conferendi minime cadit.

Decimooctauo queritur, An penes conductorem, sit potestas benef. conferendi? Conductorem accipimus eum, qui ad certum tempus conducit omnes annuos proventus ad Episcopum pertinentes. Respondeo, minime, quia non omnia Episcopi iura conducit, sed redditus annuos: *Ita Selua, de beneficiis, p. 2. q. 9.*

Decimonono queritur, An in laicum cadat ius benef. conferendi? De hac quæstione Ioan. Selua *tracta de benef. p. 2. quæst. 23.* Ratio dubitandi est, quia aliquando Reges & Principes hoc iure gaudent, & aliquando etiam contendunt suum esse, certa quædam benef. conferre: ac proinde si Episcopus conferat, aut si forte est à Papa beneficium impetratum, rotum dicunt irritum esse & inane. Respondeo, certi iuris esse, hanc potestatem laicis minime conuenire: quod constat ex multis Decretis *16. quæst. 7.* est enim potestas spiritalis: & propterea in laicos iure communi non cadit, c. *Causam, de præscript.* nec eos illam præscriptione, vel consuetudine, quamuis longissimi temporis, & immemorabili posse comparare, certi iuris est. At vero peculiari Romani Pontif. privilegio Imperatoribus ac Regibus aliquando conceditur ius conferendi beneficia. Imperator in singulis Alemanie Ecclesiis vnū Cano-

nicum constituit. *Speculator titul. de praben. §. 2. versic. 7. ubi etiam Ioan. Andr. Boerius dicit. §. 2. num. 6. Rex Apuliae poterat olim dare cui voluerat, beneficia, sine Episcopi auctoritate, Glossa in summa 16. quast. 7. Et Urbanus II. Petro hoc nomine primo, Regi Aragoniae privilegium concessit, quod antea quoque Alexander II. & Gregorius VII. Sanctio Regi eius patri dederant, ut omnium Ecclesiarum & urbium, à quibus Mauros Christianae religionis hostes depulerat, & in posterum etiam depelleret & eiceret, decimas, & redditus perciperet: & ipse ac sui successores beneficia quibus vellent, conferre possent: exceptis Ecclesiis, in quibus sunt Episcoporum Sedes. Et idem ius Pontifex tribuit Proceribus Aragoniae, qui Mauros eiecerant, ut deinceps ex toto regno depellerent, sic *Chronica Aragonensia*. Olim Rex Angliae hanc facultatem habuisse legitur, privilegio Romani Pontif. & Rex Vngariae, teste Baldo, in *l. Rescripta, C. de precibus Imperatori offe.* Et in Francia, Rex Galliae in quibusdam Ecclesiis peculiari privilegio confert ea benef. quae vacant, dum illae Ecclesiae Pastore suo, aut Rectore sunt destituta: ad quem ius ea conferendi pertineret: exceptis Parochialibus Ecclesiis. Hoc namque ius habere fertur in tota provincia Sennonensi, excepta Diocesi Antifiodorensi, in qua Decanus, & Collegium Canonicorum cum iure Regio aliud suum ius permutasse perhibentur. Habet item ille Rex hoc ius in vniuersa provincia Remensi; excepta diocesi Cameracensi: in provincia Bituricensi, excepta Lemouicensi, Caturcensi, Ruthemensi, Albicensi, Mimateni: in provincia Turonensi, excepta diocesi Machlouensi, Trocorensi, Venetensi, & aliis Britanniae Ecclesiis: in Episcopatu Burdegalensi solum, non in aliis eiusdem provinciae Ecclesiis. In tota Normanniae provincia. Haec ex *Aegidio in Decisionibus, & tractatu Regalium, cap. à nobis*, tradiderunt Duarenus de *sac. Eccle. ministris lib. 5. c. ult. & Rochus, & Gregorius in Synag. vniuers. iuris lib. 17. c. 8. num. 18. Ioan. Selua de benef. p. 2. q. 23. num. 12. & seq.**

Habet autem hoc ius Rex Franciae, siue illae Ecclesiae vacant ob mortem, delictum, aut aliam huiusmodi causam: nisi ante Regalis iuris tempus: ita collatum sit à Summo Pontif. beneficium, ut ius beneficio sit Clerico acquisitum, eo quod fuerit possessionem adeptus. Hadrianus I. cum vniuersa Synodo Romae coacta, Carolo Magno ius concessit, ut Archiepiscopi & Episcopi per singulas provincias ab eo inuestituram acciperent, & ne aliter consecrari possent. *cap. Adrianus, dist. 63. & Leo VIII. cum toto Clero atque Romano populo eandem facultatem Othoni Imperatori dedit. e. in Synodo. eadem distinctione.* Porro sit verum nece hoc quod dicitur de Adriano I. in *cap. Adrianus curato*, & de Leone Octavo in *c. in Synodo dixi superius, lib. 5. c.* Concilium quoque Toletanum 12. aperte decreuit, uti Episcoporum creatio, regii iuris esset. *cap. Cum longe, eadem dist.* Leo iridem in quadam epistola Lotharium, & Ludouicum Imperatores rogat, ut Reatinæ Ecclesiae gubernationem cuidam Diacono concedant, *cap. Reatina, ead. dist.* Apud Gregorium Magnum mentio est cuiusdam Monasterii, quod erat in Franciae finibus, & praecipit Pontifex, ne Abbas ei absq; Regali concessu praeficiatur. Fuit postea inter Pontif. Romanos & Imperatores quosdam de Episcoporum, & superiorum Antistitum, & Abbatum electionibus, creationibus, & inuestituris ut vocant, diuina & magna contentio, ut constat ex *Emilio rerum Gallicarum scriptore*, qui libro eius historiae quinto sic tradit: *Dum bellum sacrum in Asia geritur, in Europa Summus Pontificatus cum Imperio Caesaribusque decertabat: quod vetusta iam consuetudine Augusti seipionem sacrum, annulumque pastoralem Episcopis, ceterisque patribus: eamque sacrum dignitatem vestituram; iuraque regia appellabant; contendebantque, illa Carolo Magno à Pontifice Maximo Adriano cum Patriatu, & à Leone cum Imperio data penes se esse. Et eodem libro, de Henrico Imperatore loquens ait: Pascuali necesse fuit caput hostis sui corona exornare, ac ius sacrarum vestiturarum pseudo illi permittere. Discessit Caesar Pon-*

*tifex habita Synodo Decretum ut factum induxit. Eodem libro: Vestitura Ecclesiastica, baculique sacri, & annuli dandi, iuri cessit Augustus: & Legatus Romanus in gratiam, consortiumque piorum recepit: & ius alicui dandi ea ratione restituit: ut id privilegium foret, & homini datum ad posterum non valeret, nec exemplo haberetur. Eodem item libro: Philippo Primo, ac deinde Crasso regibus, mirum est quantum incrementi res sacra ceperint. In primis abrogatum est ius Caesarum, locupletissima Sacerdotia, quibus videretur, dandi: quae res multum virum illorum maiestati detraxit in animis popularium, causa Imperatorum vitia: indignatio tamen manebat & querela. Haec ille: De hac contouersia Sigon. libro 10. de regno Italia. Et ego, libro 9. eam totam explicabo, quomodo, & quando ceperit, & quando finita fuerit. Quae de re magna quoque, fuit altercatio inter Philippum Palchrum, Francorum regem, & Bonifacium VIII. cuius meminit idem *Emilius lib. 8. & tandem ius conferendi ea beneficia, quae paulo ante memorauimus, Regi Francorum concessum est: & in Concilio Lugdunensi ab ipso Bonifacio VIII. approbatum cap. Generati. de elect. in 6. ac deinde in Basiliensi confirmatum.**

Vigesimo quaeritur, Quo iure Abbates, & alii Episcopo inferiores ordinarii beneficia conferant? Respondeo, non iure communi & ordinario, quia proprium est hoc Episcoporum: sed consuetudine & praescriptione, vel privilegio, & concessu Papae, aut Episcopi. Nam conferre beneficia, ad potestatem iurisdictionis, non ordinis Episcopalis spectat: unde alii Episcopo inferiores ordinarii vlti & praescriptione sibi possunt acquirere, & Episcopus id potestatis dare potest. Aliquando Collegia Canonorum ius habent conferendi sine Episcoporum consensu, ita vt ad ipsos Canonicos conferendi potestas sorsim pertineat, *cap. ult. de praben. in 6.* Et tunc Collegii statuto discerni potest, ut Beneficia, quorum conferendorum ius habet, vacantia primo anni mense, conferat primus Canonicus: vacantia secundo mense, secundus Canonicus, tertio tertius, & sic de singulis: vel vt beneficia familiarium vacantia ad collegium pertinentia conferant Canonici. Tales consuetudines, & statuta, ait *Glossa in cap. ult. de praben. in 6.* extant in quibusdam Galliae Ecclesiis. Aliquando igitur ius conferendi conuenit collegio soli, vel soli Episcopo. *cap. cum Vltoria Ecclesia, de caus. posses.* aliquando singulis Canonicis, aliquando Praelatis aliarum Ecclesiarum, *cap. ult. De instit.*

C A P. XXVI.

Aliae quaestiones de iure conferendorum beneficiorum dissoluntur.

PRIMO quaeritur, Quo modo intelligatur, quod habetur in iure: videlicet ad Romanum Pontificem plenam & liberam dispositionem de beneficiis pertinere, eo quod habeat supremam in Ecclesia potestatem? Quidam in hac parte iuris Pontifici Consultos grauiter accusant, quod docuerint Romanum Pontificem in conferendis beneficiis liberam potestatem habere, quod reuera communi consensu receptum est apud eos. Nam *Glossa in cap. Si gratioso, de rescript. num. 6.* testatur, cum beneficia & Praefecturae Ecclesiasticae conferre posse vt vult, & in iis voluntatem eius pro ratione habendam. Et *Glossa in cap. ult. 9. q. 3.* posse Papam, Clerico suum beneficium adimere: sicut, inquit, potest Imperator alicui rem suam auferre, potest item Papa alicui tollere ius nominandi, conferendi, instituendi, quod habet in iis, quae ad beneficia pertinent. Constat profecto ex iure ipso Canonico plenam & liberam conferendi beneficia potestatem penes Romanum Pontificem esse. in *cap. Licet. de prab. in 6.* dicitur: *Licet Ecclesiarum, personarum, dignitatum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum vocatur Pontificem pertinere.* Et in *Clem. 1. ad finem*, vt lite pendente: *Ad Romanum Pontificem, Ecclesiarum, personarum,*

dignita.

Dignitatum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum plena & libera dispositio ex se potestatis plenitudinis noscitur pertinere. In c. p. ap. In c. De concess. praben. ait Innocentius III.

Licit intentionis nostra non sit, inuestiturus de vacaturis factis, contra Canonum instituta, ratas habere, quod secundum plenitudinem potestatis de iure possumus supra sua dispensare. Sic tibi Romanus igitur Pontifex plene & libere potest de beneficijs statuere: non quia dominium beneficiorum, aut rerum Ecclesiasticarum habeat: sed quia quatenus supremam obtinet in Ecclesia potestatem, ut summus Christi Vicarius, & Petri successor, amplissimam habet omnium bonorum Ecclesiasticorum administrationem. Quare cum in iure dicitur, Pontificem plenam & liberam in beneficijs dispositionem habere, possitque ius ipsum relaxare in his quae ad beneficia pertinent; non intelligitur posse ius naturale, vel diuinum, si quod est in beneficijs, dissoluere, abrogare, vel mutare, sed quia fere innumera sunt de beneficijs iure scripto Canonico constituta; ideo dicitur Papa plene & libere posse de beneficijs statuere, scilicet in his omnibus, quae ius Canonicum circa beneficia constituit. Hinc est, ut Papa multorum beneficiorum conferendorum ius sibi reseruauerit: hinc etiam ille vna cum Ordinarijs vicinis siue alienis beneficia conferat: quae enim certis sex mensibus vacant, locorum Ordinarij residentes in suis Ecclesijs concedunt: quae vero alijs sex, ipse Romanus Pontifex conferat. Legatis quoque Cardinalibus de suo latere missis facultatem dat, ut possint beneficia in prouincijs ipsorum potestati commissis conferre. Hinc etiam est, ut beneficia antequam vacent, conferant Romani Pontifices, cap. 2. De praben. in 6. Vnde orta sunt Apostolicae litterae, quas vocant Expectatiuas, quibus ius ad beneficia vacatura conceditur. Hinc denique fit ut quamuis ius Canonicum statuerit ne beneficia diminuta conferantur, Pontifex tamen beneficia conferat reseruat fructibus, vel ex toto, vel ex parte, aut pensionibus impositis, & facultatem concedat eas redimendi, & in alium transferendi. Potest etiam concedere beneficia ad tempus. ca. Veniens. De filijs Presbytero. & sub conditione, ca. Pastoralis, q. 1. cum tamen non nisi iure communi in perpetuum & absolute conferantur. Commendat quoque Ecclesias & Beneficia in perpetuum, hoc est, ad vitam commendatarij & tamen iure communi solum ad tempus commendantur Ecclesijs. Potest item in beneficijs antequam datis, nouas pensiones imponere, antiquas augere. Et hinc etiam est, testis Hostiensis & Glossa, ut datum alicui beneficium possit adimere, & alteri conferre, & Clericum suo beneficio priuare: non quod id sine causa arbitrarij suo facere queat: sed ratum firmumque habeatur, si fecerit: quamvis faciendum peccauerit. In ijs enim quae iuris scripti sunt, potest quidem Papa peccare, si ea sine iusta & debita causa, vel ex toto, vel ex parte tollat: at ratum est & firmum quod facit.

Secundo queritur, Quo modo beneficium conferri iure debeat? Respondeo, iure communi esse conferendum pure, libere, palam, sine diminutione, & vacans, & in perpetuum, non ad tempus certum. Pure, hoc est sine pacto, conditione, aut modo: alioqui donatio beneficij simoniae labe polluitur. ca. Quam pio 1. quest. 2. c. Cum pridem, & vlt. De pactis. c. 2. De elect. in 6. Porro conditiones, quae Simoniam continent, ad quatuor contractus innominatos reduci queunt: ut si, cum Benef. conferretur, conventio fiat, Do ut des, Do ut facias, Facio ut facias, Facio ut des, commodum aliquod temporale, v. g. si Ordinarius dat beneficium alicui, eo pacto, ut mutuas ab eo pecunias accipiat, vel ut famulus ipsi gratis inseruiat.

Libere, hoc est, non per vim, c. 2. De ijs quae vi metusue causa fiunt. c. Ad aures, & c. pen. eo. tit. Ratio huius est, quia cum beneficium conferretur, liberaliter datur: Donatio per metum vel vim facta liberaliter non fit.

Palam, hoc est, praesentibus testibus, siue dignis. ca. Post cessionem, De probatio. Id autem ideo est, quia alioqui fraudes &

lites nascerentur: ut hoc igitur tantum incommodum deditur, non est clam beneficium conferendum.

Sine diminutione. c. 1. Vt Ecclesiastica beneficia. c. Materib. c. De Monachis. & c. Auaritia, De prab. Vnde non potest episcopus, vel Archiepiscopus vni beneficium conferre, & sibi ex eo, vel nepoti, vel famulo, vel amico, vel alteri certam retinere pensionem. c. Extirpanda, in fine. De prab. & c. Prohibemus, in fine, De censib. episcopus videm Beneficium alicui conferre nequit sibi fructus retinendo, c. 1. Vt ecclesiastica Beneficia.

Vacans. Nam Beneficium antequam vacet, siue dum Beneficiarius viuit, conferri alteri non potest, c. 1. De concess. Prab. & c. Eos. 7. q. 1. Immo nec alicui promitti. c. Nulla. De concess. prab. c. Relatum, c. Ex tenore. eo. 1.

In perpetuum. Quoniam Beneficium ad certum tempus dari non potest, sed ad totam eius cui conceditur, vitam, c. Percepta, dist. 55. c. Satis peruersum, dist. 56.

Tertio queritur, An Beneficium possit sub aliqua conditione conferri? Respondeo, in primis, si conditio iure ipsi inest Beneficio, tunc sicut Beneficium sub illa conditione tacite licite conceditur, ita etiam licite ea conditio exprimitur, ipsam Beneficij donationem non vitiat. Vt si Ordinarius Beneficium alicui conferat, si vacat, si is cui conferretur, capax & dignus est.

Haec enim conditiones tacite in beneficio continentur. Idem iuris est, si Ordinarius exigat a Beneficiario, ut iuret se beneficium petere, & accipere sine voluntate illud dimitteudi, aut se illud accipere animo & voluntate in ecclesia commorandi, & seruiendi, aut ipsi episcopo parendi: nam etiam conditiones iure communi beneficijs inhaerent. c. Significasti, De elect. & c. Significatum, De praben. & Glossa ibidem. Eadem ratio est de ceteris conditionibus, quae beneficijs insunt statuto, fundatione, institutione, consuetudine: ut si Ordinarius alicui conferat beneficium animarum curae coniunctum, ea conditione, ut aliud simile deponat, vel ut doceat, aut conciones factas ad populum habeat, vel poenitentium confessiones excipiat, si haec vel alia similia ipsum beneficium postulec.

Item beneficio vacanti, antequam alicui conferatur, potest episcopus onus aliquod imponere, ita ut ad quemcumque beneficium transeat, cum eo onere transeat.

Quarto queritur, An si Beneficium conferatur noctu, vel clam, subsistat, & vires habeat, quod fit? Respondeo, subsistere. Glossa in c. 1. Vt Ecclesiastica beneficia. Ioann. Selua De Beneficijs par. 3. q. 17. numer. 14. ex Abbate, Archiepiscopo, Imola, Gemiano, Felino, & alijs. Verum eiusmodi concessio haberi solet pro suspecta. c. 1. De officio Iudic. deleg. Nam contra clam dantes, vel benefacientes, vel iudicantes est iure suspicio, l. 1. a fidei. ff. De iure fidei, & l. Non existimo. ff. De administrat. tutelae. Ac proinde mulieres specie religionis in priuatis receptaculis habitantes, & viri clam conciones habentes, & conuenticula facientes fere suspecti habentur. Donationes igitur clam factae valent. l. 1. c. De dilationib. l. 10. At electiones clandestino factae non subsistunt. c. Quia propter. De elect. Vtu tamen curiae Romanae receptum est: ne etiam si beneficia ecclesiastica interditi, sed sine testibus conferantur, sit ratum & firmum, quod fit.

Quinto queritur, An si beneficium conferatur sine scriptura, valeat? Respondet Io. Selua De Beneficijs par. 3. q. 22. valere, quamvis scriptura sit opus, ut in iudicio collatum esse beneficium constet, ex Abbate, Archiepiscopo, Ioanne Andrea, Felino, & ex c. Institut. 35. q. 2. sciendum tamen est, haec iure communi, & antiquo locum habere, at ex Constitutione Bonifacij VIII. quae incipit, Intimata. & habetur inter Extrauagantes communes: De elect. qui Personatum, Dignitatem, vel aliquod aliud beneficium ecclesiasticum a Rom. Pont. impetrat, possessionem adipisci non potest, nec ab alijs recipi & admitti, nisi litteras Apostolicas collationem continentem obtineat: alioqui & collatio est irrita & inanis, & qui recipiunt, penas incurrunt ut alibi saepe diximus. Et alii Pontifices generatim idem

servandum esse voluerunt in ceteris beneficijs, quæ a Ro. Pont. impetrantur. Ceterum hoc locum habet in beneficijs à Rom. Pont. vel eius Legato impetratis, non in his quæ Ordinarij locorum inferiores conferunt.

Sexto quaeritur, An si beneficium conferatur disjunctim, aut coniunctim duobus, id quod sit, subsistat: Vt si episcopus dicat, Beneficium confero Titio, vel Caio, vel Titio simul & Caio? Respondet Glossa in ca. 2. De elect. in 6. vtrumque iure communi improbari: quoniam eo capite electio, vel postulatio sic facta, vt dubia & incerta reprobatur. Nam si primo modo conferatur, voluntas conferentis incerta & dubia redditur: cum tamen beneficij donatio, ex ipsa conferentis voluntate vim habeat: at secundo modo conferre, est iure Canonico interdictum: quia sic duo in eadem Ecclesia inscribi, siue eiusdem beneficij titulum habere iure non possunt. cap. Sicur. 7. q. 1. sciendum autem est, Beneficium cum vacat, posse iusta ex causa dividij, vt pote, si diu si beneficij redditus sufficiunt. cap. Vacante, & c. significatum, & c. Cum causa, De prob. Sunt enim tunc duo beneficia, in quibus duo Beneficiarij constituantur. Duo tamen Clerici ad vnum idemque beneficium eligi nequeunt, ita scilicet, vt vnus dimidiam partem, alter alteram accipiat, vel vnus vnam quantumcumque, alter alteram: vel vt vnus habeat ius in beneficio, alter vero ius ad illud, non in illo, c. Tua, & c. Dilectus, de proben.

Septimo quaeritur, An aliquando beneficium possit ad tempus, & non in perpetuum conferri? Respondeo, nihil esse dubitandum, Romanum Pontificem id posse. Glossa in cap. 2. De elect. communi consensu approbata, ceteris vero locorum Ordinarijs id non licet facere. Est tamen animaduertendum, quædam esse Beneficia dicta M. nualia, quæ videntur ad tempus concedi, eo quod auferri queunt ad nutum conferentium: ceterum hæc etiam benef. non dantur ad certum tempus, sed ad incertum, conferuntur enim, donec ab eis benef. is qui confert, beneficiarios amouerit. Tempus autem incertum, pro perpetuo quodammodo habetur: nam is qui Benef. contulit, licet nutu suo illud possit adimere: aliquando tamen beneficium, dum vivit, Ecclesiam, seu beneficium habere permittit.

Octavo quaeritur, An possit aliquando loci Ordinarius ius ad Benef. vacaturum concedere? Respondeo, in Concil. Lateran. vt refertur, ca. Nulla, De concess. prob. sic esse constitutum: Nulla Ecclesiastica ministeria, seu etiam Benef. Ecclesia tribuantur alicui, seu promittantur ante quam vacent: ne desiderare que mori proximo videatur, in cuius locum & Benef. se crediturum successurum. Cum enim in ipsis etiam legibus Gentilium inueniatur inobitium, turpe est, & diuini pleni animaduersor e iudicij, si locum in Ecclesia de futura successione expectatio habeat, quem ipsi etiam Gentiles condemnare curauerunt. Et in c. Relatum est, & c. Ex tenore, de concess. prob. constat donationes beneficij vacaturi, vel eius conferendi promissiones esse irritas & inanes.

Nono quaeritur, Sit ne certum tempus iure præscriptum, intra quod debeat Benef. eum vacauerit, conferri? Respondeo, in præd. ca. Nulla, de concess. prob. decretum esse ne diu maneat Benef. suspensa, cum vacauerint, sed intra sex menses Cler. qui digne ministrare queant, conferantur.

Decimo quaeritur, A quo die præfatum sex mensium tempus incipiat computari? Respondeo cum Glossa ibidem, verb. Intra sex menses, ab omnibus approbata, computandum esse non à die, quo benefic. vacauerit: sed ab eo die, quo habita est notitia benefic. vacantis, quod inuenitur in c. Quia diuersitatem, De concess. prob. Statim igitur vt is, cuius est beneficium conferre, certior est factus de Benef. vacante, debet intra sex mensium spatium conferre. At vt constat ex eo, c. Quia diuersitatem, hoc tempus non computatur, quamdiu is, ad quem Benef. conferendi ius pertinet, est impeditus quo minus conferat, siue impedimentum sit facti, siue iuris: vt si fuerit suspensionis, interdicti, excommunicationis senten. vel vinculo obstrictus. Præterea illud (vt mensium tempus) locum habet solum in benef. quæ si-

ne elect. vel presentat. conferuntur: secus est de ijs dignit. maior. cuiusmodi sunt Pontificis, Episcopales, Prioratus, Abbatia, quæ per electionem conceduntur, vt dicitur in c. Dilectus, De concess. prob. quamuis ibidem etiam dicatur locum habere in Personatibus & minoribus Ecclesiastic. benef. Locum item nullum habet in benef. quæ iuripatre subiecta, nominatione à Patrono præmissa, per institutionem à locorum Ordinarijs dantur. Iura certum tempus statuerunt, intra quod Patroni nominare, & Collegia Cleric. eligere cogantur: nullum tamen certum tempus præstituerunt, intra quod Ordinarij nominatos instituerent, vel electos confirmare debeant, satis enim esse censuerunt, si certum tempus præfigeretur, intra quod Patroni nominare, & Collegia eligere compellantur. Nam instituire nominatum vel electum confirmare, consensum Ordinarij, vel superioris naturali iure compellitur. Instituire enim & confirmare, necessitatis est: conferre, eligere, nominare, voluntatis.

Vndecimo quaeritur, Quibus debeat locis Ordinarius Benef. conferre? Respondeo, Clericis, ijsque dignis & idoneis nullo Canonico impedimento detentis, de quibus impedimentis supra dixi suo loco, Alioqui si beneficium concedat indigno & immerito, hoc est, legitimam ætatem, vel naturalem originem, vel litteraturam, & vitæ notumque probitatem non habenti, vel aliter impedito, irritum est & inane, quod facit.

Duo decimo quaeritur, An lethaler peccerit, si cuius est conferre benefic. digniore præterito, minus digno conferat. Constante omnes affirmant, eum lethaler peccare si benefic. sit Parochiale, vel quomodocunque animarum curæ coniunctum. Secus vero esse quidam asserunt, si benefic. minor, hoc est, simplicia fuerint. Alexand. p. 1. q. 119. nu. 2. ar. 3. Ang. elect. n. 21. Gab. 2. d. 15. q. 7. ar. 3. dub. 1. prop. 2. qui quamuis de elect. loquantur, idem tamen dicerent de ijs, qui benefic. conferunt. Mihi autem magis eorum probatur opinio, qui censent, vt Silu. in verb. Elect. q. 16. qui etiam loquitur de Electoribus, sed idem diceret de ijs, quorum est conferre benefic. in quibusvis benefic. conferendis digniore esse præferendum, alioqui enim Ecclesie minus fidei est procurator siue administrator is qui conferret minus digno. Hoc tamen sic est accipiendum: quando scilicet duo, dignior & minus dignus occurrunt, vel competitoris apparent, aut facile reperiri queunt. Alioqui enim si dignus adsit, & dignior facile commode haberi non possit, satis est meo iudicio, si digno Benef. conferatur.

XIII. quaeritur, An si Ordinarius sciens benefic. indigno conferat, ita sit irritum quod facit, vt ius conferendi eum ad alium superiorem de uolua: ut Hanc q. tract. in c. cum in curia, §. Clerici sane, n. 5. de elect. & ait, quorundam esse sententiam, non esse ipso iure irritam, sed rescindendam quod sit: eo quod in c. Quamquam De elect. in 6. solum hæc pena irrogatur ijs, qui scientes eligunt indignum, non ijs, qui conferunt in prædicto ca. Cum in curia, solum statuitur, vt is qui sciens confert indigno potestatem conferendi amittat: quod idem est, ac si diceretur, conferendi potestate priuetur. Verior tamen est Abbatis opinio, ipso iure esse irritum, & inane quod Ordinarius facit, & ius conferendi ad Superiorem deuolui. Idem enim videtur esse ius de eligentibus, quod de conferentibus. Nec impedit quod in c. Cum in curia dictum sit, Potestatem amittat. Hoc enim verbum vim habet, quod verb. Ex communicationi subiaceat. Vtrumque significat potestatem ipso iure irrogatam, non irrogandam.

XIV. quaeritur, Quid dicendum sit, de iure quo antiquior Benef. in aliqua Ecclesia, optat sibi, & accipit benefic. maius & pinguius, cum vacat? Respondeo, in c. Cum in curia, De consuet. in 6. Approbatæ consuetudo, quæ antiquiores Canonici gradatim, meliores si voluerint, possunt, cum vacant per se, vel per alium optatæ præb. Dicitur, Antiquiores, hoc est, vbi ait Glossa, non ætate, sed tempore, quo in Ecclesia sunt Canonici. Dicitur, Gradatim, hoc est, vt

primo antiquior mutare possit Canoniam suam prae-
bendam, quod si ille mutare noluerit, possit mutare se-
cundus, & nolente secundo, tertius, & sic de sing. Ioan.
Andr. *de Gloss. ibid.* Hæc consuetudo, ut ait *Glossa*, innititur
æquitati, & iuri Canonico, ut colligi potest, ex c. *Quid prode-*
rit. d. 61. de Episcopum. d. 24.

Porro optari non possunt Benef. referuata, ut notatur in
additionib. *de Res. Rotæ. 23. in nouis*, nec Benef. quæ vacant per
relegationem factam causa permutationis, ut *ibidem di-*
citur. Anbar. de ver. permus. c. Quæstium. q. ult. habet tamen
locum Benef. ad Summam Pontificem ex negligentia
collatorum iure deuoluto delatum. Ioan. Andr. in c. *Cum in*
tra. de consuet. in 6. quod tamen non admitteretur, si Bene-
f. vacaret in curia Rom. *decis. Rotæ. 296. in nouis*, vel si o-
ptandi consuetudo derog. per clausulam mandati Aposto-
lici, de prouidendo. *Rotæ in decis. 300. in Nouis, & decis. 219.*
in Antiquis.

CAP. XXVII.

De Deuolutione, hoc est, de iure Beneficia conferendi,
quod tanquam caducum ad Superiorem
deuoluitur.

NVllus extat in Iure titulus, De Deuolut. De ea tract.
Rebus. *in Praxi Benef. post regulam Cancellariae, De vo-*
rsimilit. notitia. tit. de Deuolutione. Sciendum est sæpe con-
tingere, vt qui ius habent creandi & instituendi Ecclesie
ministros, negligentiores sint in eare, quam par sit: ac
propterea æquum fuit tanto malo & incommodo ido-
neum aliquod remedium adhibere. Itaq; Pontificijs de-
cretis certum tempus definitum est, intra quod si Ecclesie
vacanti consulum non fuerit, statim id ius tanquam ca-
ducum ad Superiores Antecessores transferretur; & hoc ius ita
ad Superiores translaturum, Canones & leges deuolutum
appellant. Eadem quoque ratione qua veteres Iuriscons.
caducam dorem, caducum legatum, caducam heredita-
tem, caduca bona vocarunt, *h. item veniunt. ff. De pet. ha-*
red. l. Si quis off. d. Dote. ff. De ritu nupt. l. Prox. ff. De ijs, quæ in
testam. debentur. l. Cum test. ff. De Senatuscons. Sillariano. l. 2. ff.
Si quis aliquem testari prohib. Ita vt ius deuolutum, hoc est,
ad Superiores, vel alios translaturum, dictum esse videatur.
l. Pupul. ff. De solut. l. Ad h. ff. De actione verum annota. infra-
dem. ff. De iure sisc. l. Denique. ff. Quod vi, aut clam. l. Si quis
sub condit. ff. De test. tunc. Sicut olim a veteribus Iuriscons.
litis hereditas, tutela, dominium, bona, ad aliquos deu-
olui dicebantur.

Primo quæritur, quid veniat voce deuolut. in iure, cum
Benef. per deuolut. conferti dicuntur? Respondeo, quan-
do cunq; Benef. intra certum temporis spatium Iure præ-
scriptum non conceditur, & propterea ad alium transla-
tum est ius illud conferendi, dicitur per deuolutionem
pertinere ad eum, ad quem translaturum est. Quares cur
Ecclesia ius deuolutum introduxit? Respondeo, ob id:
ne Ecclesie & Benef. diutius a quo & debito vacarent, & ne
ob diuinam vacationem, damna & incommoda pate-
rentur. c. *Quam sit. De elect. in sexto.* Est idem ratio in-
troducendum in poenam delicti: scilicet, vt eorum negligen-
tia puniretur, quia Benef. non darent, quæ intra certum
temporis terminum conferre deberent.

Secundo quæritur, quando & ad quos in elect. ius elig.
Ecclesiarum Prefectos deuoluatur? Respondeo, olim cum
Episcopi ac ceteri eis Superiores à collegijs Canonico-
rum eligebantur, debebant Canonici intra tres menses
aliquem eligere: alioqui ius eligendi & creandi Episco-
pum, ad proximum Superiorem deuoluatur, nimirum
ad Archiepiscopum, & ab eo ad Superiorem videlicet Pri-
matem, atque ita gradatim ad ipsum Papam. c. *Ne pro de-*
fectu. De elect. & idem iuris est de cæteris Regular. præpo-
sitis, qui per electionem creantur, ut ibidem habetur. Si
tamen Episcopi ab Archiepiscoporum iurisdic. exempti,
Papæ proxime subijciantur: Electionem Canonice diu-

differentibus, ius statim deuoluitur ad Papam, c. *Licit. &*
c. Sicut. De suppl. neglig. Præb. Sic etiam in præfecturis & a-
lij dignit. regul. exemptis per electio. dari consuevit, ius
conferendi deuoluitur statim ad Papam. *Clemen. 1. De*
suppl. neglig. Præb. c. Cum singuli ad finem. De præb. in 6. Cæ-
tera offic. vel Benef. personatus, vel Dignitates, vel Præb.
Eccle. intra sex mensium spatium computandum à die va-
cationis, seu notitiæ devacat. habitæ, conferti debent, c.
Nulla. De concess. Præb. alioqui si non conferantur, ius ad
alium deuoluitur. Hoc autem sic locum habet, cum ius
ad alium deuoluitur, ob negligentiam eorum, qui elige-
re, vel conferre, aut nominare deberent, aut ob delictum
aliud, vtputa elegerunt indignum, aut non fecerunt for-
mulam contentam in c. *Quia propter. De elect. Nam tunc aut*
omnes peccauerunt, aut aliqui tantum eorum. Si pri-
imum, deuoluitur ius ad Romanum Pontificem, non ad
prox. super c. Quamquam, De elect. in 6. Abb. & alij in c. Bo-
na. 1. De elect. Si secundum, tunc ius eligendi penes cæte-
ros manet, nec ad Superiorem deuoluitur: velut cum col-
lat. Benefic. ad Episcopum communiter, & Colleg. Can-
onic. spectat: tunc Episcopo aut negligente, aut mor-
tuo, aut suspenso, aut ab officio & munere deiecto & a-
motio, ius conferendi ad collegium pertinet, cap. Nulla. De
concess. præb. c. cap. 1. Ne sede vacan. in 6. Similiter etiam
Cap. alio modo à conferendo impedito, ius eligendi pe-
nes ipsum Episcopum manet, vt in eisdem capitibus dicitur.
Hoc autem locum habet, quando Benef. concessio
iure ordinatio communiter ad Episcopum & Collegium
pertinet, non item quando pertinet iure deuoluto, vt g. si
iure deuoluto conferendi potestas ad Episcopum spectet,
vtputa, quia Ordinarius inferior, cuius est conferre, neg-
ligens fuit, aut mortuus, aut suspenus aut ab officio re-
motus: tunc etiam si negligens fuerit in conferendo Epi-
scopus, non deuoluitur ius conferendi, ad Colleg. Can-
onic. sed ad Superiorem Antistitem. *Sic Innocentius, quem*
sequitur Ioannes Andreas: sic etiam Abb. in c. Cum in cunctis.
§. Cler. sane, num. 5. De elect. Ratio differentie est, quod ius
noluit patem esse communionem inter Episcopum, &
collegium in Benef. ad ipsum Episcopum deuolutis ob in-
ferioris Ordinarij negligentiam, vel delictum, & in Be-
nef. ad ipsum Episcopum, & Collegium iure proprio per-
tinentibus. Nam in deuolutis, Episcopus vtitur potesta-
te, tanquam superior eo, ob cuius negligentiam deuolu-
tum est Beneficium ad ipsum Episcopum: ac ideo Colle-
gium ius non habet, tamen Episcopus per ius deuolutum
conferre neglexit: ac propterea, merito ad Superiorem
Antistitem res tota deuoluitur, in Benef. vero, quæ iure
proprio ad Episcopum, & Colleg. Canonic. spectant, si
negligens fuerit in conferendo, ius conferendi ad ipsum
Collegium deuoluitur: quia Episcopus & Collegium Can-
onicorum vnum veluti corpus efficiunt: Ita Panorm. loco
citato.

Tertio quæritur, An quando Episcopus solum habet
ius conferendi, non autem instituendi, vel confirmandi
& sciens confirmat, vel instituit indignum, ius confirman-
di, vel instituendi, ad Colleg. Canonic. deuoluatur, An
vero potius ad Superiorem Antistitem? Innocentius in
cap. *Cum in cunctis, De elect.* duas recenset opiniones; v-
nam quæ affirmat, ad Colleg. deuolui, alteram, quæ ad
Superiorem, non ad Colleg. pertinere contendit: & hæc
iphi Innocentio magis placuit, quia Episcopus confir-
mat, vel instituit vt Superior, ergo si potestas confirm. in-
stituend. ob eius delictum, ad alium transit, ad Superio-
rem, non ad Collegium transfertur. Sed Abbati, in cap.
Cum in cunctis, De elect. sicut & mihi magis probatur pri-
ma sententia, videlicet ad ipsum Collegium, confirman-
di, vel instituendi ius deuolui: quod ex eo probat, quia in
cap. *Cum in cunctis*, aperte dicitur: *Episcopus autem si contra*
hoc fecerit, aut consenserit fieri, potestatem amittat, & per Ca-
pitulum ordinetur. Vbi duo aperte distinguuntur: nimirum,
fecerit, aut consenserit. Primum verbum, locum habet in
Benefic. quorum donatio ad Episcopum spectat: secundum,

in Benefic. que Episcopus non confert, sed vel confirmando, vel instituendo concedit. Et ita delinquit, sciens indignum confirmando, vel instituendo: Confert enim Patrono indignum nominanti, aut Canonico indignum eligenti. Sic etiam Gloss. hunc locum interpretatur. Nec bene Innocentius exponit verbum *consenserit*, scilicet, quando Episcopus electionem interfuit, vt Canonic. non vt superior: quod Abbas merito confutat, tunc enim non deuolueretur ius eligendi ad collegium, sed ad ipsummet Episcopum, siquidem non peccauit, vt Episcopus, sed vt Canonicus & priuatus, *e. Postulatis. De concess. prob. & c. A colla. De Appell. in 6.* Ergo quoties Episcopus potestatem amittit conferendi, constituitur, vel instituit, semper ius ad Collegium deuoluitur: preterquam in Benefic. ad ipsum Episcopum deuoluitur, ob negligentiam, vel delictum inferioris Ordinarij.

Quarto queritur, Quando & ad quem ius conferendi Benef. deuoluitur ob neglig. vel delictum Ordinarij Episcopo inferioris? Respondeo, ad ipsum Episcopum, nisi consuetudo, vel priuileg. aliter possit. *C. m. 1. De suppl. neg. Pral.* Et tunc potestas conferendi deuoluitur ad Episcopum loci, ubi situm est Benef.

Quinto queritur, cum Patronus in tra temporis meam iure prefixam non nominat, nec offert, ad quem deuoluatur ius benef. conferendi? Respondeo, si Patronus Laicus intra quatuor menses, vel ecclesiast. intra sex nominare Cleric. & offerre neglexerit, tunc Ordinarius, ad quem institutio pertinet, ius habet liberum, confer. benef. *C. cum propter & c. Cum te. De iurapat.* in Gallia tamen, ubi Rex habet ius nominandi Episcopos, Abb. & Prior. Regul. cenobiorum, etiam si intra sex menses non nominauerit idoneum & dignum, habet adhuc tres alios menses ad nominandum: alioqui ius deuenit ad ipsum Papam. Sic in concordia inter Leonem X. & Franciscum primum Regem Francie.

Sexto queritur, An is, cuius est non iure proprio, sed deuoluta conferre Benef. si antequam ad eum potestas deuoluatur, Benef. conferat, legitime concedat, ita vt sit ratum & firmum quod agit? Respondeo, minime: quia antequam ius conferendi ad ipsum deueniat, nullam habet potestatem in Benef. illo conferendo, nec si antea contulerit, concessio siue donat. postea conualescit: sed necesse est vt postquam ad ipsum est ius deuolutum, de nouo conferat. Sic omnes opinantur in *c. 2. De prob. in 6. teste Reb. loco cit. n. 31.*

Septimo queritur, An quando concess. seu don. Benef. non est effectum sortita, aut quia is, cui est Benef. collatum, consensum non prestiterit, aut quia post consensum se iure suo abdicauit, aut quia diem suum obiit, aut quia elect. fact. est irrita ob aliquod vitium occultum: tunc potestas conferendi redeat ad eum, ad quem conferendi ius peccinebat, ita vt de nouo habeat liberum totum tempus, quod est ad conferendum iure preceptum, ac si de nouo Benef. vacasset? Respondeo, in *c. Si elect. De elect. in 6.* sic esse statutum: *Si elect. ex eo non sortitur effectum, quia electus consensum recusat, vel post consensum renuntiat iuri suo, aut forte diem claudit extremum, seu propter occultum eius vitium irritatur, electores qui iam fecerant quod spectabat ad ipsos, intra iuris terminam eligendo, habebunt a dissensu, renuntiatione, morte, vel irritat. predicta ac si vacatio noua esset, tempus integrum ad elect. aliam celebrandam a domino nihil fraudulenter egerint in premissis.* Hinc ibi. Quo loco Gloss. in verbo *aliam* notauit, idem ius esse in 3. & 4. elect. & in alijs, si fiat, quando 3. vel 4. dissentit, vel iure suo cedit, vel moritur, vel ob occultum vitium elect. rescinditur. *Et in verbo fraudulenter dicit, fraudem esse Canonic. si vlt. die trium mensium inter se conuenerint, vt eligant Titium, quem dissensurum nouerant: Vt sic a die dissensu adhuc haberent tres menses ad Episcopum eligendum, vel electo, alij quicumque fuerint, si etiam conuenerint in Personaribus vel inferioribus Benef. eligendis, vt vltim. sex mensium die Benef. conferret ei, quem statim dissensurum*

cognouerant, vt alios sex menses haberent ad conferendum. Hinc, inquit Gloss., per fraudem facta non valent. Quare, An huiusmodi decretum solum habeat locum in his, qui iure proprio eligunt vel conferunt? An etiam in his, qui iure deuoluto id potestatis habent? Gloss. ibid. in verbo (*integrum*) duas sententias refert: vnam affirmanti- um, solum habere locum in primis, que sentent. Bernar. est. Tancr. & Hosti. alteram dicentium etiam locum habere, cum Benef. iure deuoluto conferuntur cuius opinionis est Goffr. Attamen prior opinio verior, vt ait Gloss., videtur. Vnde si Archiepiscopus, ad quem iure deuoluto spectat eligere, eligit, & electus dissentit, vel se suo iure spoliat, vel moritur, vel eius electio ob occultum vitium dissoluitur, ad Canonicorum Collegium pertinebit electio, non ad Archiepiscopum, ad quem est ius deuolutum.

Octauo queritur, An cum ob negligentiam, vel delictum alicuius ius conferendi beneficium ad alium deuoluitur, transeat, cum ijs omnibus conditionibus quas habet? Respondeo, transire, quia res cum sua causa, actione & iure transfertur, *l. Alienatio ff. De contrah. emptio. l. Traditio ff. de acquir. rerum domin. & is qui substituitur furioso alicuique substituitur: quoque debet eos, quos furiosus, si mentis compos fuisset, instituisset. l. Humanitatis. C. De impube. & alijs substitutio. Item, id, quod in alterius locum substituitur, subie conditionem & naturam eius, cui sufficitur. l. 1. De solut. & l. Si cum, §. Qui in iurarijs. ff. Si quis caution. iud.* Quapropter si Episcopus alicui nominato conferre debebat, ita etiam Archiepiscopus, ad quem ius deuoluitur, etiam conferre debet. Item si quis conferre debet alicui ex certa familia, vel gente, vel loco, is etiam, ad quem ius est deuolutum, ei conferre ipso iure compellitur. Vnde Romanus in singularibus, *l. singulari 494. ait: Si executori est prefixa meta distribuendi aliquam in certas personas danda negligentia, Episcopus debet illud in eisdem personas diuidere.*

Nono queritur, An Sede vacante Collegium Canonicorum possit conferre beneficia ad Episcopum deuoluta? Io. Andr. in *c. Quauquam, De elect. in 6.* sentit, quando eumque ob negligentiam inferioris Ordinarij, ius conferendi, vel eligendi ad Episcopum, Sede vacante, deuoluitur, transit ad ipsum Collegium Canonicorum: quamuis, inquit, ius proprium conferendi quod habet Episcopus, non deueniat ad Collegium Sede vacante, quia (videm antea) ait, potestas in his, que iure deuoluto ad Episcopum pertinet, est iurisdictionis: sed que iurisd. & sunt ad Collegium, Sede vacante transferuntur, *c. Cum olim, de mai. & obidien. A beneficia, inquit conferre, non est iurisdictionis episcopalis, cum multis preter Episcopos ius habeant conferendi. Sed profecto, longe verius est, quod sentit Io. an. Mon. *ch. in prad. c. Quauquam. & Abbas in c. Cum olim. De Maiorita. & obed. nu. 2. & Felinus ibidem, potestatem Benef. conferendi ad Episcopum deuolutam Sede vacante, ad Collegium Canonicorum non transire: quia eadem est ratio de beneficijs, quorum collatio ad Episcopum pertinet iure deuoluto, que de ijs, que ad ipsum iure proprio spectant. Is enim qui conferre beneficium, donat liberaliter cui vult, ac propterea noluit ius, vt hec potestas Sede vacante, ad Collegium transiret, sed Episcopo successori reseruaretur, vt quibus vellet ille, Beneficium concederet. Item conferre beneficia, inter fructus beneficij computatur. At potestas statendi de fructibus beneficij minime ad Collegium transit: neque enim succedit in fructibus & honoribus Episcopi. Hinc est, vt ius confirmandi & instituendi, non tamen conferendi ad Collegium Sede vacante deuoluitur. *c. 2. De concess. prob. & c. 1. Ne Sede vacante in 6.* quoniam confirmare & instituere, est necessitatis, conferre vero, voluntatis. Confirmatio vel institutio non est donatio, cum ea sit necessaria & debita, si electus vel nominatus fuerit idoneus, *c. Postquam, De elect. & c. De persona. d. 63.***

Decimo queritur, An quando iure deuoluto habet quis potesta-

potestatem conferendi, tantundem temporis habeat, intra quod conferre queat, quantum haberet is, qui iure proprio alioqui conferret? Respondeo, habere: quare si ius conferendi beneficia inferiora ob negligentiam, vel delictum alicuius deuoluitur ad alium, liberam habet potestatem conferendi intra sex menses computandos non à die, quo ad ipsam deuolutum est ius, sed à die, quo de hoc iure ad se deuoluto certior est factus, Sic Lambertinus, De Iurepar. lib. 2. par. 5. q. 2. ar. 8. ex Ioan. Andr. Paulo, Abbate, Rocho, & alijs, quos ille citat.

Vndecimo quaeritur, An quando ob negligentiam Patroni Laici in nominando ius liberum instituendi ad Ordinarium deuoluitur, debeat ipse Ordinarius instituere intra quatuor mensium spatium? Ex vna parte videtur id fieri debere, quia intra quatuor menses liberum erat Patrono Laico nominare, sed Ordinarius ad quem est ius deuolutum, succedit in iure quod Patronus habebat: ergo liberum est ei intra quatuor menses instituere.

Ex altera parte videtur magis cum iure congruere, vt Ordinario sit libera potestas instituendi intra sex menses, quos alioqui habet quilibet Ordinarius ad inferiora beneficia conferenda: quoniam ius mutari solet mutata personae conditione. Ergo licet Patronus Laicus habeat tantum quatuor menses ad nominandum, Ordinarius iure ad ipsum deuoluto sex habebit instar ceterorum Ordinariorum. Duae in hac re inuenio sententias. Vnam asserentem, Ordinario tantum quatuor menses assignari, quos Laicus patronus habebat: Alteram affirmantem liberum esse Ordinario, intra sex menses instituere & conferre, quos menses ceteri quoque Ordinarii habent. Sic Lambertinus loco citato ex Paulo, Rocho, & Andrea ab eo productis: & haec mihi placet.

Duodecimo quaeritur, An quando ius conferendi beneficium ad plures superiores gradatim deuoluitur, eorum quilibet sex menses habeat, intra quos iure ad se deuoluto conferre queat: An vero eos sex menses solus habeat proximus superior, ad quem primo ius est deuolutum? Respondeo, eorum cuiuslibet sex menses assignari. Sic Lambertinus ex Paulo & alijs loco citato: exempli gratia, quia Episcopus beneficium intra sex menses conferre neglexit, ad Archiepiscopum deuolutum est ius, cui similiter sex menses assignantur, intra quos conferre possit: quod nisi fecerit, ius ad Primatem, siue Patriarcham deuoluitur, si illi subijcitur, & Primas à die, quo de iure ad se deuoluto certior est factus, habet alios sex menses, intra quos conferre debeat: quo non conferente, ius ad ipsum Papam deuoluitur: qui intra sex menses, vel intra plures, si ipse voluerit, cum non sit iure communi constitutus, libere potest conferre. Hinc fit, vt iure ob negligentiam, vel delictum eorum, quorum est Benef. conferre, ad plures identidem deuoluto, contingere queat, vt Ecclesia ad vnum annum, imo etiam duos suo rectore vel ministro debito destituatur: quo tempore Episcopus si Parochialis sit Ecclesia, vel animarum curae coniuncta, Clerico idoneo commendare debet ad sex menses semel & iterum, tertio & quarto si opus sit, qui eam tanquam custos, pastor, vel curator administret.

Decimo tertio quaeritur, An quando quis impetrat Benef. iure deuoluto, declarare debeat modum, quo Benef. vacauit? Respondit Rebus. loco citato, n. 105. debere: alioqui impetratio, tanquam irrita dissoluetur.

Decimo quarto quaeritur, An quando à Papa vel Archiepiscopo, vel Episcopo iure deuoluto Benef. conceditur, & concessio non valuit ob aliquod impedimentum Canonicum, v.g. quia is, cui est collatum vel irregularitate, vel sententia, & vinc. excommun. obstaculus erat, vel quia legitima aetate, vel natalium origine carebat: ius conferendi redeat ad inferiores Ordinarios, ad quos iure proprio pertinebat? Respondit Ioan. Selua de Benefic. p. 3. q. 3. redire. Imo generatim ait id locum habere: praeter quam si Benef. eo ipso quo Papa semel contulit, reservatur, aut assignatur: tunc enim inferiores Ordinarii conferre neque-

unt, quia de beneficijs iuri Papae reservatis, vel ipsius auctoritate affectis, statuere iure non possunt, vt inferius dicemus c. 35. q. 1.

Decimo quinto quaeritur, Quid dicendum sit, quando Episcopus, antequam esset ius deuolutum ad ipsum, iure deuoluto contulit, cum tamen ignorasset se posse alioqui illud proprio iure concedere? Respondit Rebus. loco cit. n. 52. non valere, quia quod noluit, potuit, & quod voluit, implere nequit. cap. Cum super, de offic. delegat. & l. Mul-tum. C. Si quis alteri, vel sibi. Alijs tamen oppositum magis placet: quia si non fecit quod voluit, fecit certe quod potuit.

XVI. quaeritur, An elapso conferendi tempore, Ordinarius possit conferre purgando moram? Respondeo, minime, quia ipso iure conferendi potestas ad alium deuoluitur: & ideo adeptio beneficii nequaquam iure subsistit, etiam si die proxime sequenti sex menses modo supra explicato in c. 26. q. 10. Ordinarius contulisset Glo. in cap. 2. de concess. praeb. Et Card. in Clem. Si de Benef. de praeb. Nam quamuis alioqui possit quis moram iure purgare. c. Potuit, de locato, & l. Si post tres, ff. Si quis cautionem. & l. Si insula, ff. de verb. obl. Sed in praesenti negotio, mora purgari non potest, quia quando tempus in constit. vel lege certum apponitur, ad rei substantiam & formam pertinere videtur. Authen. Qua supplicatio. C. de precib. Imperat. offerend. & l. Scire oportet. §. consequentes. ff. De administr. tucl. Quares, An superior, ad quem ius deuolutum est, inferiori ordinario, qui intra legitimum tempus conferre neglexit, concedere queat plus temporis, quam fuerat lege praescrip. v. g. Archiepisc. Episc. iure deuoluto potest beneficium conferre, quia intra sex menses concedendum, minime curauit. Quaeritur, An Archiepisc. concessa possit Episc. illud conferre post sex menses? Respondit Rebus. loc. cit. n. 30. eum posse, quia non iure proprio confert Episc. sed iure, quod est ad Archiepisc. deuolutum: ius enim suum Archiepiscopus Episc. tribuit.

XVII. quaeritur, An possit Episcopus iusta ex causa certam temporis metam inferiori ordinario praesigere, intra quam conferre debeat, quum non est iure communi constituta, alioqui nisi contulerit, ad Episcopum collatio pertineat? Respondit etiam Rebus. n. 33. ex Abb. in c. Cum Ecclesia de elect. posse: dummodo tamen terminatio iure praescripto ordinarium inferiori non spoliat. Nam priuilegiu alicui communi iure concessum auferre Episcopus non potest. c. Indultum. de reg. iur. in 6. Quare quod diximus, solum locum habet in his, in quibus nullus est lege certus terminus constitutus.

XVIII. quaeritur, An cum beneficium superior Antistes iure deuoluto conferre potest, illud cum altero coniungere queat? Hinc quae prox. seq. faciemus scire.

CAP. XXVIII.

De vnione, seu coniunctione Ecclesiarum, vel Beneficiorum.

NVllus extat in iure tit. De coniunct. seu vnione ecclesiarum: extat regula Cancellariae 13. De vnionibus. Genus quoddam beneficia acquirendi vitarum est, cum videlicet beneficio quod quis habet, aliud adiungitur, adijcitur, & coniungitur. Nam etsi Canones prohibent, quominus quis duo plurave beneficia simul possideat, cum tamen vnum alteri connectitur, conceditur vt vtrumque possideri queat. De vnionibus edidit libellum Ioan. Baptista Caccialupus, & alium Petrus Perusinus. Egit etiam Rebus. in sua Praxi Benefic. p. 1. tit. de vnion. Benef. & Mandosus in reg. 13. Cancellariae, & in Praxi Signat. Gratia, in verb. Vniones. Tractauit Glof. in c. 1. Ne Sede vacante, & ibidem ceteri: alij vero in cap. Sicut vnire, de excess. Pralator & Clem. 1. de reb. Eccles. non alien. & Clem. Ne in agro. De statu Monachorum.

Primo quaeritur, Quid sit vnio, siue coniunctio Ecclesiarum

harum, vel Beneficiorum? Respondeo, hoc esse: cum dux Ecclesie, vel Beneficia legitima Superioris auctoritate conuectantur in perpetuum, vel ad tempus, ob Ecclesiarum necessitatem, vel utilitatem. *ex c. Sicut vnire De excess. Pralat. & quando fit vnus, Ecclesia in proprietatem conuerti solet. c. Cura de iurepar. Rebus. n. 1.*

Secundo queritur, Quot modis fieri possit Ecclesiarum conuinctio? Hostiensis in *summa tit. Ne Sede vacante aliquid innotetur, vers. quos modis fiat.* quinque modos enumerat: quoniam Abbas alijque in c. 1. *Ne Sede vacante* sequuntur. Sed *Glo. in c. Et temporis. 16. q. 1. §. 2. Ne Sede vacante*, tres tantum recenset. Primus modus est: cum ita coniungitur Ecclesie, vt in vnum quasi corpus minime confundantur, & coalescant, sed vt vna sit superior & principalis, altera vero inferior & subiecta, & propterea ad alteram accedens & ipsi adhaerens: Et tunc in inferiore Vicarius, qui munus & officium obeat, constitui solet. *c. Extirpanda. §. Qui vero. De prab.* Alter modus est, cum dux Ecclesie in vnum veluti corpus coalescant, ita vt vna Ecclesia, vnum beneficium, & vnum ministerium, non duo esse, vel dici queant, vt in *summa tit. c. Decimas. 16. q. 1.* Tertius modus est, cum neutra Ecclesia alteri subijcitur, nec ambæ in vnum veluti corpus coguntur, sed suum vitium, & honorem gradum tenent: ac propterea idem minister varique praestatur, *c. 1. Ne Sede vacante. §. ca. Et temporis. 16. q. 1. §. c. Monaster. de relig. domib. §. c. Postquam. 16. q. 1.* Cum vero duæ Ecclesie in vnum veluti corpus colliguntur, Canonici, inquit *Glo. loco supra citato in vna, sunt quoque Canonici in altera. §. vtrig. ius habent Episcopum eligendi, §. negocia communiter exponendi.* At vero huiusmodi conuinctio duobus etiam modis fieri potest. Aut enim ambæ in vnum corpus confunduntur, aut vna alteri accedit & annectitur: & tunc hæc quæ alteri adhaeret, alterius naturam, consuetudines & priuilegia acquirit. *cap. Reuelentes de statu Monach. §. ult.* Quare si exempta Ecclesia alteri quæ non est exempta, coniungitur, libertatem amittit. Et è contrario. Item si Ecclesia secularis Regulari connectitur, fit quoque Regularis. Cum simul autem ita connectuntur, vt vnum veluti corpus efficiant: tunc consuetudines & priuilegia, quæ meliora sunt & humaniora in vna, in altera quoque retinentur. Sicut cum Imperator coniungit actionem bonæ fidei, & stricti iuris, quæ meliora sunt in vna actione, communicantur cum altera. *l. vna. C. De rei uxoria actione.* Et cum a Legato & Fideicommissi colligantur, id quod humanius erat in vna, tum in altera retinetur. *l. 2. ad fi. C. Communia de Legatis.* Quando vero tertio modo duæ Ecclesie coniunguntur, si sint v. g. episcopatus, manent duæ: tamen tamen episcopus est vtriusque Ecclesie: ac propterea si illæ Ecclesie diuersis fuerant Metropolitanis subiectæ, quamuis connectantur, neuter Metropolitanus ius suum amittit. *Hæc Glossa in ca. Nonit ille. Ne Sede vacante. §. c. Et temporis. 16. q. 1.*

Tertio queritur, An aliqua alia sit beneficiorum conuinctio, quæ non sit causa Ecclesie, quæ vnitur, sed solum gratia Beneficiarij, in quo duo beneficia vnuntur: profecto præter Canones & iura introducta est alia, quæ dicitur vnio ad vitam Beneficiarij, quæ vna cum ipso Beneficiario & extinguitur. Hæc tamen non est introducta ob Ecclesie necessitatem, vel utilitatem, sed ob priuilegium ipsius Beneficiarii: de qua statim dicemus.

Quarto queritur, Quibus de causis fieri debeat Ecclesiarum, vel Beneficiorum conuinctio? Hostiensis in *summa tit. De relig. domib.* quatuor proponit, sed omnes ad duas potissimum reuocantur. Aut enim euidentis Ecclesie necessitas, aut magna utilitas postulat, vt duæ Ecclesie connectantur. Videlicet, Parochiales Ecclesie admodum vicinæ, & ita tenues redditus habentes, vt duos Parochos commode sustentari non possint: iure coniunguntur. *c. Et temporis. c. postquam. 19. q. 1.* Similiter si vtraque, vel altera fuerit deuastata bello, vel peste, vel incendio, vel inuadenda. *aqu. c. Decimas. eadem causa. §. quas.*

Quinto queritur, Quæ Beneficia & Ecclesie coniungi

queant? Respondeo, omnes, siue sint Ecclesie Cathedralis, siue Collegiatae, siue Conuentuales, siue Parochiales, siue Regulares, siue Sæculares, siue sine beneficiis, quæ Dignitates vocantur, Personatus, Officia, Canonicatus, Portiones, siue quæcumque alia Beneficia simplicia & inferiora.

Sexto queritur, Quis possit iure communi beneficia coniungere? Respondeo in primis Papam posse vnire beneficia tum maiora, tum minora. *c. Decimas ad finem. §. ca. Et temporis. 16. q. 1.* quia ipse plenam habet in Beneficiis auctoritatem. *c. 2. De prab. in 6. §. Clem. 1. vt litend.* Item conuinctio Metropolitani & Cathedralium Ecclesiarum ad solium Papam spectant iure communi. *c. Ex temporis. 16. q. 1. §. c. Sicut vnire. De excess. Pralat.* solus item Papa coniungere potest primam dignitatem post Pontificalem in Ecclesia Cathedrali, siue Metropolitana, & principalem dignitatem in Ecclesia collegiata, & denique ea beneficia, quæ vocantur Consistorialia, vel quæ Iuri Romani Pontificis referantur, vel quæ eisdem auctoritate affecta esse dicuntur. Porro quæ beneficia consistorialia, quæ reuerentia, quæ affecta appellentur, postea explicabitur.

Episcopus vero iure communi potest ecclesias seu Beneficia intra suam ditionem constituta coniungere. *c. Sicut vnire, De excess. Pralat. §. c. Quod translationem, De off. Legati. Rebus. loc. cit. n. 22.*

Septimo queritur, An Archiepiscopus possit coniungere Ecclesias Episcopis suffraganeis subiectas? Respondeo, minime. *Rebus. loco citato. n. 30.* quia coniungendi potestas est iurisdictionis ordinariæ, quam Archiepiscopus non habet in huiusmodi Ecclesijs, potest tamen Ecclesias, & Beneficia coniungere suæ ditioni subiecta, sicut Episcopus. *c. Sicut vnire de excess. pral.*

Octauo queritur, An Legatus à Latere possit coniungere beneficia posita intra prouinciam ipsi delegatam? Quasi inuenio sententias: quarum vna negat: & est Innocentij, Hostiensis, Federici, Antonij, & aliorum teste *Abb. in c. ult. De confir. vti. vel simili. §. c. Sicut vnire. De excess. pralat.* eo quod coniungendi facultas soli Episcopo iure communi conceditur. *c. Sicut vnire, De excess. Pral.* Conuinctio item Ecclesiarum est contra ius commune, cum quilibet Ecclesia suum Rectorem debeat habere, *c. Quia non nulli, De Cler. non resid. & quilibet Benef. in sua Ecclesia præfens esse, & cõmorari iure cogatur. c. Conueniens, De Cler. non resid. At Legatus cõmune ius solueri non potest. Præterea, eo ipso quo Legatus duas Ecclesias & beneficia connecteret, iuri & auctoritati Episcopi derogaret: at Legatus hoc facere non potest. *c. ult. De confir. vtili, vel simili. hæc opinio nunc est, vt ait Andr. Gambinus tract. De offic. Leg. §. c. n. 42.* Affirmat altera opinio, videlicet, posse Legatum ea beneficia coniungere, quæ alioqui posset Episcopus, estque Io. Lignani, Io. And. Imolæ, Abb. comm. Doctor. consensu & vsu recep. Cui fauet ratio. Nam si eam potestatem habet Episcopus, cur non Legatus Pontificius habeat? Et cum in *capite prædicto, constitutus §. c. ult. De confirmat. vtili.* dicitur, Legatum iuri & potestati Episcopi derogare non posse: locum habet non in iure, & potestate conferendi beneficium, quia licet ex ipsa conuinctio beneficium auferatur Episcopo, ius conferendi Legatus tamen passim conferendo & referendo beneficia, huic Iuri Ordinarij derogat: sed in alijs facultatibus quæ episcopo debentur locum habent, videlicet, quamuis Legatus duas ecclesias coniungat, non auferat episcopo potestatem visitandi, procedendi, corrigendi, excommunicandi in eis, quæ ad illas ecclesias pertinent. *hic Decimis caput vltim. De confirmat. Rebus. loco citato. numer. 26.* Habet igitur Legatus eam potestatem ordinariæ, qua fungitur in prouincia sibi commissa, facultatem & ius ecclesiarum & beneficiorum, quæ alioqui posset episcopus, coniungendi.*

Nono queritur, An Sede vacante, Collegium Canonicorum possit vnum beneficium alteri connectere? Respondeo, posse ea connectere beneficia, quæ alioqui potest

Episcopus

Episcopus. Sic Lopus, & eo posteriores Ioan. Lignanus, Zabarella, Imol. Clem. 1. 8. Ad hoc de stat. Monach. Caccia-lupus. de unio. Ecclesiarum. ar. 3. n. 19. Petr. Perusinus, De unio. c. 5. n. 29. Rebuff. loco citato, num. 36. At dices, Collegium non habere potestatem conferendi, ergo nec coniungendi duo beneficia, connectere non potest, nisi vnum conferat ei ecclesie, cui connectit. Respondeo, non sequi, conferre nequit beneficia, quae ad ius & potestatem inferioris ordinarij pertinent, & tamen potest ea coniungere. Item, Beneficium nondum vacans conferri nequit, & tamen potest alteri coniungi, vt statim dicemus. Porremo, non est idem iuris de conferendo, quod de coniungendo: nam conferre, est voluntatis & liberalitatis, at vero coniungere, necessitatis, vel vtilitatis. Non enim conueniuntur ecclesie, nisi quia id necessitas vel vtilitas postulat.

Decimo quaeritur, An Generalis Vicarius episcopi possit beneficia coniungere? Respondeo, minime, nisi speciali Episcopi concessu, vt est constans omnium opinio. quoniam sequuntur Perus. in tract. de unio. c. 4. ad finem. Rebuff. loco citato, num. 37. Verum roget quispiam, An si speciali episcopi mandato ius habeat conferendi beneficia, eo ipso facultatem habeat etiam coniungendi? Quidam negant, eo quod inferiores episcopo ordinarij habent potestatem conferendi, non tamen coniungendi. Ergo non sequitur, vt Vicarius possit connectere, quia potest conferre. Item, ad coniungendum videtur eligi industria hominis, quae tamen ad conferendum minime requiritur. Sed oppositum alij ita dixerunt, scilicet Vicarium huiusmodi habere id ius & potestatis. Nam si Vicario conceditur facultas conferendi, cum tamen conferre sit voluntatis: multo magis datur potestas coniungendi, cum tamen sit necessitatis. Primum meo iudicio est verius, vt docet Rebuff. in praxi Benef. p. 1. in forma Vicariatus. n. 102.

Vndecimo quaeritur, An Abbates & alij episcopo inferiores ordinarij habeant ius beneficia coniungendi? Communis est omnium opinio, ait Panormitanus in c. Sicus v. n. 6. De excess. Pralat. eos non posse vnire beneficia, quantum habeant ecclesias sibi pleno iure subiectas. Hoc intel- litur, vt idem Auctor explicat, non posse, ea scilicet potestate, qua conferunt ecclesias & Beneficia: nam aliunde, non potest, consuetudine vel praescriptione, vel priuilegio possunt coniungere: eo quod coniungendi, sicut conferendi potestas est iurisdictio, non ordinis: sed quae in Episcopo sunt potestati, iurisdictionis, praescribere inferiores ordinarij possunt: nec tamen cum inferiores ordinarij Ecclesias coniungunt, ijs facultatibus quae Episcopo debentur, derogant, videlicet iuri visitandi, curandi, corrigendi, & alia similia faciendi.

Duodecimo quaeritur, Quorumnam consensus requiritur, cum Ecclesie vel Beneficia coniunguntur? Respondeo: cum episcopus coniungit, requiritur consensus Collegij Canonico-um in Ecclesia Cathedrali. Clem. Si vni. De reb. eccles. non alienandis. Et cum ibi dicatur, sine consensu Collegij Episcopus non posse coniungere: hinc efficitur, vt non satis sit Collegij consensum, nisi etiam consensus accedat: qui interuenisse creditur, nisi contrarium appareat Ale. cons. 219. vol. 6. Quid si Canonici consentire nolent? Tunc si iusta causa subest, vt fiat vnio beneficiorum, compelli queunt, & ipsi inuitis potest etiam fieri, praesertim a Papa; Rob. loco citato, Glo. 11. n. 3. Quaes, An sit necessarius solemnis tractatus qui interuenire debeat, cum res ecclesie alienantur? Respondet Rob. loco citato, Gloss. 1. minime, tum quia Clementina citata solum Collegij consilium requirit: tum etiam quia hoc idem senserunt Auditores in Rota, Decis. 166. in nouis. Boer. in Decis. Burdgal. n. 345. Item si ecclesia quae alteri coniungitur, est iuripatron. obligata, necessarius est patroni Laici consensus, cum Episc. eam cum altera connectit, c. Suggestum, De iuripatr. c. Monach. 16. q. 7. Rebuff. loco citato, n. 28. & Glo. 11. num. 6. Idem quoque consensus requiritur, cum Legatus

Rom. Pont. contingit c. Cum dil. huius, De iuripatr. At lecus est, cum Patronus est Ecclesiasticus, huius enim potest Legatus derogare; imo cum Patronus est Laicus non iure fundationis, aedificationis, vel dotationis ecclesie, sed sola consuetudine, vel praescriptione, vel priuilegio, potest, ac soler eius iuri derogare Legatus. Sed quid si patronus vnus sit Laicus ratione fundationis, vel dotat. Ecclesie & alter eodem quoque iure sit Patronus ecclesiasticus: Respondeo, non derogare Legatum ob favorem & gratiam Laici patroni, ne Laici a fundandis, vel dotandis Ecclesijs facile auocentur. Si roges itidem, An Rectoris, siue Parochi adesse debeat consensus, cum Episcopus vniam Ecclesiam alteri subiicit, vel coniungit? Respondeo minime, Clem. citata, Si vni. De reb. Eccles. non alien. Ratio vero eius est, quia cum Ecclesia antequam vacet, alteri coniungitur, iuri Rectoris siue Parochi nihil detrahatur, eo quod coniunctio licet fiat, dum ipse viuic, non sortitur effectum, donec obierit. Et hinc est, vt magna sit differentia inter haec duo: Beneficium conferre & coniungere: nam Benef. non conferretur nisi vacans: at coniungitur etiam, cum non vacat: quoniam si viuio Beneficiario, Benef. conferretur alteri, priuatur Benef. quod habet, at cum Benef. alteri coniungitur, Beneficiarius nullo iure, quod obtinet in Benef. spoliatur. Hinc etiam est, vt possint aliquo tempore aliqua Beneficiorum coniunctiones existere, quae nondum sint ad suum effectum perductae: quae, An saltem Rectori, siue Parocho sit coniunctio denuntianda, Respondeo, minime: Rebuff. loc. cit. Gloss. 11. n. 8. quia nihil eius iuri derogatur. Dices: si ei prius coniunctio indicaretur, Benef. suum forte cum alio permutaret, aut gratia & causa alicuius sibi familiaris deponeret, Respondeo, hoc nihil obstat, quia Episcopus suo iure coniungendi quod habet, vtitur. Rebuff. loc. cit. n. 9. Glo. 11. Nec etiam est opus vt plebis siue populi consensus interueniat, quia coniunctio ecclesie nihil ei derogat. Rebuff. loc. cit. Gloss. 11. n. 11. Sed numquid eorum etiam, qui consentire debent, consensus satis est, vt accedat post interuallum temporis in coniunctione antea facta? Respondeo, satis esse, vt ait Rebuff. communem secutus sententiam, loco cit. Glo. 11. n. 20. & 21.

Decimo tertio quaeritur, Quae sit iure praescripta forma beneficiorum coniungendi, qua non seruata, vnio vim non habet. Respondeo, hanc esse: cum Legatus, vel Episcopus Ecclesias coniungit, necesse est, vt in ipsa coniunctio: ne causa cognoscatur, & exprimat. Rebuff. loco cit. num. 43. Hoc enim interest inter Romanum Pontificum, & alios Ordinarios: quod ille Ecclesias connectit causis non expressis: hi vero coniungere nequeunt, nisi causa necessitatis vel vtilitatis expressa. Clem. vlt. de reb. Eccles. non alien. quamuis nec Papa soleat Ecclesias coniungere, nisi prius Ordinarijs committat, vt de causis cognoscant, & ad ipsum referant. Immo in Francia resse Rebuffo in eodem loco Ecclesiarum coniunctiones, etiam auctoritate Apostolica factae causa non cognita & expressa, minime recipiuntur: & quod supremis Regni cuius irrita iudicantur, non quod Laici de causis ecclesiasticis iure queant cognoscere & iudicare, sed quod tales vniones subreptitiae credantur. Item necesse est, vt coniunctio Ecclesiarum rite fiat ab episcopo, vel Legato, & ij uocentur, quorum consensus debet accedere, vt constat ex Clem. Si vniam; De reb. eccles. non alien. alioqui vnio, vel tanquam irrita censetur, vel saltem dissoluitur. Rebuff. loco citato. Si quaeras, quot & quae sint causae, ob quas duae Ecclesie vniri queunt? Respondeo, duas esse: necessitatem, & vtilitatem. Necessitas est, vt si duae ecclesie redditus ita exiguos habeant, vt ad victum duorum non sufficiant. c. vnio, 10. q. 3. c. Postquam 16. q. 1. Clem. ne in agro, §. ad haec de statu Monach. Item si ecclesia sit ab hostibus deuastata, vel sit suo populo destruita, cap. 2. de relig. domib. Item quando ecclesie vicinae sunt, & commodus regi possint ab vno, quam a duobus. c. Et temporis, 16. q. 1. c. vlt. versic. hostilitatis, 25. q. 1. vlt. Vtilitas est, quando propter tenuitatem fructuum non in

ueniantur idonei, qui in ea seruiant Deol. e. *Exposuisti*, *Ne Sede vacante*.

Decimo quarto queritur, quæ beneficiorum coniunctiones sint ipso iure irritæ & inanes? Respondeo, in primis eas quæ fiunt, non vocatis ijs quorum intererat, hoc est, qui iure vocari debebant, *ut insinuat in Glossa vna, de reb. Eccle. non alienan. Et colligitur ex regula 21. Cancellaria.* Deinde irritæ quoque sunt ipso iure coniunctiones, quibus inferiores Papa Ordinarij ecclesias connectunt causis non expressis, *ut docet eadem Regula Cancellaria.* Si quæras, An coniunctio facta ex falsa causa, reservata tamen, quod ad cætera pertinet, iuris formula, sit ipso iure irrita? Respondeo, irritam non esse, verum irritam reddendam, *ut recte ait Rebuff. ex communi sententia loco citato Glossa 9.* Si etiam roges quid dicendum, quando ijs quorum interest, vocantur, & suum præstare consensum recusant, tunc ne ecclesiæ licite coniungantur? Respondeo minime: nisi tam evidens esset ecclesiæ necessitas, ut id postularer, *Rebuff. loco citato, Glossa 11. nu. 3.*

Decimo quinto queritur, An episcopus vel Legatus possit coniungere beneficia ad Romanum Pontificem deuoluta ob negligentiam eorum, quorum erat conferre? Respondeo *cum Abbate in c. Sicut vnire, De excess. Prælati* posse, quia ius deuolutum ad Papam, solum dat ei, vt conferat tunc ob negligentiam alterius: non tamen admittit episcopo vel Legato potestatem coniungendi. Nam etiam si beneficia episcopus coniungat, Papam non impedit, quo minus illa tunc conferat: conferre enim, vt aiunt Iuris Canonici periti, ad titulum beneficij, sed coniungere ad ipsius beneficij proprietatem spectat. Qui proprietatem habet, ius quoque habet ordinandi & statuendi de beneficijs: quod non semper habet is qui confert: nam inferior episcopo ordinarius aliquando confert: non tamen ordinat ecclesiam, aut de ea statuit.

Decimo sexto queritur, An episcopus vel Legatus possit coniungere beneficia iuri & potestati Papæ reservata? Respondeo *ex Abbate, ibidem* distinguendo: Aut Papa ius ea conferendi, ordinandi, & disponendi reservat: & hæc episcopus, aut Legatus conferre non potest: aut solum sibi reservat ius conferendi, non tamen ordinandi & statuendi de eis, & hæc coniungere potest, quia coniunctio nihil impedit ius conferendi.

Decimo septimo queritur, Quæ beneficiorum coniunctiones sint inferioribus Papa ordinarijs iure interdicitæ? Respondeo, eas esse, quibus ecclesiæ coniunguntur ad vitam Beneficiarij: huiusmodi enim coniunctiones introductæ sunt contra, aus saltem præter commune ius. Nam cum iura prohibeant, quo minus quis duo beneficia simul habeat, præsertim ex ijs, quæ ius incompatibilia vocat: introduci cœpit, vt vnus beneficium cum alio coniungeretur ad tempus, videlicet dum quis viueret, ita vt ea coniuncta habere diceretur, cum tamen coniunctio facta sit: solum causa ipsius, vt ea beneficia simul haberet. Deinde, per huiusmodi coniunctiones fit, vt Beneficiarius a sua ecclesia toto vitæ tempore absit. Præterea fit vt Beneficiarius ante legitimam ætatem habeat beneficium, quod alioqui certam in Beneficiario ætatem requirebat. Postremo talis coniunctio beneficiorum nomine tantum coniunctio dicitur, sed re ipsa est iuris relaxatio, & facta quædam reservatio. Quapropter Geminianus in *cap. 1. De relig. domib. in 6. Callidor. decis. 4. tit. de Præb.* has beneficiorum coniunctiones ad vitam, tanquam contra Canones inductas, & ecclesijs incommodas improbarunt. Negari tamen non potest, quin Romani Pontificis auctoritate fieri queant, quia eo ipso quod potest rigorem Canonis laxare, potest vnus beneficium alteri coniungere ad tempus, hoc est, ad vitam eius, in quo coniungitur. Ex quo etiam fit, vt magis Canonibus aduersetur, cum non solum vnus beneficium alteri ad vitam illius conceditur, sed etiam cum duo aut tria cum tertio vel quarto. Præterea in *Concil. Trid. sess. 14. c. 9. De reform.* cautum est ne beneficia in vna diocesi posita, coniungantur

cum beneficijs in altera diocesi: ne item annectantur Monasterijs, Collegijs, vel locis gratia pietatis extrinsecis, in altera diocesi sitis. *Et sess. 23. c. 13. de reform.* constituit Concilium, ne ecclesiæ Parochiales, vel curam animarum habentes coniungantur vel annectantur Monasterijs quibuscumque & Abbatijs, vel Dignitatibus, vel Præbendis ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiæ, vel alijs beneficijs simplicibus, vel hospitalibus domib. vel præbendis ecclesiæ Cathed. vel Collegiæ, vel alijs beneficijs simplicibus, vel hospitalibus domibus, vel sacris Militijs, non tamen verat Concilium, quo minus Parochiales cum alijs Parochialibus, vel curam animarum habentes cum alijs similibus connectantur. In *Clem. 1. De reb. Ecclesia non alienan.* cautum est, ne episcop. beneficium coniungat, vel annectat suæ, vel Collegij Canoniorum mensæ, etiam ipsius Collegij consensu accedente. Potest tamen, *ut ibi Gloss. annotauit*, Præbendam aliquam cum Dignitate, Personatu, vel Canonatu Cathedralis ecclesiæ, sui collegij consensu coniungere. Quærat quis, An ad erigendam Capellaniam, vel aliud beneficium; seu ad illam augendam, possit episcopus Præbendam aliquam ecclesiæ Cathedralis vel Collegiæ dare? Respondeo *cum Felino in cap. 1. ne Sede vacante*, posse, etiam si illius Præbendæ redditus sint bona communia Canoniorum: dummodo tamen ipsius Collegij consensus accedat. Sic etiam possit vnus Præbendæ redditus, vel bona convertere in vnus fabricæ, etiam Canoniorum consensu. Quærat etiam aliquis, An possit episcopus, vnus Præbendæ proventus convertere non in bona totius Collegij communia, sed in vnus singulorum Canoniorum; Quidam affirmant, ea ratione permoti, quod non idem sit dare singulis Canonibus, quod dare omnibus.

Decimo octavo queritur, An episcopus possit duas ecclesias regulares coniungere? Respondeo, olim episcopos id communi iure potuisse: quia ecclesiæ regulares & canobria in episcopopoditione constituta, ipsi subiecta erant: at vero iure noao cum ecclesiæ regulares sint ab episcoporum potestate exemptæ, eorum auctoritate coniungi nequeunt. Præterea, nec nunc, nec olim cum Monasteria Episcopis subijcerentur, potest, aut poterat episcopus, duas ecclesias regulares diuersæ professionis, regulæ, habitus, & ordinis coniungere. Inde enim fiet, vt vnus ambas præsserit, cum tamen essent diuersæ professionis, & instituti, quod magnum esset incommodum. Vna item ecclesia subijceretur alteri diuersæ professionis regulæ.

Decimonono queritur, An episcopus, ecclesiam secularem sibi subiectam possit monasterio religiosorum, vel alteri loco causa communis pietatis extructo donare? Respondeo, posse, etiam cum illa ecclesia non vacet. *Sic habetur in c. Consultationib. c. c. Pastoris, de donationib.* Quæras, quo differat donatio, qua vna ecclesia alteri datur à coniunctione, qua vna ecclesia alteri coniungitur, vel annectitur? Respondeo, *ex Abbate, cap. 1. Suggestum, de iur. Patr.* Cum ecclesia vna alteri donatur, redditus, vel cætera bona ecclesiæ que dantur, conceduntur alteri vt in proprios vsus conuertat. Vt, si vna præbenda Canonibus daretur, vt eius proventus in proprios vsus transferrent. Vel vna Ecclesia datur alteri, vt ex redditibus vel bonis ipsius in altera quæ datur, certæ præb. instituantur, siue Beneficiantur, *e. Exposuisti, de præben.* vel datur, quia præbenda, quæ habet ecclesia, conceduntur alteri ad proprios vsus ipsius. Et quolibet ipso modo episcopus, cum vnam ecclesiam det alteri, eam alienat: ac proinde citra Collegij consensum, id facere nequit: quoniam in alienatione rerum ecclesiæ, consensus Collegij requiritur. Nec item potest donare ecclesiam patronatus iuri subiectam: nam etiam si patronus suum ius nominandi non amittit, eius tamen plurimum interest, ne ecclesiæ bona alienentur, *c. Filij. 16. q. 7.*

Vigesimo queritur, An diuersi effectus ex diuersis Ecclesiarum coniunctionibus oriuntur? Respondeo, ori-

rinam

nam velvna ecclesia alteri coniungitur, ita vt ex ea pendat tanquam ex superiori, & principali, & vt vim, conditionem, & naturam suam amittat alterius privilegia consecuta: Aut coniungitur ita, vt ambae aequè principales existant, quavis vni Rectori, & praefecto subiecte. Si primo ecclesia coniungatur alteri, in impetratione fieri mentio debet eius, quae est principalis, cui altera accedit, & ex qua pendet ea quae coniungitur, facta item mentione principalis ecclesiae, non est necesse eam exprimere, quae illi coniungitur. *Glossa. Et ceteri in c. Gratia. de riter. in 6. Ansharanus in c. Accessorium, de reg. iur. in 6. Ro. 1a decis. 319. in Antiquis. Rebuffus in Praxi beneficiorum de vniuers. n. 13. & 14.* Cum vero duae ecclesiae coniunguntur, quae principaliter, oportet vtriusque fieri mentionem, cum eorum alterutra impetratur, eo quod vacante vna vacat similiter & altera. Si item est beneficium simplex, eiusque primo modo Parochialis ecclesia coniungitur, non definit esse simplex beneficium, & Parochialis eo ipso gradum suum, & privilegia amittit.

Vigesimo primo quaeritur, An coniunctio ecclesiarum diffinitur? Respondeo, posse, & eisdem de causis, quibus fuerant ecclesiae coniunctae, hoc est, vel ob eundem necessitatem, vel in eam utilitatem ipsarum. Item dicitur potest eorum auctoritate, quorum facta est, vide licet Pape, Legati à l. tere, vel episcopi.

Vigesimo secundo quaeritur, Quidnam Synod. Tridentina statuerit de vniuersis ecclesiarum perpetuis *Sessio 6. cap. 6. & 7. de reformat. & sess. 24. cap. 13. de reformat.* Respondeo, statuisse inter alia, vt vniuersae perpetuae a quadraginta annis citra factae examinari ab ordinarijs tanquam à sede Apostolica delegatis possint, & quae per surreptionem, vel obreptionem obtentae fuerint, irritae declarantur, illae vero quae à dicto tempore citra concessae, nondum ex toto, vel ex parte consequutae sunt effectum, & quae deinceps ad civilis instantiam fient, nisi eas ex legitimis, aut alias rationabilibus causis eorum loci Ordinatio vocatis quorum interest, verificandis factas fuisse constituerit, per surreptionem obtentae praesumantur: & nisi aliter à sede Apostolica declaratum fuerit, viribus omnino careant. *Hac sessio. 7. cap. 8. vbi illi quadraginta anni computari debent à die quo Concilium Tridentinum à auctoritate Romani Pontificis est promulgatum.* Item Ordinario quaerenti licentia, ipsi exhiberi, & indicari debent. *Cap. 7. eiusdem sessionis dicitur: Beneficia ecclesiastica curata, quae Cathedralibus, Collegiatis, seu alijs ecclesijs, vel monasterijs, beneficijs, seu Collegijs, aut pijs locis quibusvisque perpetuo unita, & annexa reperuntur, ab Ordinario locorum annis singulis visitentur: qui sollicite providere procurent, ut per idoneos Vicarios etiam perpetuos, nisi Ordinarius pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire iudicauerit, ab eis cum tertia parte fructuum, aut maiori, vel minori, arbitrio ipsorum Ordinariorum, portiones, etiam super certa re assignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur: appellationibus, privilegijs, exemptionibus, etiam cum iudicio deputatione, & illorum inhibitionibus quibuscumque in praemissis minima suffragantibus.* *Hac ibi.* Quo fit, vt in huiusmodi vniuersis ecclesijs episcopus possit vicarios perpetuos, vel temporales constituere, quorum literatura, vita, & mores, ipsius Episcopi auctoritate examinari, & approbati debent.

CAP. XXIX.

De constitutione Vicarij in Ecclesia communi coniuncta, & de coniunctarum Ecclesiarum dissolutione.

PRIMO quaeritur, An in ecclesia, quae alteri in perpetuum coniungitur atque subijcitur, debeat Vicarius perpetuus institui? *Ex c. Excipienda. §. Qui vero. de praeben. & cap. 1. eodem titul. in sexto, & cap. 1. de capellis. Monacho. conlat. :* quando vna Ecclesia Parochialis alteri

coniungitur, & ei tanquam principali subijctae, solet constitui in ea ecclesia Vicarius perpetuus, qui in ea deseruiat: & is qui eam ecclesiam suae coniunctam habet, non potest per seipsum in illa deseruire invito Vicario perpetuo, nisi in coniunctione fuerit clausula apposta, ne in Ecclesia coniuncta Vicarius perpetuus instituat, sed vt per seipsum inseruire queat is, qui beneficium vnum possidet. Quando vero quae Parochiales Ecclesiae aequè principaliter coniunguntur, tunc vnus & idem Parochus in ambabus inseruit, nec in altera Vicarium perpetuum instituire, illo iure compellitur, sed ad tempus; videlicet quando ipse in ea suo munere, & officio fungi non potest. *capit. Et temporis 26. questio 1. & Papa Canonum rigorem laxat, vt Parochus qui duabus Ecclesijs sic coniunctis praesit, bis diebus Dominicis, & festis rem diuinam faciat, in vna semel: & iterum, in altera, ut ait Hostiensis in cap. Consultuisti. de celeb. Missarum.* Quando vero beneficium simplex alteri cuiuslibet coniungitur, in eo Vicarius perpetuus non constituitur, sed tantum quando Ecclesia Parochialis alteri annectitur, & subijcitur. *Glossa in Clem. 1. de officio Vicarii.* Item quando beneficium curam animarum habens annectitur mensae Collegij Canoniorum vel ipsius episcopi, potest in eo Vicarius ad tempus constitui. *Glossa in Clem. 1. de excess. pralat. & Clem. 1. de rescriptis. & Clem. 1. de supplen. negli. Pralator.* Praeterea debet constitui Vicarius perpetuus, quando Religiosi, vel saeculares Clerici Romani Pontificis concessu habent Prioratus Regulares, quibus inest animarum cura. *Clem. 1. de supplen. negli. Pralato. Clem. Na in agro, & Ceterum de statu Monacho.* & tunc penes Priorem est cura animarum solum potestare, & habitu, penes Vicarium vero actu, & administratione. *Clem. 1. de officio Vicarii.* & hunc Vicarium perpetuum interdum Prior ipse nominat & offert, Episcopus vero instituit. *Clem. Na in agro, citato. Et Clem. 1. de iur. patronat.* Aliquando vero proprio iure huiusmodi Vicarium episcopus constituit, sine vlla nominatione facta à Priore: aliquando in ipsa fundatione reseruat Priori creati, & constituendi Vicarium: sed tamen recipi non debet, nisi Episcopi approbatione, *Ad hoc de officio Vicarii, & c. Extra, de filijs presbytero.* Vnde cum ecclesia Parochialis alteri subijcitur, solet clausula apponi: *Vt Vicarius perpetuus in ea constituitur: quauis aliquando solet ad id clausula Vt in ea ecclesia praebys: et deseruire ad tempus, & ad nuncum reuocari queat.*

Secundo quaeritur, An ex fructibus ecclesiae Parochialis, quae alteri annectitur, & subijcitur, reuocari debeat portio idonea ad Vicarium perpetuum in ea instituentem? Respondeo, debere: ad proinde coniunctio semper fieri solet clausula apposta: *Vt ex fructibus Ecclesiae Parochialis alteri subiectae idonea portio assignetur Vicario in ea instituendo, qui ex ea se commode sustentare possit, & Episcopalia iura soluere, & alia onera eidem ecclesiae imposita sustinere: quae portio solet esse tertia vel quarta pars fructuum.* Sed quia episcopi post Concilium Tridentinum in assignanda huiusmodi portione, modum excedebant: Pius Quintus constitutionem edidit sic incipientem: *ad exequendum Praefatae anno Domini 1567. in qua statuitur: vt non maior centum aureorum portio, nec minor quinquaginta assignetur Vicario perpetuo, computatis omnibus certis, & incertis amolimentis, & obventionibus communiter perceptis solis, nisi Vicarius Temporalis solitum sit plus assignari. Idem statuit, vt praedicta portio assignetur sine in quantitate, aliaue quota fructuum, siue in pecunia numerata siue in fundo, aut aliare stabili, cuiuscumque valoris fuerit ecclesiae Parochialis unita: nisi valor annuus sit minor quinquaginta aureorum: tunc enim loco portione assignentur fructus, & obventiones.*

Tertio quaeritur, Quis debeat huiusmodi Vicarios perpetuos instituire? Respondeo: post Concilium Tridentinum, Pium Quintum in praefata constitutione constituisse, vt praedicti Vicarij perpetui nominentur quidem ab illis qui praesunt ecclesijs, quibus sunt Parochiales subiectae: sed instituatur ab episcopo, vel eius Vicario, & ab

eisdem

eisdem literaturae illorum, vita & cetera necessaria examinentur. Quod si, inquit, praedicta Ecclesia Parochiales vniuersae fuerint Canonibus Mendicantium Regularium, possint à Superioribus illorum Conuentuum ex ipsis Religiosis Mendicantibus nominari, qui Ecclesiae Parochialibus vniuersis inseruiant. Eos tamen Episcopus, vel eius Vicarius praemisso examine approbabit, & superiores ad nutum eos auertere poterunt. Idem, inquit, iuris sit, si Parochiales Ecclesiae vniuersae Canonibus Monachorum: dummodo tamen cum Monacho tanquam Vicario in Ecclesia Parochiali coniuncta constitutio alij quatuor habeantur.

Quarto quaeritur, Quibus ex causis coniunctio Ecclesiarum dissolui queat? Respondeo, distinguendum esse: Si coniunctio sit facta, eo quod tenues essent fructus Ecclesiarum, illis excrementibus coniunctio dissoluetur, capit. Cum N. de constitutioni. Et Clemen. Ne in agro. §. ad hac. de statu Monacho. si ob pestem, vel bellum, vel periculum, aeris intemperiem, vel soli sterilitatem deficientem populo Ecclesia sit alteri coniuncta: postea redeunte populo, coniunctio dirimetur, capit. Quia. de Religios. domibus, & capit. vltim. de Parochijs. Item si coniunctio coepit esse Ecclesiae noxia, dissolui iure potest: vt si fraudentur eleemosynae, si tollatur, & pereat hospitalitas, si Religio relaxetur, capit. 1. Ne sede vacante. Et cap. de Monachis, de praeben. Item ob necessitatem euidentem, vel ob magnam vilitatem conferuandam, vel ob offensionem multorum tollendam, iure coniunctio dissoluitur, ca. Exposuisti, Et cap. Vacante. de prae. causa tamen probari debet, vt ait O'grad. cons. 261.

Quinto quaeritur, Quisnam possit Ecclesias, vel beneficia coniuncta distingere? Respondeo, Papam, Episcopum etiam iure suo, Legatum à latere: qui sicut coniungere Ecclesias possunt, sic & distingere. Quares, An Episcopus possit dissoluere coniunctionem Ecclesiarum non solum à se factam, sed etiam à Papa vel Legato? Respondeo, posse: nam Papa coniungendo noluit Ordinarij potestati derogare. Federicus cons. 263. Petrus Perusinus in tractat. de vniouib. c. 4. Rebuff. in Praxi beneficior. tit. de vniouib. reuocatis. n. 16. Quares, An Collegium Canonicorum sede vacante possit Ecclesias coniunctas diuidere? Respondeo posse, vbi causa subest. Ita Rebuffus ibidem nu. 19. Ceteri vero Ordinarij Episcopo inferiores quomuis consuetudine, praescriptione, vel privilegio possint Ecclesias coniungere, nequeunt tamen coniunctas distingere. Idem Rebuff. ibid. n. 20. Si Ecclesia item sine Cathedralibus, vel exemptae, eas nequit Episcopus coniungere, sic nec earum coniunctionem dirimere. Sicut etiam seclusa omni contraria consuetudine non potest, sine Collegij consensu Ecclesias coniectere, sic nec coniunctas dissoluere. Rebuff. ibid.

Sexto quaeritur, Quisnam citari, & vocari debeant cum beneficium coniunctum distinguitur? Respondeo, eos esse vocandos, quorum interest eam coniunctionem non rescindi, c. vlt. de elect. in 6. In primis igitur vocandus est Praelatus vtriusque diocesis; si beneficium ad duas spectet dioceses, c. 1. Ne sede vac. Et c. Sicut vnire. de excess. Praelato. patronus item vocandus est; quia sua interest, cum ad eum Ius patronatus redeat. Similiter tum is, qui Ecclesiam possidet coniunctam, tum eius Vicarius, qui in ea commoratur & residet, quia vtriusque interest. Praeterea cum Papa coniunctionem Parochialium Ecclesiarum dissoluit, solet clausulam adijcere: Dummodo qualibet earum ad Clericum commode sustentandum sufficiat.

CAP. XXX.

De mutatione, translatione, erectione, & suppressione Ecclesiarum, vel beneficiorum.

Sciendum est genus quoddam esse acquirendi beneficium, cum vna Ecclesia in aliam mutatur, vel cum vna Ecclesia erigitur, vel alio transfertur.

Primo quaeritur, Quid ecclesiarum mutationis nomine veniat. intelligendum? Respondeo, aliquando contingere, vt ecclesia Regularis in saecularem mutetur, vt e contrario. Item ecclesia Collegialis aliquando in Cathedrali transtansit, vel contra ecclesia itidem simplex aliquando in Parochiale conuertitur, & Parochialis in Collegiatam. Conuentualis vniuersi Religiosi Ordinis in Conuentualem diuersi instituti & professionis: & haec dicuntur ecclesiarum mutationes.

Secundo quaeritur, Penes quem sit ius, & auctoritas ecclesiarum mutandi? Respondeo, penes solum Papam ius esse mutandi aliquam ecclesiam in Cathedrali: quia talis ecclesia non est, nisi in ea creetur episcopus: at episcopus, solus iure auctoritate creari possunt. Solus item Papae ius habet Cathedrali ecclesiam in non Cathedrali mutandi: quia solus Papae est episcopus deicere, vel Episcopatus supprimere, & extinguere. Solus item Papa potest ecclesiam aliquam in Collegiatam mutare: quia collegiata ecclesia non erigitur, nisi principalis aliqua dignitas in ea instituat, cuius sit totius ecclesiae Collegiatae praesens: at huiusmodi dignitates non nisi Papae auctoritate creari possunt. Solus itidem Papae est, ecclesiam aliquam in Regularem conuertere, & e contrario: quia Regulares ecclesiae modo sunt exemptae, & eadem ratione solus Pontifex ecclesiam Regularem vniuersi Ordinis, & instituti, mutat in alteram diuersae Religionis, & professionis.

Ceterum ecclesias alias inferiores potest episcopus proprio iure mutare, cum ius habeat, & auctoritatem ecclesiarum in sua ditione constitutas administrandi, & regendi. Potest igitur episcopus simplicem ecclesiam in Parochiale mutare, & e contrario. c. ad audientiam. 1. de ecclesijs adificatis. at necesse est, vt Parochi primae ecclesiae, & secundae consensus interueniat, alioqui enim damno asseretur. Item opus est, vt damnus, quod accipit Patochus, re alia compensetur, siquidem aliquid ipsi detrahitur, ac proinde dari aliquid debet, vt de commode sustentetur.

Tertio quaeritur, Quibus de causis ecclesiae aliae in alias mutantur? Respondeo, id fieri, vel ob euidentem necessitatem, vel ob magnam vilitatem earum. Velut si Patochus ecclesiam deieruerit ob bella assidua, ob pestem frequenter saeuientem, & aeris intemperiem, soli sterilitatem, aquarum inundationem, ebrosos hostium incurfus, c. Ecclesiam. §. 7. c. Mutationes. c. episcopus. Et c. Scias. ad. causa. 9. 1. Eisdem porro causis, quibus ecclesia vna in aliam mutatur, potest quoque mutari rescindi, vt si populus redierit.

Quarto quaeritur, Quis possit Ecclesias erigere? Respondeo, Metropolitanas quidem & Cathedralis, & collegiatas solum Papae. c. 1. ne sede vacante. Et c. Quod translationem. de officio Legati. ceteras ecclesias inferiores, Parochiales scilicet aut simplices, ius habent episcopi erigendi, conuentuales ecclesiae Regulares olim quidem episcopi auctoritate erigebantur: modo vero, quia sunt ab episcopo exemptae privilegij Romanorum Pontificum imperatus Superiorum Regularum auctoritate eriguntur. Ecclesia autem non erigitur, nisi idonea dos à fundatore, vel alio assignetur, quae sufficiat ad Clericos ipsius ecclesiae commode sustentandos, Imo si fundator dotem non dederit, compelli potest ad dandum: nam eo ipso quod ecclesiam extruxit, ei se tacite ad dandum dotem obligauit, c. Cum sicut. de consec. ecclesiae vel altaris. Quod si episcopus, sine vlla dote ecclesiam fundari permiserit, eam dotare debet ipse, aut quomodo cunq; suis impensis sustentare. Item quando ecclesia Collegiata Rom. Pontificis auctoritate constituitur, certum numerum Canonicorum, vel ipse Papa per se instituit, & creat, vel ipse alijs committit, vt id faciant. Collegiata ecclesia absq; numero Canonicorum certo, vel incerto non erigitur.

Quinto quaeritur, Quis possit ecclesiam ex vno loco ad alium transferre hoc est, facere, vt Beneficiarij ex vna ecclesia ad aliam transeant? Respondeo, & eccles. Metropolitanas, Cathedralis, Collegiatas, & ceteras exemptas solum Papam transferre posse. Sic etiam episcopi, & alij

Superiores, non nisi auctoritate Papæ transferuntur, e. i. de translatione. episcoporum. Item, qui sunt præditi dignitatibus, etiam inferioribus, sed exemptis, sola auctoritate Papæ ad alias ecclesias transeunt. Inferiores vero Prælati non exempti, imo in vniuersum Beneficij, ad alias ecclesias transire iure non possunt, sine episcopi consensu, sine quo suis se beneficijs abdicare nequeunt.

Sexto quaeritur, An Generalis Vicarius episcopi, possit facultatem concedere Clericis Beneficijs sibi subiectis, transeundi ad aliam ecclesiam: hanc quaestionem supra dilectissimi lib. 4.

Septimo quaeritur, An Collegium Canonicorum sede vacante possit prædictam facultatem Clericis Beneficijs dare: Hinc quoque quaestioni supra factis. lib. 4.

Octauo quaeritur, An iure communi cautum sit, ne episcopi ad alias ecclesias transeant? Respondeo, cautum esse, nisi iusta & debita causa, & auctoritate legitima transferantur: ut constat ex Concil. Nicano. c. 15. Sardicensi. c. 1. Antiocheno, c. 16. & 21. Chalcedonensi, c. 5. Carthagenensi 3. c. 38. Item, episcopi, e. Propter quæst. 1. Porro huiusmodi episcoporum translationes, iura perniciosas appellant, quia clericis auaritiæ, & ambitionis datur occasio, & quia ex eis ecclesiarum detrimenta non pauca nascuntur quia cum episcopi soleant ex vna ecclesia ad aliam transferri, inde fit, vt quasi alij, & mercenarij pastores ecclesias sibi commissas gubernent: eo quod de transitu ad aliam ecclesiam subiinde cogitant.

Nono quaeritur, Quibus de causis episcopi licite transferantur? Respondeo, his de causis. Primo, si continuus bellis, vel crebris hostium incurrib. diuexentur, e. trib. de consecr. dist. 1. Secundo, ob intemperiem aeris, e. Quorumdam dist. 74. Tertio, ob inlicitam populi suum Pastorem, vel episcopum odio prosequentis & male tractantis, e. cap. tra. vos, 25. quaest. 2. cap. Sicut. 7. quaest. 5. Modo vero frequentiores solent esse episcoporum translationes, aliis de causis: quæ qualescæ sunt, & quam iustæ, viderint ipsi.

Decimo quaeritur, An episcopus, aut Canonicorum Collegium possit numerum augere contra statutum, quo cautum est, ne plures Canonici fiant? Hanc quaestionem tractauit Abbas in e. Cum accessissent nu. 4. de Constitut. post eum Felinus ibidem. Respondeo, licite posse, si certum illum numerum nec iurauerunt, nec Papa confirmauit, vt patet ex cap. Cum accessissent, de Constitut. in v. cap. Dilecto cap. Vacante, de Præben. Sed quid si iuratum se contra statutum suum, nunquam numerum Canonicorum maiorem facturos: Respondeo, cum Abbate distinguendum esse, Aut iurauerit se illum numerum nunquam aucturos, & tunc si augeant, perituri sunt, sed ratum est, & firmum, quod faciunt: aut iurauerit se statutum de certo numero Canonicorum seruaturum, aut numerum nunquam aucturos, vt in statuto continetur, & tunc augendo numerum perituri non sunt, eo quod statutum abrogant, quo sublato, prædictum numerum augeant, ac proinde iustitandum non violant. Idem iuris est, si iurauerint se nunquam numerum aucturos, prout in statuto continetur.

Quid vero, si statutum sit Papæ auctoritate confirmatum, poteruntne illi etiam numerum augere? Respondeo, e. eodem Abbate, posse: quoniam Papa confirmando statutum nequaquam nouam legem condidit, sed statutum à Canonici, vel episcopo positum approbavit, nisi Papa id statutum confirmando, clausulam addiderit: (Quod si aliter fiat, irritum sit, & inane,) vt habetur in cap. dilecto de præben. Tertio quis dubitet, An possint augere eum numerum Canonici, si statutum sit iuratum, & Papæ auctoritate firmatum? Respondeo, item Auctor, posse: quoniam sicut singula seorsim non obstant, quo minus possint numerum augere, nec simul coniuncta poterunt obstat.

Quarto, quaerit aliquis, An possint augere numerum, etiam si statutum fuerit Papæ auctoritate munitum, clausula adiecta: Si secus fiat, nullius sit momenti, cum redditus annui præbendarum quas vocant, excreuerint, ita vt sint vberissimi facti? Respondeo, posse quoniam clausula

adiecta à Pontifice, intelligitur, si secus fiat sine causa iusta & debita, irritum sit. At cum proventus sunt facti vberiores, iusta causa est numerum augendi. Vltimo si quaeras, An Collegium Canonicorum, vel episcopus possit nouam dignitatem creare? Respondeo etiam Abbas: nouam, quæ non sit ex numero earum, quæ sunt instituta, creare non posse, hoc est, quæ sit functione, re, & nomine noua, vt puta si statuatur, vt in ipso eodem Ecclesia sint alij qui Cardinales Canonici. Hoc enim solus est Papa, qui omnes dignitates Ecclesiasticas instituit, capitulo primo distinctione vigesima secunda. Nouam tamen quæ sit ex numero earum, quæ sunt instituta possunt creare, v. g. Si vnus, aut alter sit in ecclesia Archidiaconus, vel Archipresbyter, vel Personatus, possunt creare secundum, aut tertium Archidiaconum, Archipresbyterum, vel Personatum. Sed nec hanc nouam dignitatem creare queunt, sine consensu cæterorum quorum interest. Nam ipse etiam Papa in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata dignitatem non erigit nisi adiecta clausula. Vt id fiat sine damno aliorum; ac proinde ne fiat citra illorum, quorum interest, consensum.

Quæres, An nouam dignitatem in ecclesia Cathedrali, vel Collegiata creare possit episcopus, sine vlla alia iusta causa nisi vt cultus diuinus augeatur? Glossa in e. Cum olim de Consuetudi. sentit, non posse, quoniam ibi episcopus à Papa facultatem impetrandam curauit, vt in ecclesia Londoniensi nouam dignitatem erigeret. Item quoniam noua dignitas creati non potest, quin cæteris ea creatio noceat. Cæterum probabilis est, quod Antonius, & Abbas in eo tradiderunt, posse, quia cultus Diuinus augeatur, & cæteris parum, aut nihil detrahatur, aut officites tamen vt cautius fiat, Papa sepe constituit.

Vndecimo quaeritur, An episcopus possit Canonicorum numerum minuire? Respondeo, si iusta subest causa, posse, secus non item, velut, si redditus annui Canonicorum facti sint tenues: nam sicut eo ipso quo facti sunt vberiores, Canonicorum numerus licite augeatur, vt diuinus cultus in ecclesia sit maior sic etiam, si redditus decreuerint, numerus Canonicorum iure minuitur, vt redditus tantum sint, quanti sufficiant ad Canonicos honeste, & commode sustentandos.

Duodecimo quaeritur, An episcopus, vel Canonici possint aliquam dignitatem in ecclesia Cathedrali, vel Collegiata suppressere, & extinguere? Respondeo, posse: ut constat ex e. Cum accessissent, de Constitut. dignitas, vel Canonicatus, & quoduis beneficium tunc suppressitur, ac extinguitur, cum sit, vt amplius non sit, & redditus eius ad vtilitatem Personatum, vel Canonicorum, vel clericorum destinatur: ac proinde nunquam amplius suppressum, aut extinctum beneficium vacat, quoniam amplius non est.

Decimo tertio quaeritur, An si numerus Canonicorum sit auctoritate Papæ constitutus, vel confirmatus, possit ab episcopo, vel Canonici minui, vel suppressi? Respondeo, posse, cum iusta subest causa, quando redditus nempe decreuerint. Et idem iuris est de dignitate auctoritate Papæ creata: quæ dignitas, iusta etiam de causa suppressi, & extingui potest.

Decimo quarto quaeritur, An Episcopus, vel Collegium Canonicorum possit numerum minuire, vel dignitatem aliquam extinguere, si præbendæ sint ex bonis licitis alterius fundatæ, & institutæ? Respondeo minime, si ne consensu fundatoris, vel hæredis, solum enim id facere quando præbendæ sunt ex communibus Canonici eorum bonis fundatæ, vel ex bonis episcopi, aut ipsius Ecclesiæ institutæ. Hæc ex Abbate, Felini, cæterorum, quo sententia loco citato.

Decimo quinto quaeritur, An possit episcopus beneficium suppressere coniungendo mensæ suæ soli, vel suæ mensæ, & simul mensæ Collegij Canonicorum? Respondeo, minime. Id enim est in Cl. Si vna, de reb. Eccles. non aliter interdictum, ita vt irritum sit, si fiat. Potest tamē cui libet

alteri praebeant, dignitati, Capellanis, vel beneficio annectere, & coniungere, sicut vniuerso de excess. praelat. potest etiam ita suppressere, vt eius redditus perpetuo impendantur in vsu fabricae ecclesiae ipsius, *collegitur ex Clem. si vna, modo citata.*

CAP. XXXI.

De commendationibus, quibus Ecclesia, vel beneficia in perpetuum, vel ad tempus alicui commendantur.

Sciendum est, esse modum quandam acquirendi beneficium, quo ecclesia commendatur alicui, vt eam non tituli, sed commendationis iure in perpetuum, vel ad tempus sua cura, & diligentia administret.

Primo quaeritur, Quot modis ecclesiae, vel beneficia commendantur? Respondeo, duobus, Ad tempus scilicet, vel in perpetuum. Ad tempus alicui commendatur ecclesia; cum Pastore, vel debito sibi ministro destituta, vel viduata, alterius fidei & curae committitur, donec idoneum Rectorem acceperit: ac proinde is cui Ecclesia commendatur, veluti depositarius censetur, apud quem est deposita ecclesia, habetur item tanquam custos, tutor, siue curator. Commendatarius, cui ecclesia ad tempus administranda committitur, non dicitur Beneficiarius, quia nec primo, nec sibi possidet, *Rota in decisionibus. 244. in Antiquis. nihil enim aliud est commendare, nisi deponere. l. Commendare ff. de verbo, significat. l. Lucius, ff. de posit. Is autem qui deponit, est dominus rei depositae. l. Res commendata. ff. Commodati.* Porro commendatur ecclesia in perpetuum, cum committitur alicui, vt eam administret, & regat, dum viuat. Hoc modo commendatur ecclesia ob bonum eius cui gubernanda committitur: at vero primo modo commendatur ob bonum ipsius ecclesiae commendatae.

Secundo quaeritur, An noua sit res, & olim iniurata, ecclesiam commendare? Respondeo, rem esse antiquam, commendare ecclesiam alicui ad tempus regendam. Etenim Greg. Lita commendauit Panormitanam ecclesiam, vt patet ex cap. Obisum, dist. 61. Item ecclesiam Neapolitanam li. 11. Epist. 7. ecclesiam Terracinenam c. Relatio, & c. Illud, 21. q. 1. Pelagius I. episcopo Messanenensi commendauit ecclesiam Catanensem, c. Catanensis, dist. 61. Apud Nicephorum li. 11. Historia Ecclesiastica, extat epist. Athanasij, vbi ait, sibi additam, & commendatam ecclesiam administrandam. In Historia Francorum, & in vita S. Remigij legimus, eum cum esset episcopus Remensis, septem annis ecclesiam aliam commendatam rexisse. Item c. Qui plures 21. q. 1. Decretum memoratur Leonis Quarti, vt vnus possit duas ecclesias habere, vnam iure tituli, alteram iure commendationis: Et hic, cui commendatur ecclesia, suae administrationis reddere rationem cogebatur, quippe qui tanquam depositarius, & custos ecclesiam administrabat. Modus vero quo alicui in perpetuum commendatur ecclesia, res noua est & praeter Canones, vsu & consuetudine in ecclesiam inducta.

Tertio quaeritur, Ad quantum temporis spatium, Parochialis ecclesia iure commendari queat? Respondeo, ad sex menses tantummodo, c. Nemo, de elect. in sexto. Quares, An sex mensibus elapsis possit episcopus Parochialem ecclesiam ad alios sex menses commendare? Respondeo cum Glossa in praedicto c. Nemo. minime; nam esset in fraudem legis, qua constituitur in c. Commissa, de elect. in sexto. Hoc tamen locum non habet cum episcopus ecclesiam Parochialem commendat, eo quod Rector eius sit vel mente captus, vel absens nullo relictio Vicario: tunc enim episcopus ius habet ecclesiam commendandi quandiu durat Rectoris amentia, vel absentia, etiam finito semestri. Item Collegium Canonicorum sede vacante potest ecclesiam Parochialem commendare etiam post sex menses elapsos, si post semestre finitum, nondum fuerit creatus Antistes, deinde Parochialis ecclesia non potest episcopi auctoritate

commendari, nisi Clerico etate legitima habenti, videlicet, annum vigesimum quintum aegenti, *Glossa eodem c. Nemo cit. & non nisi ad Sacerdotium promotus, vt possit interim sacerdotis munus, & officium obire. Glossa in praedicto c. Nemo. Praeterea, non potest episcopus nisi vniam tantum ecclesiam Parochialem commendare, nec nisi euidenti necessitate, & vtilitate ipsius ecclesiae cogente, praefato c. Nemo.*

Quarto quaeritur, An ecclesia commendata omni ex parte naturam, & conditionem depositi sequatur? Respondeo, minime: nam Commendatarius potest ex redditibus ecclesiae commendatae impensas facere, alimenta capere, debita soluere, sicut is, qui iure tituli ecclesiam obtinet: quae non potest depositarius ex rei depositae suilib. *Archidiaconus in c. Quis plures 21. q. 1.*

Quinto quaeritur, An Commendatarius titulum Ecclesiae commendatae habeat? Respondeo, Iuris Pontificij consultos Italos communi consensu docere, commendatarium non habere titulum, Gallos vero oppositum docere, videlicet ratione commendationis ecclesiam iure & loco tituli obtineri, & quia genus quoddam tituli Canonici sit, ecclesiam commendatam habere. Hinc oriuntur multae differentiae: nam apud Gallos commendatarius pro Beneficiario habetur: vnde si fuerit episcopus, vel abbas, simpliciter Praelatus censetur, apud Italos Commendatarius pro praelato, vel Beneficiario non habetur. Deinde, in Gallia, cum commendatarius de viuis excedit, ecclesia commendata vacare dicitur; in Italia vero, non item. Vnde si commendatarius in Curia Romana moratur, non iudicatur ecclesia Commendata in praedicta curia vacasse, sed ibi, vbi primum vacauit, antequam commendaretur: & de contrario, si Commendatarius extra curiam Romanam obierit, ecclesia dicitur in praedicta curia vacasse, si reuera in ea vacauit, antequam commendaretur. Ideo ex sententia Italorum, Commendata ecclesia nequit commutari cum alia, quae iure tituli habeatur: at secundum Gallos, ea ecclesia commutari potest, quia commendatarius secundum eos, est verus titulus. Canonici. Item Commendatarius, perpetuo comorari, & residere in ecclesia non cogitur, & simul cum ecclesia commendata alteram habere iure potest ratione tituli, cum tamen vniusque titulum nequeat obtinere: quamuis, vt dixi superius, Concil. Trij. circa hoc quaedam statuerit.

Sexto quaeritur, An ecclesia commendata tanquam vacans impetari, & obrineri queat? Respondeo, si quis eam impetret nulla facta mentione commendationis, impetratio subreptitia iudicatur, ac proinde irrita & inanis. *Archidiaconus, Dominicus, Francus in c. Nemo. de elect. in sexto, & Calderinus consilio sexto, & 30. de Praben.* Quoniam licet secundum Gallos, ecclesia commendata, tanquam vacans habeatur, debet mentio fieri, etiam si solum ad tempus fuerit commendata, eo quod Papa iuri alicuius derogare non creditur, c. Super eo, de offic. iud. deleg. & c. Quamuis, de rescriptis, in sexto. Idem, quia ecclesia commendata non omnino vacare dicitur, cum eius possessionem, & administrationem Commendatarius habeat. Quares, An episcopus, qui ad sex menses commendauit ecclesiam, possit eam nutu suo ante semestre tempus reuocare? Respondeo Rubuffus in Praxi benefice part. prima, titulus de Commend. numero 58. minime; quia est secundum Canones ad sex menses commendata, cap. Dudum, de elect. in sexto, nisi episcopus commendauerit, clausula adiecta *Donec ipse voluerit*: tunc enim commendasse videtur ad nutum suum intra sex menses. Alij vero sentiunt eum posse simpliciter reuocare: at Commendatarium perpetuum ipsa etiam Papa, sine causa iusta non auouet.

Septimo quaeritur, An ecclesiam quam Romanus Pontifex commendauit, possit episcopus conferre post elapsum tempus, intra quod est commendata? Respondeo, minime: quia eo ipso, quod Papa commedauit, censetur ecclesia affecta, vel referuata, hoc est ipsius iuri, & potestati ira subiecta, & obnoxia, vt eam nullus conferre queat.

937

Octavo queritur, An Commendatarius possit coram ordinario ecclesia sibi commendata cedere? Respondeo, distinguendo: aut ecclesia est ad tempus ob bonum ipsius commendata, iuxta id quod habetur in *cap. Nemo de elect. in sexto*, & hac potest quidem Commendatarius coram Ordinario absolute, & simpliciter cedere, non tamen gratia & favore alterius, quia ius, & titulum in beneficio non habet: & intra sex menses potest episcopus quandoque voluerit, ecclesiam commendatam repetere, Aut ecclesia commendatur in perpetuum, hoc est, ad vitam Commendatarij, & hanc post Commendatarius coram Romano Pontifice, non autem Ordinario deponere ob favorem, & gratiam alterius, quia quasi ius, & titulum habet in ea. *Ioan. Monachus in cap. Nemo de elect. in sexto. Nicolaus Milis in verbo beneficium, §. vigesimo quinto. Fructus item suos facit Geminianus consil. 18. num. 13. Re. n. 31.* Præterea habet liberam potestatem statuendi tum de temporalibus, tum de spiritualibus. *Abbas in c. Cum nobis olim de elect.*

Nono queritur, An Commendatarius ratione ecclesie sibi commendatæ habeat ius nominandi, eligendi, conferendi vel institutiendi? Respondeo, habere, quia hæc omnia in fructibus beneficij computantur. *Rebuffus loco citato, n. 61.* Pari ratione, potest locare possessiones, & fructus, quos percipit, vel habere ratione Ecclesie commendatæ. *Rebuffus ibidem nu. 62.* nam habet liberam administrationem, ut constat ex c. *Relatio, §. c. Quia plures 21. q. 1. §. c. Cum nobis olim de elect.*

Decimo queritur, An is qui Ecclesiam habet iure tituli, possit eam habere commendatam? Respondeo, auctoritate Pape, non autem Ordinarij, fieri posse, ut qui ius, & titulum habet in beneficio, incipiat illud ipsum beneficium tanquam commendatum deinceps habere, sine vlla alia illius beneficij renunciatione. Sed quid, si ecclesiam habeat commendatam, nunquid potest iure tituli in posterum habere absq; hoc quod ei denuo conferatur? Respondeo, cum *Rebuffo loco citato, numero 50.* Papa non consuevit, ecclesiam alicui commendatam eidem iure tituli conferre, nisi eam Commendatarius expressim dimittat, & Papa denuo conferat.

Vndecimo queritur, An qui ius habet conferendi beneficium, habeat quoque auctoritatem commendandi? Respondeo distinguendo: aut is habet potestatem conferendi iure communi, & hic potest etiam commendare ad tempus, ut est Episcopus; aut habet iure speciali, scilicet privilegio, prescriptione, vel consuetudine, & hic eo ipso commendare non potest, quales sunt Ordinarij multi Episcopo inferiores. è contrario vero aliquando, qui conferre non potest, commendare potest, ut si ius conferendi sit ad Papam deuolutum, iuxta id quod habetur, c. 2. de concess. pra. similiter quoque si ad Collegium Canonicorum potestas conferendi sede vacante deuoluitur, eo quod Ordinarius inferior beneficium conferre neglexerit iuxta id quod dicitur c. 1. de Instit. in 6.

Duodecimo queritur, An si Papa Titio Clerico ecclesiam commendet simpliciter, hoc est, nec certum tempus, nec perpetuum exprimendo, in perpetuum, hoc est, ad vitam eius commendasse videatur? Respondeo, videri: quia cum non in perpetuum, sed ad tempus commendat, solet certum illud tempus exprimere.

Decimo tertio queritur, An Episcopo commendante ecclesiam Parochialem Titio ad sex menses, possit ipse Titius à Papa impetrare temporis prorogationem? Respondeo, eo ipso quod elapsi sunt sex menses, ecclesiam desinere esse commendatam, ac proinde totum, quod fecit Episcopus, finitum est: sed antequam sex menses prætereat, potest Titius à Papa petere, ut ecclesiam obtineat commendatam in perpetuum, hoc est, ad vitam, dummodo tamen declaret, se eam habere commendatam ad tempus, alioqui impetratio subrepticia censetur. *Reb. loco citato, n. 31.*

Decimo quarto queritur, An spurio possit ecclesia

commendari? Respondeo, minime, quia beneficij capax non est, & quia Ordinarius facultatem concedere nequit, ut lege solutus beneficia Parochialia, vel cura animarum prædicta habere queat: quare eiusmodi beneficia ei commendare non potest.

Decimo quinto queritur, Quæ beneficia soleant commendari? Respondeo, Episcopum de ecclesiam Parochialem ad sex menses commendare: alia itidem beneficia, quibus inest animarum cura. Simplicia beneficia commendari non solent. Cæterum Abbatis, Prioratus, Præposituras solus Papa commendat: solus item ipse ius habet commendandi beneficia Regularia, quoniam exempta sunt.

Decimo septimo queritur, An beneficia Regularia certi alicuius Ordinis iure tituli, an potius iure commendationis Religiosis eiusdem Ordinis, & instituti Regulariam professis dentur? Respondeo, cum *Rebuffo loco citato, n. 46.* Regularia beneficij Ordinis Sancti Spiritus in Saxia, & Sancti Iohannis Hierosolymitani, & Sancti Antonij Viennensis, & Sanctæ Mariæ Theatonorum iure conferri, non commendari: & sic, inquit *Rebuffus*, statuit *Alexander V. l. in de Signatura gratia*, & Magistri, siue Præceptores horum Ordinum in litteris, quibus beneficia concedunt, plane testantur se ea beneficia conferre. Nec obstat eos esse Religiosos voto paupertatem professos, quia beneficia habeat Regularia ad Superioris nutum reuocabilia, quæ ob id beneficia manualia vocantur.

Decimo octavo queritur, An quando quis ecclesiam Parochialem obtinet iure tituli, petitque à Rom. Pontifici sibi alteram Parochialem committere, & Papa respondet, *Fiat, ut petitur*, ambas possit ecclesias simul habere? *Rebuffus n. 42.* responder, primam ecclesiam dimittere debere, quoniam Commendatarius titulum Canonicum in beneficio habere dicitur: Alij vero respondent, ambas posse ecclesias pariter habere, quia iure communi duæ ecclesie possunt simul obtineri vna collata, altera commendata c. *Quia plures 21. q. 1.* Rursus alij censent, cum ecclesia ad tempus commendata posse simul haberi alteram iure tituli obtentam: sed eam ecclesia commendatur in perpetuum, hoc est, ad vitam, cum altera iure possessa haberi non potest, nisi iuris rigor auctoritate Romani Pontificis remittatur, quem rigorem Papa in prædicto responso laxare videtur.

Decimo nono queritur, An cum Papa beneficium, vel Ecclesiam commendat alicui, nulla alia adiecta clausula, Commendatarius liberam habeat potestatem de fructibus eius statuenti: negat *Rebuffus*: ac proinde, inquit, solet Papa cum Ecclesiam in perpetuum commendat, clausulam apponere his verbis: *Vt commodius onera sustentare queas, de alicuius subventionis auxilio providere cupiones: tale Monasterium, vel beneficium auctoritate Apostolica concedimus, commendamus, & providemus, per te, quamdiu vixeris, tenendum, & possidendum, ita quod durante commenda huiusmodi, de fructibus redditibus & proventibus, ipsius Prioratus, N. disponere, & ordinare valeas, sicut veri Priores ipsius Prioratus, qui fuerint pro tempore, ordinare & disponere potuerunt, & debuerint, alienatione tantum bonorum immobilium, & praesertim mobilium ipsius Prioratus N. tibi penitus interdita.*

Vigesimo queritur, Quibus de causis sit vsus introductum, ut ecclesie commendentur? Respondeo: olim commendari consuevit ecclesiam ad tempus, donec idoneus Rector eligeretur, & crearetur: Et quia sæpe Rectorum electio ob dissidia, & lites differebatur, commendari cœperunt ecclesie ad sex menses. Eadem etiam ratione introductus est vsus commendandi ecclesiam Regulares. Et quia labentibus in deterius Religiosis Monachorum Ordinibus, decreverat cœpit ipse Monachorum numerus, ita ut Cœnobis Monachis destituerentur: factum est ut idonei Regulares vix reperirentur, qui cœnobijs seu Monasterijs præsentent: ac proinde Romani Pontifices cœperunt ecclesias Regulares Clericis nulla Monastica & Regula, & voto adstrictis committere regendas ad tempus

Papa igitur multis de causis solet beneficia commendare. Primo Clerico legitimam ætatem nondum habenti, vel noadum ad Sacerdotium promotum, quod ad beneficium requiritur, dat Ecclesiam, vt commendatam interim habeat: & postea legitimam ætatem consecutus, iure tituli obtineat. Clerico itidem vnum beneficium habenti, dat aliud beneficium, quod cum priore simul iure haberi non potest, vt secundum habeat commendatum ad certum tempus, & postea demisso primo iure tituli obtineat secundum. Præterea seculari Clerico commendat, non confert beneficium regulare, donec ad certum tempus profiteatur eam Religionem, cuius est beneficium: vel commendat in perpetuum, vt ad vitam habeat non emissa Religionis professione. Et hac ratione Cardinales commendatas solent habere Abbatias, & Prioratus Regulares. Item Religioso certi Ordinis, & Instituti Regulam professi, commendat beneficium alterius Ordinis. Præterea Regularibus commendat, non confert beneficia secularia.

Vigesimo primo quaeritur, An de beneficijs in perpetuum commendatis sit iudicandum perinde, ac de beneficijs iure tituli collatis? Hanc quaestionem libro proxime sequenti commodius dilucemus.

CAP. XXXII

De mandatis Apostolicis.

DE hac materia Rebuffus in concordia, tit. de Mandatis Apostolicis. Staphileus in tractatu de gratijs expectat. & Mandat. de prou. & Petrus Gregor. in Syntagm. l. 7. c. 11. Inter genera distribuendorum, & conferendorum beneficiorum vnum est vfitatum, quo per diplomata Pontificia, quæ vulgo Mandata Apostolica de prouidendo, & gratiæ expectatiuæ appellantur, beneficium conferri solet. Mandatum Apostolicum est omne rescriptum, quo summus Pontifex iubet beneficium alicui conferri, c. Mandatum, de rescrip. c. Si ea, de concess. Præbend. in sexto. Olim episcopi singuli beneficia dispensabant, quorum auctoritati in beneficijs concedendis aliquid derogare veteres Romani Pontifices noluerunt, ne Ecclesiasticus ordo perturbati, & confundi videretur, & vt singulis Episcopis sua iurisdictione seruetur. c. Peruenit. l. 1. q. 3. vnde nec beneficia vacantia cõferebant, nec ius ad vacatura tribuebant, tum ne Episcopis iniuriam inferre viderentur, vt ait Panormitanus c. Olim, ad finem de verbor. significat. tum ne ad alterius mortem captandam optandamvè, ansam præberent, c. 1. l. 2. c. 3. c. Post electionem, de concess. præb.

Porro hic vsus diu videtur esse in Ecclesia retentus: cuius rei argumentum afferunt quidam illud probabile admodum, quia anno salatis 1150. Mandatorum Apostolicorum vsus incognitus fuisse, coniectura est, quod in toto decretorum volumine, quod circa eum annum à Gratiano Monacho editum esse prohibetur, vt ait Gloss. c. post appellationem. §. Forma, 2. quest. 6. nullum exemplum, nullave mentio horum mandatorum reperitur, vt scribit Ioan. Andreas in ca. Duobus, de rescrip. in sexto. Sunt qui putent, vsus huiusmodi mandatorum, à Alexandri III. tempore cœpisse, vt constare potest ex c. Eam te, de rescrip. quem deinde morem seruaui Innocentius III. c. Dilectus 2. de præbend. & Honorius III. c. Capitulum de rescrip. Gregorius IX. cap. Mandatum. c. Litteris. & c. Abbatem. de rescrip. Innocentius III. cap. 1. de concess. præbenda. in sexto Bonifacius VIII, c. vl. eo. tit. & lib. Clemens item V. Clem. 1. eo. tit.

De his mandatis Apostolicis egit Ioan. Andreas in Additionib. ad Speculatorem in Rubrica de concess. præbend. & in cap. Duobus, de rescriptis in sexto. Ancharanus Clem. 1. de concess. præbend. Staphileus nouem formulas mandatorum Apostolicorum, siue gratiæ Expectatiuarum collegit, in suo tractatu de litteris gratiæ, & Gomezius in tractatu de mandatis Apostolicis de prouidendo. Opusculum quoq; edidit huiusmodi de mandatis Apost. Leobinus Dalerius, Gallus Iuriconsult. & Rebuffus quoque Gallus.

Primo quaeritur, Quidnam mandati Apostolici nomine veniat intelligendum? Respondeo, sciendum esse: cum olim quidam episcopi, potestate conferendi beneficia abuterentur, indignis dignis præferendo, capit. Gratia, de præbendis, & sacris Ordinibus à se initiatos immerito repellendo, capit. Accipimus, de astat. & qualitate, cœpere Pontifices Romani per diplomata Pontificia Ordinatis præcipere, vt his, vel illis Clericis beneficia vacantia, vel primo quoq; tempore vacatura conferrent: ex quo factum est, vt huiusmodi litteræ Apostolicæ vulgo vocari cœperint mandata Apostolica de prouidendo, & gratiæ itidem Expectatiuæ.

Secundo quaeritur, Quot fuerint genera huiusmodi litterarum Apostolicarum? Respondeo, fuisse tria: Alie litteræ dictæ sunt, monitoriæ, alie Præceptorie: alie Executoriæ, c. Constitutus. c. Ex infirmatione. c. Capitulum, cap. Mandatum. e. Litteris, de rescrip. Primum enim Romani Pontifices, Episcopos monere, & rogare consueverunt, vt idoneos Ecclesijs Clericos præficerent. Cum ex eo, de Elect. in 6. præsertim quos ad sacros Ordines, sine beneficio vlllo promouissent, c. 2. c. Episcop. de præb. c. Accipimus, de astat. & qualitate. Nonnunquam etiam certum Clericum exprimebant, quem ob insignem morum, & vitæ probitatem, ac singularem litteraturam, aut collatum aliquod in Romanam ecclesiam meritum, hoc præmio remunerandum esse iustum putabant, c. Cum dilectus, de Clericis in v. rescrip.

Deinde si constabantur Ordinarij, si preces, & monita ægre ferebant, immo etiam aliquando contemnebant: iterum ad eos Pontifex litteras dabat, vt designato Clerico beneficium conferrent. Crescente vero Ordinariorum contumacia, tertio litteras scribebat Pontifex, quibus certos executores destinabat, qui vel ipsos Ordinarios ad dandum beneficium adigerent, vel ipsi conferrent: vnde illi dicti sunt executores ad compellendum. Glossa in cap. Si capitulo, de Concess. præb. in sexto. & hi dicti sunt Executores ad prouidendum. c. Abbat. de rescrip. & c. Proposuit, de Concess. præb. Porro ex trib. illis pontificiarum litterarum generibus duo prima in defectu ordinem abiere, ac solæ executoriæ litteræ in vsu sunt, vt ait Panormitanus c. ex infirmatione, de rescrip.

Tertio quaeritur, An vsus huiusmodi mandatorum Apostolicorum sit omnino contra Canones? Doctores Gallici hunc vsus tanquam Canonibus aduersantem improbant: Primo, quia hoc vsu Ecclesiasticus ordo confunditur: non enim Episcoporum libera iurisdictione, & auctoritas seruat, eo quod eorum potestati in beneficijs conferendis multum detrahitur. Secundo, hinc datur occasio optandæ, & captandæ mortis. Tertio, quia Episcopi Clericos sibi subiectos multo melius agnoscunt, quippe quos præfentes habent, quam Papa, cum ab vrbis finibus longe remoti. Quarto, quia Clerici sua oppida, & prouincias deserunt, & Romam se conferunt, vt litteras Apostolicas impetrēt, quibus beneficia consequantur. Quinto, quia hic vsus videtur esse introductus vt Romanus Pontifex Beneficiarijs pensiones imponat: ex quo fit, vt beneficia nimis onerentur, & pensiones exteris soluantur, & pecuniæ ex prouincijs, & Regnis extrahantur. Hæc Galli Iuriconsulti contra mandata Apostolica, & gratias expectatiuas.

Verum enim uero quamuis in hac consuetudine, sicut & in alijs rebus omnibus humanis, aliqui possint abusus irrepere, negari tamen non potest, quin aliquæ etiam inde utilitates oriuntur. Primum Romanus Pontifex liberam habet potestatem conferendorum beneficiorum, c. 2. de præbend. in sexto, & Clem. 2. vt iure pendenti. Item Romanæ Curiæ in interest, vt Papa beneficia conferat ijs, qui sunt de sede, & ecclesia Apostolica, & de Christiana Republica optime meritis: his itidem, qui in eadē Curia deseruiunt. Deinde maxime rationi consentaneum est, vt Clerici pauperes, qui solent nonnunquam ab Ordinatis contemni, eorum auxilio destitui, auctoritate, & officio

Papæ beneficiis donentur. Præterea æquum etiam est, ut litterati homines, & præsertim ad honorificos studij litterarum gradus euecti beneficia consequantur: quos idem Ordinarij aliquando repellunt. Dignum quoque est, ut Clerici ad sacros Ordines sine beneficiis promoti, officio Romani Pontificis, Ecclesijs præstantur.

Quarto quæritur, Quot sint genera litterarum Apostolicarum, quæ gratiæ expectatiuæ dicuntur? Stabileis in tractatu de gratiæ expectatiuæ, nouem, aut decem formulas receperit. Huiusmodi litteræ Apostolicæ semper ius aliquod tribuunt ad beneficia vacatura. In primis igitur Romanus Pontifex litteras concedit Apostolicas, quibus aliquem in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata Canonicum abique præbenda creat, & certum executorem constituit, qui ei primo vacaturam præbendam conferat. Secundo litteras Apostolicas dat, quibus concedit, ut Titius in una Ecclesia Canonicus ius habeat ad Canoniam in alia Ecclesia primo quoque tempore vacaturam. Tertio, ut Titius in certa Ecclesia Canonico simplex beneficium in eadem, vel alia Ecclesia conferatur. Quarto solet concedere facultatem, ut Titius ad dignitatem promotus possit primum beneficium, quod iure cum ea dignitate haberi non possit, ad certos annos, puta ad tres, vel quinque sibi retinere queat, ut ex eius fructibus debita persoluat. Quinto, solet item concedere, ut quis creatus Episcopus, retineat ad aliquot annos beneficia, quæ habebat. Sexto facultatem per litteras Apostolicas dat, ut Titius Regularem vitam professus habeat ius ad aliquod beneficium sæculare obtinendum. Item, ut Titius certam Ordinis instituti Regulam professus, ius habeat ad aliquod beneficium Regulare alterius Religionis & Ordinis.

Quinto quæritur, Quot sint genera mandatorum Apostolicorum? Respondeo, in primis, à Romano Pontifice diplomata, & litteras dari, quæ dicuntur, In forma pauperum, vel in forma communi, vel litteræ iustitiæ, vel, Cum secundum Apostolum. Papa enim scribit litteras vel ad Ordinarios, vel ad certos executores à se destinatos, quibus præcipit, ut Titio Clerico pauperi, & egeno beneficium, aut iam vacans, aut vacaturum conferant. Dicuntur litteræ iustitiæ: non quia non dantur à Papa gratis & liberaliter: sed quia inter omnes alias litteras Apostolicas plus æquitatis, & iustitiæ habere videantur: quippe quibus Papa præcipit, ut Clerico pauperi, & ad Ordines sacros promotio beneficium concedatur: talibus enim Clericis æquum est, & iustum beneficia dari, cum Ecclesiæ bona sint, eaque ad sustentandos pauperes instituta; & secundum Canones Episcopus eo ipso quo aliquem ad sacros Ordines promouebat, beneficium ex quo honeste sustentaretur, dare cogebatur. Vocantur etiam litteræ in forma pauperum, quoniam dantur à Papa iuxta eam formulam, ob quam causa pauperum solet ad Ordinarios scribere. Eadem ratione dicuntur litteræ datæ in forma communi: eo quod causa quoque Clerici pauperis, & indigentis eas dare Papa consueuerit. Ad extremum, litteræ cum secundum Apostolum nominantur, quia earum initium tale est: *Cum secundum Apostolum: Qui altari seruit, de altari viuere debet, & quæ sequuntur.*

Aliæ litteræ Apostolicæ dicuntur, datæ in forma Dignum: & sunt illæ, quas Papa scribit ad locorum Ordinarios, vel executores, à se constitutos; quibus præcipit, ut Clerico ob generis nobilitatem, vel litterarum scientiam, vel vitæ probitatem, vel denique ob alia in Ecclesiam merita beneficium conferatur. Et quoniam huiusmodi litteræ incipiunt in hunc modum: *Dignum arbitramur; idem nomen acceperunt, non quod dignum non sit, causa etiam aliorum Papam scribere; sed quia magis dignum sit, ut talibus, vel beneficium vacans detur, vel ius ad primum vacaturum concedatur: & in huiusmodi litteris semper Papa præcipit, ut eius; cuius gratia scribit, litteratura examinetur: hac clausula posita: Mandamus, quatenus si post diligentem examinationem, dilectum N. ad obtinendum*

beneficium idoneum esse repereris: super quo tuam conscientiam intractabis: eisdem auctoritate Apostolica conferas.

Aliæ litteræ appellantur, *Rationi congruis*: quia tale initium habent: *Rationi congruis, & conuenis honestati, & quæ sequuntur.* Dari solent huiusmodi litteræ, quando aliquis Papæ supplicem libellum obrulerat, petens ut sibi aliquod beneficium daretur, cuius precibus, & votis Pontifex annuerat: sed antequam Pontificum diploma subscriptum more solito tradidisset, è vita decessit. Quare Pontifex deinde succedens, solet gratia eiusdem Clerici Pontificias litteras concedere, quibus ad Ordinatios, vel executores certos scribens ait: *Rationi congruis, & conuenis honestati, ut ea qua de Romani Pontificis gratia, seu benignitate in proseguendo iusta desideria petentium processerunt: & quæ sequuntur.*

Sunt etiam aliæ litteræ, hoc nomine: *Si Neutri, si Nulli, vel Si alteri*, quæ litteræ conceduntur à Papa hac de causa: Inter duos est lis orta de aliquo beneficio Ecclesiastico: alter illorum impetrat à Papa litteras, ut sibi beneficium conferatur, ea conditione: si alteri litiganti ius in beneficio quaesitum non sit, & dicuntur litteræ, *Si alteri*, quod si amobus litigantibus tertius à Papa impetret hac lege, ut si neutri litigantium ius conueniat, ipsi beneficium detur, dicitur obtinuisse litteras, *Si Neutri*. Quando vero tres de beneficio litigant, & alius litteras impetrat à Papa, ea conditione, ut si nulli litigantium sit ius in beneficio acquisitum, ipsi beneficium conferatur, dicuntur litteræ, *Si Nulli*. Omnes igitur huiusmodi litteræ Apostolicæ super beneficio litigioso dantur, quod si litigiosum non fuerit, nullius sunt momenti, nec locum habent, quando alteri est ius in beneficio acquisitum. Vnde est Regula 16. *Cancellaria* de non tollendo ius alteri quaesitum, quæ sic habet: *Item ne per varias quæ pro commissionibus seu mandatis, & declarationibus habendis, in causis plerumque sunt suggestiones, iustitia postponatur: Idem Dominus noster decreuit, & declarauit suæ intentionis fore, quod deinceps per quamcumque signaturam, seu concessionem, aut gratiam, vel litteras Apostolicas pro commissionibus, seu mandatis, aut declarationibus huiusmodi, etiam si motu proprio, & ex certa scientia, ac etiam ante motam litem à sanctitate sua emanauerint, vel de eius mandato faciendas, nulli sibi quaesitum ius quomodolibet tollatur.* Quæ Regula est admodum iuri naturali consentanea, ne vnde iura nascuntur, iniuriæ nasci videantur. *Unde mamineris. C. unde vi, & cap. Denique, de cetera quarta quaestione quinta, ex Aubrosio illud refertur: Si non potest alteri subueniri, nisi alter la datur: committitur est neurum iuuari quam grauari alterum.* Hæc ibi. Quo fit, ut si in huiusmodi litteris sit adiecta clausula: *Non obstanto quancumque collatione*, locum habeat in ea, quæ iure non valet: non in ea, quæ rata est, & firma, ne ius alteri quaesitum tollatur.

Sexto quæritur, Quæ beneficia in mandatis Apostolicis comprehendantur? Respondeo, omnia, quæ nominatim excepto in iure non reperiuntur. *c. Mandatum de rescrip. Excipit autem ius, Primo dignitates electiuas, cap. Cum in illis, de præben. in 6. & Clem. 1. de præben.* Secundo, beneficia patronis laicis obligata. *cap. Dilectus De iurisdictione.* Tertio, beneficia, quibus cura animarum inest post litteras datas à Papa. *Clem. ult. de rescrip. & Clem. 1. de præben.* Quarto, beneficia iam ante suppressa, & extincta, *c. Cum accessissent, de Constitutioni.* Quinto, beneficia, quæ ad mensam Episcopi, vel alterius Prælati pertinent: quippe cui sunt vnita, & coniuncta. *Clem. 1. & Quadam etiam, de excessib. Prælat.* Sexto, beneficia, quæ Papæ potestati reuertuntur, vel quæ affecta esse dicuntur: hoc est, ita iuri, & potestati Papæ obnoxia, & adstricta, ut ea nullus conferre queat. Septimo, beneficia ante litteras à Papa datas à cui copulata, & annexa, ne ius alteri quaesitum auferatur. Octauo, beneficia, quæ Monocula vocantur. *Gloss. in Clem. 1. de præben.* beneficium Monoculum appellatur, quod est vnicum in aliqua Ecclesia, ciuitateve, ad alicuius Ordina-

rius, & potestatem conferendi pertinet: tunc enim cum Ordinarius nullum aliud beneficium nisi illud conferre possit, non est verisimile Papam per clausulam generalem Ordinarium spoliare velle iure, quod habet vnum beneficium conferendi: ne cum vnicuique velut lumine, quo fruitur, prout videatur, propterea etiam si litteræ Apostolicæ, gratia alicuius Clerici pauperis data sint, quibus præcipitur, ut conferatur ei beneficium certæ Ecclesiæ, oppido, vel loco tantummodo fuerit beneficium, non includitur illud beneficium: quia verbum *quodcumque*, in iure intelligi, & dici non solet de vnicuique duntaxat, sed de pluribus.

Septimo quaeritur, An Mandatarius Clericus cuius gratia litteræ Apostolicæ sunt datæ, suum consensum intra certum tempus præstare debeat in beneficio primo vacante, & sibi conferendo siue sibi debito? Respondeo, intra decem dies computandos ab eo die, quod de beneficio vacante factus est certior. *e. Si pluribus de preben. in 6.*

Quæres, An cogatur accipere beneficium primum vacans? Respondeo, cogi, alioqui mandatum Apostolicum finitur, ac definit. *e. Si Clericus de preben. in sexto*, nisi in fraudem beneficii vacatio contingeret: velut, si tenui beneficio sese abdicasset, ut illud Mandatarius Clericus obtineret, & excluderetur ab opulento, quod credebatur propediem vacaturum, ob mortem Clerici grauius & periculose ægotantis. *e. 2. de renuntiat. in 6.* Sed dubiter quilibet, debeatne Mandatarius accipere beneficium litigiosum, & cuius alter possessionem nactus sit? Respondeo, minime: neque enim culpæ ei dari potest quod noluit se litibus implicare. Quid vero, si adiecta sit in litteris Apostolicis talis clausula? *e. conferens beneficium, quod Mandatarius duxerit acceptandum*, ut dicitur in *cap. 1. de concessio preb. in 6.* Respondeo distinguendo: aut litteræ sunt à Papa datæ more proprio, aut ad alicuius preces. Si primum: tunc Mandatario optio datur eligendi, vel accipiendi ex pluribus beneficijs simul vacantibus, quod maluerit, si paria sunt, vel dandum est ei quod opulentiùs est, & quod pluris æstimatur: quod si litteræ datæ sunt ad preces alterius, tunc conferendum est beneficium, quod minoris æstimatur, vel si æqualia sunt, dabitur, quod voluerit is, ad quem spectat ius conferendi. *e. Si pluribus de preben. in 6.*

Octavo quaeritur, Quid iuris tribuat mandatum Apostolicum Clerico Mandatario? Respondeo, nec ius in re, nec ius ad rem tribuere. *Gloss. in v. Ad audientiam. 2. de refer. Sed ius & potestatem, executionis officium implorandi: qui, cum beneficium vacare contingerit, ei vel per se, vel per Ordinarium conferendum curat. e. Postquam de preb. in 6. e. Gloss. in v. Veniens de renuntiat.*

Nono quaeritur, Quando Mandatarij sint plures, quis eorum præferri debeat? Respondeo, eum esse præferendum, qui primus litteras Apostolicas impetrauit. *ca. Eum, cui, e. Quia sape de preben. in 6. e. Tibi qui, e. Duobus de refer. in 6.* Sed quid, si omnes eodem die litteras impetraverint? Respondeo, anteferri debere eum, qui prima hora litteras obtinuit, id si consulerit. *Gloss. in cap. Duobus de refer. in 6.* iuxta regulam Iuris in sexto. *Qui prior est tempore, potior est iure.* Potest autem hora constare, si probetur aliquorum testimonijs, vel si in ipsis litteris hora exprimat: quod si non constet hora, sed tantum dies, tunc melior est conditio possidentis. *e. Si à sede de preben. in 6.* Aliquando tamen secundus Mandatarius priori præfertur: ut puta si litteræ posteriores habeant clausulam, quæ dicitur. *Anteferri*: quo verbo Papa posteriorem Mandatarium vult anteferri quibusvis alijs prioribus, quorum gratia antea litteras dederat. *Gloss. in c. Quamuis de refer. in sexto, e. cap. Auctoritate, de concessio preb. eodem libro.* Si quis item Mandatarius in gratiam ante reuocatum restituitur, sine alterius damno, hoc est, non sublato iure, quod est alteri quietum, intelligitur restitutus: ac proinde alteri, qui ante restitutionem litteras Apostolicas impetrauerat, præferri non debet. *e. Quamuis citato.* Item si duo Pontifices

litteras causa duorum Clericorum dederint, ea præferuntur, quæ sunt datæ ab eo Pontifice, qui viuit. *e. Auctoritate prædicto.*

Decimo quaeritur, Quando mandata Apostolica finantur, ac desinant? Respondeo, in primis finiri, si qui litteras dedit, reuocauit, aut si successor Pontifex omnes gratias expectatiuas, aut mandata Apostolica ab antecessoribus suis antea dare rescindat. *cap. Quamuis citato.* Item, mandatum extinguitur, si gratia Apostolicæ iure Mandatarius cesserit expresse. *cap. Ad audientiam. 2. de refer. sane. e. c. Veniens de accusati. aut tacite: tunc vero tacite quis cedere mandato videtur, si uxorem ducat. e. 1. e. Diuersis de Clericis coniugatis: aut si beneficij, quod haberi non possit simul cum eo, ad quod obtinendum, Apostolicum mandatum accepit, possessionem adeptus fuerit. Clemens. Gratia de refer. in 6. e. ex transmissa de renuntiat. e. cap. Cum renuntiat. 2. quæst. 1.* Aut certam Religionis Regulam solemnè iurè professus est.

Quæres, An huiusmodi mandata obitu mandantis extinguantur? Respondeo, minime, *e. Si cui de preben. in 6.* quod quidem locum habet, cum mortuo Pontifice, res adhuc integra manet ita ut vagi, & tractari non ceperit. *e. Si super gratia, de offic. aud. deleg. in 6.*

CAP. XXXIII

Quenam beneficiorum conditiones sint necessario exprimende in mandatis Apostolicis.

DE hac tractat Glossa in *c. Super literis. verb. Littera*, & Felinus *c. In nostris, eod. tit.* Ioan. Selua in tract. de beneficijs. p. 3. q. 11. e. 12.

Primo quaeritur, An Generales beneficiorum conditiones in mandatis Apostolicis exprimi debeant? Respondeo, minime, quoniam huiusmodi conditiones tacite fabelle intelliguntur: sicut illa quoque, *Si preces veritate nitantur*, verbi gratia. Si Papa litteras ad Ordinarium dederit, quibus præcipitur, ut Titio beneficium conferat, intelligitur, si Titius nullo sit Canonico vinculo adstrictus, nullo crimine maculatus: si natalium vincium non habeat, si legitime sit litteratus, denique si aliqui sit idoneus, & dignus, has enim conditiones Canones, & Iura ipsa desiderant: *e. Cum adeo de refer. in 6. e. Causam qua de electione, e. c. Ex litteris de transacione, e. ibidem Glossa.* Quapropter cum is qui Clericus non est, petit litteras à Papa, in hunc modum petere solet, ut litterarum impetratio vim habeat: Titiuscum fieri Clericus percipiat: petis, & quæ sequuntur. Et tunc mandat Papa, ut ei cupienti Clericorum Ordines capessere, beneficium conferatur.

Secundo quaeritur, An in huiusmodi mandatis sit necessario exprimendus ordo Ecclesiasticus, quem beneficia requirunt? Respondeo, minime. *e. Si pro Clerico de preben. e. Glossa ibidem e. in eo ca.* huius rei ratio redditur: quia factus est, inquit, ut post beneficium obtentum, Mandatarius suscipiat ordinem intra tempus ipso iure sancitum, quem beneficium postulat: non igitur opus est, vt eo ordine sit initarius, quo tempore litteræ dantur à Papa.

Tertio quaeritur, An fieri debeat mentio de beneficio tenui, & modico, quod Mandatarius obtinet? Respondeo, debere fieri, quamuis tale beneficium sit valde modicum, & tenue. *e. Si proponente de refer. e. cap. Si motu, e. c. Non potest de preben. in 6.* litteræ igitur impetratæ subreptitiuè iudicantur, & proinde irritæ, si Mandatarius non expresse beneficium tenue, quod habet. Et hoc, restit. *Glossa*, locum habet tum si beneficium tacet, tum si se beneficium habere neget. siue idem beneficium taceatur per dolum, & fraudem, siue per ignorantiam, vel obliuionem, eo quod capita supra citata in vniuersum habent, fieri debere mentionem de beneficio modico, quod Mandatarius habet.

Obijcies, Modicum in Iure, pro nihilo habetur. De-

inde

inde saepe iura constituunt, ut fiat mentio de Beneficio, quod ad vitam sufficit. *cap. Is cui, & c. Non potest, De praeben. m. 6.* Ergo à contrario sensu, si Beneficium quod quis obtineat, ad vitam non sufficit, de eo Mandatarius meminisse cogitur. Respondeo, argumentum à contrario sensu non esse firmum in Iure, quando contrarium iura ipsa expresserint. Et quia *in c. Si proponente, & c. Si Motu proprio supra citatis* aperte sancitur, ut mentio fiat de Beneficio modico: ideo argumentum à contrario sensu, in hac parte nullius est ponderis, & momenti.

Cur, dices, iura const. tuerunt, ut de Beneficio quamvis tenui mentio fiat? Respondeo, quia quicumque Beneficium aliquod habet, aliud simul cum eo iure communi obtinere non potest, ut supra suo loco dixi, licet consuetudine se introduxerit; ut quando simplex Beneficium ad Clericum honeste, & commode sustentandum, satis non est, simul cum alio haberi queat, auctoritate Episcopi, dum modo alterutrum vitae non sufficiat, & utrumque Beneficium praesentiam assiduam in Ecclesia non postulet. Et quisque sibi imputet, quod Beneficium modicum acceperit: huiusmodi iura ipsa praecipiant, ut aliunde sibi victum industria, vel artificio comparet.

Quarto quaeritur, An fieri mentio debeat de aestimatione fructuum, quos in singulos annos reddit Beneficium quod Mandatarius habet? Ioannes Selua; *De Beneficiariis. parte 3. qu. 12. nu. 3.* negat id esse necessarium: quod probat ex Glossa in *Clam. 2. De praeben. & ex Abbate in cap. Ad aures, De rescriptis.* Calderino, Imola, Geminiano, Cardinali, & Felino, quos ille producit: quod quidem licet iure communi sit verum, in quo sensu loquuntur Abb. Calder. Imol. Gemin. & Felinus, vsu tamen & more curiae Romanae receptum est, quod habet regula Cancellariae 61. ut in Gratia expectatiuis ad Beneficia mentio fiat de aestimatione omnium Beneficiorum, quae Mandatarius habet, quo tempore à Papa litteras impetrat, quibus iubet aliud ipsi Beneficium conferri. Et similiter mentio fieri debet de aestimatione Beneficij quod petit: alioquin in utraque causa litterae subreptitiae censentur & irritae: quod locum habet non solum in litteris quae Iustitiae, sed etiam in his, quae simpliciter litterae Gratiae esse dicuntur.

Porro is, qui petit Beneficium, si dicat plus valere, quam valeat Beneficium, vitiat impetratio, *Rota decis. 336. in antiquis.* Item si minus exprimat quam valeat, irrita quoque est impetratio. *Rota decis. 41. nu. De rescriptis in antiquis.* Vsu curiae debet exprimi verus valor Beneficij: quia alioqui si maior summa exprimat, quam sit valor Beneficij, facilius impetratur, si minor exprimat, defraudatur annata debita.

Quinto quaeritur: An Mandatarius facere debeat mentionem de iure quod habet ad aliud Beneficium, quamvis in eo non habeat ius? hoc est, An mentionem facere debeat de iure ad rem, absque iure in re? Respondeo, debere facere, *ut declaratur c. Ad audientiam. 2. In nostra, De rescriptis.* veluti, si alias litteras Apostolicas priores impetrauerit, quibus praecipit fuerit, ut Ordinarius Beneficium primo vacatum ipsi conferat.

Eadem ratio est, si ius habeat ad Beneficium, quia sit electus, vel nominatus à Patrono: vel à Collegio Canoniorum receptus absque Praebenda, ut primo vacaturam Praebendam obtineat, vel sit ei scienti Beneficium collatum, in quod tamen nondum consenserit. *Sic Glossa in ca. Gratia. De rescriptis in Sexto. Io. Andr. Ioan. Lignan. Geminianus & Felinus, quos citat, & sequitur Ioan. Selua. De Beneficijs par. 3. qu. 11. nu. 2.*

Sed quid dices, si Titius, cui absentis & ignotanti Episcopus Beneficium contulerit, litteras Apostolicas impetret, & nullum faciat mentionem de Beneficio sibi absentis & ignotanti ab Episcopo collato? Respondeo *cum Glossa in c. Gratia, De rescriptis in 6.* Eas litteras subreptitias non haberi: secus tamen esse, cum ei scienti est Beneficium ab Ordinario collatum, sed ipse nondum suum consensum praestitit.

Sexto quaeritur, An Mandatarius exprimere debeat Beneficium, quo est per iniuriam spoliatus? Respondeo: debere ob eam causam, quod non titulum Beneficij: sed factam eius possessionem amisit. Caeterum mentionem facere iure non cogitur de Beneficio, quod sua sponte dimisit, *ut ait Io. Selua, De Beneficijs, par. 4. qu. 12. nu. 21.*

Septimo quaeritur, An si Mandatarius sese in Beneficium, vel Ecclesiam intruserit, vel eam per vim obtinuerit, aut ex Beneficio fructus aliquos per vim receperit, vel alium de Beneficio, vel Ecclesia deiecerit, mentionem facere de horum singulari iure cogatur? Respondeo compelli, *teste Ioanne Selua, par. 3. qu. 11. nu. 6. ubi citat Abbatem, Baldum, Calderinum, Dominicum, & Felinum,* eo quod qui sese in Beneficium inserit, & intrucit, difficilis impetrasset, si id expressisset.

Octavo quaeritur, An Mandatarius exprimere debeat patrimonium quod habet, ad vitam sustentandam idoneum? Quidam asseruere, tantum facere mentionem debere de patrimonio, ratione cuius est ad Ordines promotus, de alio non item. *Abbas, & Felin. in cap. Postulasti, De rescriptis.* Attamen longe verius est, quod Ioannes Andreas, & Dominicus tradiderunt distinguendo: Aut Mandatarius impetrat litteras, quae Iustitiae dicuntur, quaeque dantur à Papa in forma pauperum, hoc est, causa Clerici indigentis: Aut impetrat litteras, quae simpliciter Gratiae vocantur.

Si priores impetret, de patrimonio iure cogitur facere mentionem: alioquin subreptitiae censentur, quia non creditur Papa, gratia Clerici idoneum patrimonium habentis, litteras ad Ordinarios dare in forma pauperum, quae non nisi ob Clerici paupertatem dari solent & debent. Si vero posteriores litteras impetret, de patrimonio quod habet ad vitam idoneo, mentionem facere nullo iure compellitur, quia litterae gratuito & liberaliter à Papa conceduntur. Et *teste Rebuffo in praxi Beneficiorum, par. 1. tit. De rescriptis, gratias, & iust. n. 32.* hoc non solum iure communi locum habet: sed etiam vsu, & more curiae Romanae.

Ex quo fit, ut idem iuris sit de pensione Ecclesiastica quam Mandatarius habet ad vitam sustentandam idonea: quia ut supra monui, pensio Beneficium non est. Idem quoque iudicandum de hospitali domo; aut alio quolibet officio Ecclesiastico; dummodo illud Beneficium non sit, ex cuius administratione perpetua Mandatarius redditus percipit ad vitam commode sustentandam. Caeterum si eos redditus ad vitam in perpetuum non habet, sed solum ad certum tempus, mentionem facere iure non cogitur, siue Gratiae, siue Iustitiae litteras impetret, quoniam redditus annuus ad certum tempus, pro patrimonio ad vitam idoneo non habetur. Quares, An quando Clericus alioqui diues petit & impetrat Beneficium ab aliquo loci Ordinatio tacito idoneo quod habet patrimonio, rata sit, & firma impetratio? Respondeo *cum Ioan. Selua par. 3. qu. 33.* ratam esse: non enim idem est iuris in loci Ordinario quod in Papa. Nam cum Papa, causa Clerici pauperis, Litteras dat in forma pauperum, non dat nisi quia is Clericus, cuius gratia scribit, pauper est: alioqui eas litteras non daret. At vero loci Ordinarius Beneficium non confert iuxta aliquam formulam pauperum, sed absolute: quare siue sponte sua det, siue precibus alicuius alterius inductus, donatio valet, licet Clerico alioqui diuici Beneficium dederit.

Deinde quia loci Ordinarius suae ditionis Clericos cognoscere creditur, ac proinde sciens Beneficium dare videtur, siue Clericus sit pauper, siue diues. Quid si Clericus, inquit, petat & impetret ab Ordinario Beneficium, se pauperem mentiendo? Respondeo, locorum Ordinarios Beneficia non conferre, nisi causa, & Clerico ante iam cognitis: quod si contingeret id quod in obiectione ponitur, tunc impetratio Benef. nullius esset momenti: non quia oporteat de patrimonio fieri mentionem apud loci Ordinarium, sed quia per mendaciam & fraudem

extorta est. Nam quemadmodum si quis mentiendo diceret se esse cognatum Titij, & ab id extorqueret aliquid ab ipso Titio, quod illi donaret tanquam cognato, donatio minime subsisteret, quia Titius voluntarie non donaret: ita si episcopus beneficium dedisset Titio pauperi, alioqui si diuitem cum putaret, minime daturus, donatio non valeret. Secus tamen, si Episcopus cum Titio beneficium confert, dat tanquam digno, & idoneo, quamuis deceptus, putet esse pauperem, tunc enim donatio subsistit, quia est beneficium collatum Titio, ut digno, non ut pauperi, quamuis putato pauperi. Oppones: si quis elemosinam largitionem impetret, morbum, vel inopiam simulans, valet elemosinam donatio, ergo & impetratio beneficij paupertate ficta. Respondeo, non esse eandem rationem de elemosina, quae est de beneficio: nam licet quis ob inopiam, vel egritudine putaram, elemosinam erogat, absolute tamen gratis, & liberaliter donat studio virtutis, & Dei causa: beneficium aliquando dari potest ab Ordinario causa paupertatis in Clerico: quae si ficta fuerit, & simulata, vitiat donationem.

Nono quaeritur, An aetas Mandatarij sit exprimenda, ut mandatum Apostolicum vitib. subsistat: hoc est, An quando litteras Papa concedit, quib. praecipit, ut Ordinarius, vel Executor a se constitutus beneficium Titio Clerico det, Titius Mandatarius eo tempore debeat eam gratiam habere, quam beneficium postulat? Respondeo, in c. Si eo tempore, de rescrip. in 6. sic esse constitutum: Si eo tempore, quo tibi de beneficio cura, vel sine cura mandamus provideri, ad obtinendum curatum beneficium, idoneam non habebis aetatem, tibi licet nunc legitime effectus sit aetatis auctoritate litterarum huiusmodi, cum tempore data ipsarum ad hoc non es idoneus, de beneficio curam animarum habente, nequaquam poterit provideri. Beneficium autem sine cura, cum ad id sufficientem tunc aetatem haberes, per las litteras licite poteris obtinere.

Decimo quaeritur generatim, An ut mandatum Apostolicum sit ratum, & firmum, oporteat, ut Clericus, cuius gratia Papa scribit, capax sit beneficij, quo tempore litterae datae a Papa impetrantur: an vero sufficiat, capacem esse beneficij quando vacabit, & ei conferentur: Tres sunt opiniones inter Iuris Pontificij consultos. Prima censet, Mandatarium debere esse capacem, cum a Papa datae litterae impetrantur: sic Glossa, Archidiaconus, Baldus, Oldradus, Lapus, Paulus, Francus, Arretinus, & alij in c. Si eo tempore, de rescrip. in 6. inde petenti, quod id constitutum est: videatur in c. Si eo tempore, modo cit. Et in c. postulasti de rescrip.

Alter opinio docet sufficere, si Mandatarius Clericus sit beneficij capax, cuius dies vacationis incidit, quo tempore est conferendum. Ita Ioannes Monachus, Antonius, Ancharanus, Geminianus, Romanus, & Felinus, & alij, qui voico etiam argumento dicitur ex c. Ei cui provideri, de preben. in 6. vbi sic dicitur. Ei, cui provideri mandatur simpliciter de prebenda proxime vacatura, sacerdotalis prebenda conferri non potest, si nondum in aetate tali existat, ut possit ad sacerdotium promoveri, sed aliam expectare debet.

Tertia opinio sentit, Mandatarium debere esse capacem viroque tempore, videlicet, & quo tempore litterae impetrantur a Papa, & cum beneficium vacans ei conceditur. Sic Imola, & quidam alij, quoniam utrumque tempus iure ipso requiritur. Nam ex c. Si eo tempore, necesse est, ut Mandatarius sit capax tempore impetratarum litterarum, & constitutio in cap. Ei, cui, requirit, ut sit capax tempore quo vacans beneficium confertur. Haec sane quaestio est difficilis, eo quod duo supra citata Capita secum pugnare videantur: unde Iuris Pontificij periti in hac antinomia dissolventia, & concilianda plurimum laborarunt. Ioannes Andreas, Panoritanus, Imola, & Felinus conciliant in hunc modum: Quando a Papa impetrat quis litteras, sibi ut beneficium conferatur: aut illud beneficium est animarum curae coniunctum, & tunc Mandatari-

us debet esse capax, quo tempore litteras impetrat, iuxta id quod habetur in ca. Si eo tempore, aut beneficium liberum est omni cura animarum, & tunc sufficit, ut Mandatarius sit capax, cum dies vacationis occurrat, & beneficium accipiet: iuxta id quod est contentum in cap. Ei, cui, Caeterum probabilius mihi videtur, quod alij docuerunt, primum quidem necesse non esse, ut quando mandat. in Apostolicum datur, Mandatarius sit capax beneficij, si mandatum datur de beneficio vacaturo. Nam in c. Ei, cui, ad finem, expressum dicitur: sacerdotalis prebenda conferri non potest, si nondum in aetate tali existat, ut possit ad sacerdotium promoveri: sed aliam expectare debet: ergo si vi dati mandati, ius habet aliam expectandi, quia nondum aetatem habet, non est igitur necesse, ut sit capax quo tempore mandatum a Papa Apostolicum accipit. Praeterea duo supra citata capita si eo tempore, & ei cui, hunc in modum commode conveniunt. Nam in ca. Si eo tempore, Pontificia constitutio loquitur de mandato Apostolico, quod datur de beneficio iam eo tempore vacante, vel de mandato, quod datur absolute, & simpliciter, non expresse in tempore praesenti, aut futuro: vel de mandato, quod datur de beneficio iam vacante, vel in subsidium eius, de beneficio proxime vacaturo: & tunc quomodo unque datur, eiusmodi mandatum requirit, ut Mandatarius tempore impetrati mandati sit capax beneficij: ac proinde eam aetatem habere debet, quam beneficium iure deposcit: ex quo sapere, ut beneficium curam animarum continentem Mandatarius iure habere non possit: & tamen beneficium simplex obtinere queat, ut in praedicto capite dicitur. Qui nimirum tempore gratiae impetratae ad hoc beneficium, legitimam aetatem habet, ad illud non item: At vero in c. Ei, cui, sermo est de mandato Apostolico, quod dirigitur ad beneficia proxime vacatura: & tunc sufficit, ut Mandatarius sit capax beneficij, quo tempore vacabit, & ei conferetur.

Quare non necesse est, quo tempore litteras impetrat, legitimam habeat aetatem, sed tempore, quo vacaturum beneficium accipiet. Obijcies, si quo tempore huiusmodi litterae, vel mandata dantur a Papa, is, cuius gratia dantur sit excommunicationis, interdicti, vel suspensionis vinculo adstrictus nullus momenti sunt: ergo habetur ratio temporis datarum litterarum, Respondeo, in hac quaestione me non loqui de impedimento excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, quoniam ab his censuris & poenis necesse est sit immunis, & liber, is qui litteras Apostolicas impetrat iustitiae, vel gratiae: ac propterea solent Romani Pontifices initio huiusmodi litterarum, ab hoc vinculo solvere eos, quorum gratia rescripta, & mandata dant.

Vndecimo quaeritur, An debeat exprimi conditio, sine qualitate beneficij, quod quis a Papa supplicij petitione, & precib. impetrat? Respondeo cum Abbate, Felino, & Ioanne Calderino in c. postulasti, de rescrip. hanc exprimi oportere, si sit in lite notabilis: v. g. parata, si beneficio inest cura animarum, capis. Cum in illis, de preben. in 6. Cum item beneficium, assidue Beneficij in ecclesia praesentiam requirit: item si beneficium dignitate sit praeditum ut constat ex c. Ad aures, de preben. Quid si dices, Papa motu proprio & non precibus alicuius, beneficium conferat: an si mentionem non faciat de beneficio, cui cura animarum inest, valeant litterae Apostolicae, quod perinde est, ac si quaetas, An beneficij conditio in mandatis Apostolicis motu proprio datis omissa & tacita, ipsas litteras vitiet, & irritas efficiat? Causam dubitandi assertit id, quod habetur in cap. Si motu proprio, de preben. in sexto, & Clement. Si Romanus, eodem titulo. Motus proprius litteras Apostolicas ab omni subreptione liberat. Respondet Abbas Ioannem Andream secutus, non valere, non quia motus proprius subreptionem non excludat, sed quia voluntas Romani Pontificis non constat, argumento ex cap. Cum in illis, & c. Is cui, de preb. in sexto, & motus proprius non confirmat gratiam contra voluntate concedentis.

denus, nec eum detrimento iuris alteri quaesiti: ac propterea non valet gratia Pontificis etiam motu proprio confirmata; si beneficium ad patronum laicum spectat, & nulla est facta mentio iuris patronatus, quod laicus habet.

Ceterum Felinus hanc Abbatis sententiam non omni ex parte probat. Nam in c. *Ad aures*, de *rescrip.* contra eam obijcit multa, & tandem concludit: Primum, quod Pontificia gratia Motu proprio concessa, si non exprimit Canonica impedimenta, quibus tenetur is cui gratia conceditur, nullus sunt momenti litterarum Pontificiarum: v. g. si Clericus sit spurcius, illiteratus, criminofus, bigamos, & de his nihil in iuris litteris Papa meminerit, nihil profuit, non quia sunt subreptitia, cum sint proprio motu data, sed quia Papa non creditur Clericum ab his vinculis solvere, & iuris rigorem laxare, si id non exprimit. Secundum: quando Pontificia gratia pro proprio motu concessa non exprimit condiciones, & qualitates beneficij, aut obtenti aut obtinendi, nullum alterius damnum continens, valet omnino. Id colligit Felinus ex *Clem. si Rom. de prob.* vbi dicitur: *Si Romanus Pontifex de beneficio alicui motu proprio provideat, de beneficijs, quae obtinet non habita mentione, provisionem, seu gratiam huiusmodi fore validam declaramus, qualitatesque fuerint beneficia, dignitates, aut personatus, cum cura, vel sine cura.* Haec ibi. Tertium, quando gratia Pontificia omittit conditionem beneficij alterius damnum continens, non valet. v. g. si in litteris motu proprio datis Papa silentio praetermittat ius patronatus laicorum, nullius momenti sunt litterae: aut si taceat ius alteri quaesitum. Haec Felinus loco citato.

Duodecimo quaeritur, An debeat exprimi conditio, & qualitas beneficij, quod Mandatarius habet? Respondeo, cum Abbate, & Felino in cap. *postulasti*, de *rescrip.* distinguendo: Aut Mandatarius petit, ut iuris rigore laxato, liceat sibi secundum habere, cum primo, & tunc necesse est, ut exprimat primi beneficij condiciones, sic exemplum: Titius habens Praeposituram, vel Decanatum, impetrat a Papa facultatem, quia possit simul habere alium personatum, cum Praepositura, vel Decanatu, si mentionem non fecerit de cura animarum, quae Decanatu, vel Praepositurae inest, impetratio non valet, quia duo inerat impedimenta in primo, scilicet dignitas, & cura animarum. Sublato igitur vno impedimento, reliquum manet, c. *Extuam*, de *auctoritat. & usu pallij*.

Nec obstat, si quis dicat, Papam eo ipso quo id quod maius est concessit, scilicet dignitatem, videri concessisse, quod est minus, videlicet curam animarum. Respondeo enim, in his quae sunt fauoris, & gratiae, vim non habere argumentum ductum a pari, vel etiam maiori: praesertim cum dignitas sit quidem honorabilior: cura tamen animarum periculosior. 12. *quest. 1. 1. Praecipimus*. Ex quo etiam fit, ut si Titius impetrat a Papa, ut remisso iuris rigore, sibi liceat plura beneficia simul obtinere, impetratio nullius sit momenti, si tacuerit, se illa beneficia prius contra Canones habuisse, & ex eis fructus petcepisse. Sic Antonius in cap. *Dudum*, 2. de *elect.* & Abbas in cap. *Ad aures*, num. 9. de *rescrip.* Si vero non impetret quis iuris relaxationem, sed simpliciter secundum beneficium: tunc duae sunt opinioniones. nam Glossa in *Clem. 1. de praebend.* censet, opus non esse facere mentionem de primi beneficij obtenti conditione, sed satis esse, si fiat mentio generalis de primo beneficio. Ioannes vero Calderinus in cap. *In nostris*, de *rescrip.* oppositum docet, haec ratione permotus, quia si primi, inquit, beneficij condiciones exprimerentur, ex possent Papam a dando mandato de conferendo secundo beneficio auocare, ac proinde impetrationem secundi beneficij reddere difficiliorem.

Abbas vero magis probat Calderini sententiam: ait enim, si per ademptionem secundi, primum beneficium ipso facto non vacat, tunc eo ipso quo primum pariter cum secundo haberi potest, debet fieri mentio de conditionibus primi: si autem per ademptionem secundi, primum ipso

vacat: quamvis possit, inquit, Glossa sententia defendi, probabilior est opinio Calderini: quia si forte Papa primo beneficij condiciones nollet, secundum nequaquam concessisset: nam fortassis eum flecterent ad gratiam deneandam.

Decimo tertio quaeritur, An si mandatum detur a Papa de beneficio proxime vacaturo conferendo Titio, comprehendat etiam beneficium, quod post rescriptum huiusmodi datum, erectum est, & institutum? Respondeo, minime, sic enim habetur in *Clem. ultima de rescrip.* his verbis: *Litteras nostras super conferendo tibi beneficio vacaturo directas, ad beneficium post datum ipsarum creatum statim non extendi.* vbi Glossa annotavit, idem iuris esse de litteris Legatorum beneficia vacatura reservantibus: idem quoque, si Papa alicui potestatem dedisset conferendi primum beneficium vacaturum: idem etiam, si concessisset Papa fructus beneficiorum primo anno percipiendos, quae vacabunt in certa Ecclesia, diocesi, vel provincia: haec enim omnia intelliguntur de beneficijs, quae tempore darum litterarum subsistunt: non autem de iis, quae postea creantur, cum tempore rescripti dati a Pontifice, beneficia non sunt.

Quaerens, An huiusmodi Pontificium mandatum, comprehendat Ecclesiam, quae tempore dati rescripti est instituta, sed non dotata, & postea dotem accepit? Respondeo, minime: quia perinde est, Ecclesiam non esse dotatam, ac non esse institutam. Quid si, inquit, Ecclesia est a patrono fundata, & dotata ante rescriptum imperatum: sed nondum episcopi auctoritate confirmata? Respondeo, etiam huiusmodi Ecclesiam ex mandato Apostolico non deberi, quia beneficium auctoritate episcopi minime institutum, pro beneficio Ecclesiastico non habetur.

Quaerens postremo, An hoc Pontificium rescriptum protendatur ad beneficium, quod ante ipsum rescriptum datum, institutum quidem est, sed suppressum, & extinctum, & deinde post datas Apostolicas litteras renouatum? Respondeo, cum Glossa in *Clementina citata* minime, quia beneficium semel extinctum non reuiuiscit: ac proinde postea renouatum, non est idem quod primum: sicut domus funditus eversa, & postea reaedificata, non est eadem quae prior. Sed quid si dubitetur, An litterae Apostolicae datae fuerint ante creationem beneficij, an e contrario: puta, quia eadem die vtrumque est factum, nec apparet vtrum prius sit? Respondeo, cum Glossa, ex mandato Apostolico beneficium Mandatario deberi, nisi probetur, beneficium esse post datas litteras institutum.

Decimoquarto quaeritur, An si Papa mandatum dederit, ut Titio Clerico seculari Prioratus proxime vacaturus conferatur, debeat ipsi Titio Clerico Prioratus Regularis, qui post litteras Apostolicas primo quoque tempore vacabit? Respondeo, in cap. *Cum de beneficio, de praebend. in sexto*, sic esse constitutum: *Quando vero scribitur, ut provideatur de aliquo Prioratu alicui Clerico seculari, prouideri non potest de Prioratu, qui per Religiosos iuxta modum praescriptum est solitus gubernari, nisi hoc in litteris caueatur expresse.* Haec ibi. Tale igitur mandatum Apostolicum dari solet. Primo sic: *Mandamus, ut Titio Clerico seculari conferas Prioratum proxime vacaturum: & hoc locum non habet in Prioratu per Religiosos gubernari consueto: quia Clericus secularis beneficij Regularis capax iure non est.* Secundo modo sic: *Mandamus, ut Titio Clerico seculari conferas Prioratum primo vacaturum, etiam Regularem: & tunc ex huiusmodi mandato, debetur Titio Prioratus Regularis: & hoc est, quod dicitur in eo capite, ad finem: Nisi hoc in litteris caueatur expresse.* Et idem iuris est, cum in litteris dicitur: *Ut conferas Titio seculari Prioratum primo vacaturum, siue secularem, siue Regularem.*

Duodecimo quaeritur, An si mandatum Apostolicum detur, quo iubet Pontifex Titio Clerico dari beneficium, cuius conferendi ius ad Archiepiscopum cer-

tum, utpote Toletanum, pertineat, comprehendat beneficium, quod ad Archiepiscopum Toletanum tempore dari rescripti spectabat, sed tempore vacationis ad alium pertinet? Respondeo, multa esse similia Apostolica rescripta: ut si mandatum Titius impetrat, quo sibi simplex beneficium conferatur, quod tempore quidem rescripti impetrati erat simplex, & postea curam animarum habet.

Item, Titius mandatum impetravit, ut sibi beneficium cui inest animarum cura, proxime vacaturum decur, & deinde vacat beneficium, quod tempore rescripti dari curam animarum habebat, sed quo tempore vacatio eiusdem accidit, est simplex. Item, impetravit Titius Apostolicum rescriptum ad beneficium certæ æstimationis obtinendum: & deinde beneficium, quod primo vacavit, factum est maioris, vel minoris æstimationis: cum tamen tempore impetrati rescripti tantum æstimaretur, quanta erat æstimatio in litteris Apostolicis designata. Item, impetravit quis litteras à Papa, ut sibi beneficium Clericis secularibus dari consuetum proxime vacaturum concederetur: postea cum dies vacationis incidit, factum est Regulare, cum tamen seculare esset beneficium tempore rescripti impetrati.

In his omnibus, communis est Iuris Canonici interpretum sententia in *Clem. ult. de rescriptis*, habendam esse rationem temporis, quo rescriptum, vel mandatum datur à Papa, & ex illo mandato beneficium debetur, quod conditionem, & qualitatem in litteris Apostolicis expressam tempore, quo est rescriptum impetratum habebat, quamvis post litteras ea conditionis tempore quo beneficium vacauerit, sit mutata. Alijs tamen probabilius videtur id quod supra diximus: aut Papa in suis litteris iubet dari beneficium, quod iam ante vacavit, aut beneficium proxime vacaturum. Si primum, tunc ex mandato beneficium debetur, quod conditionem habet in litteris Apostolicis designatam, etiam si ea post datum rescriptum fuerit mutata. Si secundum, conferri debet beneficium, quo vacationis tempore eam conditionem habet, quam litteræ Apostolicæ expresserunt: licet quo tempore sunt date, alia conditione fuerit affectum.

Decimo sexto quæritur, An in mandatis Apostolicis impetrandis, exprimi ea omnis conditio personæ, vel beneficii debeat, quæ si taceretur, difficiliorem sine dubio mandati Apostolici impetrationem redderet, quæq; forte Papam moueret ad gratiam denegandam? Negant nonnulli, satis esse dicentes, eas conditiones exprimere, quæ iure communi, vel consuetudine, vel Regula Cancellariæ, vel vsu Curie Romanæ explicari debent: ut cum is qui impetrat, habet aliquod beneficium quamvis modicum, vel litteris Apostolicis prius impetratis renunciat, *c. Ad audientiam 2. de rescriptis*, vel expectat aliud beneficium, ad quod ius habet. *c. In nostra, de rescriptis*. Aut si beneficium, quod quis petit, sit curæ animarum coniunctum, vel quod dignitate præditum sit, vel assiduum Beneficiarij præsentiam requirat: hæc enim singula ius vult, ut exprimantur: & si exprimerentur, Papam forte spectarent ad litteras denegandas: aliter enim scire nunquam possemus, an Papa gratiam concessisset, an denegasset, si aliquid exprimeretur. Contra alij sentiunt, in vniuersum omne id esse explicandum: quod si exprimat, aliqua probabilis, & verisimili coniectura scimus Papam aut gratiam denegaturum, aut saltem difficilius concessurum. Quidquid sit, omnes sequuntur Ioannem Andream, & Abbatem in *c. ad aures, de rescriptis*, ait *Solutio de beneficijs part. 3. q. 12. n. 1.* conueniunt, in huiusmodi Mandatis Apostolicis impetrandis non oportere facere mentionem de nobilitate, aut de opibus, cum quis Clericus talia impetrat rescripta, quamvis Andreas Barbatius, Siculus in *eodem cap. ad aures*, contrarium tradiderint: nec item ijs mandatis contineri loca hospitalitatis gratia extrinseca, etiam Episcopi auctoritate fundata. *Clem. Per litteras, de præb.* nisi in ipsis litteris expressa de illis facta sit mentio, & etiam si fuerit illis annexa & copulata Capella, Ecclesia, vel benefi-

cium. Glossa in prædicta *Clem. Per litteras*. Secus tamen esset, si Capella, Ecclesia, vel beneficium coniuncta esset domus hospitalis, ut ait *Gloss. ibidem*: nam principale tempore trahit ad se id, quod ad ipsum accedit ei: cohæret, item non comprehenduntur Ecclesiæ cura, & ministerio laicorum gubernari consuetæ.

Verum dubitare quis posset, an facere mentionem debeat, qui hæc mandata impetrat, de prima Clericorum tonsura, ita ut explicare cogatur, num eam acceperit? Abbas in *cap. Cum ados, de rescript. n. 2.* ait, id iure communi necessarium non esse, quoniam in Pontificijs ad beneficia rescriptis tacite intelligitur conditio si sit idoneus, ac proinde si sit Clericus quemadmodum & aliæ similes conditiones, puta, si sit litteratus, si ex legitimo matrimonio natus, si nullo crimine affectus, & nullo excommunicationis suspensionis, interdicti, aut irregularitatis vinculo adstrictus. Cæterum vsu, inquit Abbas, Curie Romanæ receptum est, ut delectet quis se Clericum esse: alioqui subreptitiæ, & irritæ litteræ iudicantur. Dubitatur itidem, An si alienigena Pontificium rescriptum impetrat, & non referat vnde sit oriundus, rescriptum subreptitium censetur? Glossa in *c. Si proponente, de rescriptis*, sentit esse subreptitium, quia mens Pontificis est, cuius in sua patria beneficium dare. Antonius hanc Glossam improbat, motus ex eo, quod habetur in *c. Ne pro defectu, de elect.* At Panormitanus, (cui ego magis assentio) Glossæ sententiam probat: nam quod dicitur in *c. Ne pro defectu*, locum solum habet in Canonibus, qui scientes alienigenam eligendo iure ac favore suo cedunt, non item in Papa, cuius propositum non est externis beneficia conferre.

Quæres, An si Titius impetraverit litteras, ut sibi in ecclesia denens detur beneficium quod vacat, & dixit esse dignitatem, cum tamen dignitas non sit, sed officium, aut dixit esse beneficium, cui animarum cura inest, cum tamen sit beneficium simplex, valeant litteræ impetratæ? Respondeo, cum Abbate & Ioanne Andream, & Innocentio, *cap. Significante, n. 5. de rescriptis*, valere, nam si constat de corpore rei, falsa expressio qualitatis rescriptum non vitatur, si nihilominus Princeps mandatum dedisset, & si vera rei qualitas exprimeretur: Papa enim facilius concessisset, si nosset non esse dignitatem, sed officium, aut curam animarum non habere, sed esse simplex beneficium.

Sed quid inquires, si impetravit quis beneficium, quod dixit vacasse morte Beneficiarij, & tamen vacauerat non obitu, sed renuntiatione, quia Titius beneficium deposuerat? Respondeo, cum Glossa *ca. Susceptum de rescriptis*, in 6. impetrationem nullius esse momenti, quia subreptitia est, nam mors ciuiliis cum sit ficticia Iuris mors, non æquiparatur morti naturali, nisi in causis iure expressis: mors ciuiliis, mors vera non est: is qui beneficium dimisit, potest iterum illud habere, is qui vita functus est, non item. Et Papa litteras concedens ad obtinendum beneficium, quod dicitur vacasse per obitum cuiusdam, ad certum vacationis modum eas restrinxit, & proinde alterum omisum non continent. Idem iuris est de eo, qui impetravit litteras ad obtinendum beneficium, quod dixit vacasse per renuntiationem, & tamen vacavit per obitum, *c. Susceptum, de rescriptis*, in sexto, subreptitiæ, ac proinde irritæ, & inanes habentur.

CAP. XXXVI.

De reservationibus beneficiorum tam generatim, quam speciatim factis.

De reservationibus, breuem edidit tractatū Gaspar Perusinus: alium paulo longiorem Aeneas de Falconibus, pauca quædam scripsit Rebuff. in *Praxi beneficiorum prima parte, post differentiationem inter rescripta gratia, & iustitia*. Mandosus in *primis septem Regulis Cancellariæ*: & ibidem quoque Auctor, qui dicitur Glossator Regularum Cancellariæ.

Quoniam

Quoniam Pontificis reſcriptis, & mandatis affines, & cognate ſunt beneficiorum reſeruationes, de his quoque mihi eſt hoc loco diſſerendum.

Primo queritur, Quid in hac parte reſeruationis nomine intelligatur? Reſpondeo, ea beneficia reſeruata dici, quæ Romano Pontifici ſibi ita addit, vt cum poſtea vacauerint, ea ſoluſ ipſe conferat: ac proinde beneficia Romano Pontifici reſeruata dicuntur, quæ ſi ipſi ſunt obnoxia, & obligata, vt nemo alius illa conferre queat. Quæres quo pacto, Beneficij Reſeruatio definiatur? Aeneas de Falconib. definiſt ſic: *Reſeruatio, eſt alicuius beneficii eccleſiaſtici vacaturi per habentem ad id poſtulationem, ad ſe facta auocatio.*

Secundo queritur, Reſeruatio Beneficij quantæ ſit in eccleſia antiquitatis? Reſponderet idem Auctor: olim Romanos Pontifices non conſueuiſſe ſibi aliqua beneficia reſeruare: nam in toto volumine Decretorum, quæ Gratianus Monachus collegit, nullas beneficiorum reſeruationes legitimus. Vnde poſt Gratiani ſeculum, Beneficia ſibi Romani Pont. reſeruare cœperunt. Concilium Baſilienſe ſeſſ. 23. Decretum edidit De reſeruationibus hunc in modum habens: *Et quia multiplices eccleſiarum & Beneficiorum habitus facta per Summos Pontifices reſeruationem parum eccleſia oneroſa exiſtens: ipſas omnes tam generaliter quam ſpecialiter ſine particularibus de quibuscuq; eccleſiis & Beneficiis, quibus tam per electionem, quam collationem, aut aliam diſpoſitionem prouideri ſolet, ſine per Extraneos ad Regimen, & Execrabiles ſine per regulas Cancellaria, aut alia Apoſtolicas conſtitutiones introductas, hac ſancta Synodus abſoluſt, ſtatuens vt de cetero nequaquam ſint, reſeruationibus in corpore iuris expreſſe clauſis, & his quas in terra Romana eccleſia ratione directi, ſeu vt ille domini mediato, vel immediate ſubiecti ſunt contigerit, ſiue taxat exceptis. Hæc ibi. Quod decretum eccleſia Gallicana recepit, vna cum alijs ciuſdem Concilij Baſilienſis ſtatutis: ex quibus omnib. facta eſt Pragmatica ſanctio auctoritate Caroli VII. Franco. Regis in Francia confirmata, in quam Gloſſas edidit Colmas Iuriſconſultus, & Senatus Pariſienſis Conſiliaris.*

Ceterum Synodus Baſilienſis, auctoritate eccleſiæ confirmata non eſt; nec dubitari poteſt, quin Romanus Pontifex Beneficia ſibi reſeruare poſſit, cum ampliffima poteſtate habeat de beneficijs ſtatuedi, vt conſtat ex ca. 2. De præb. in 6. & Clem. 1. ad ſin. vt lite pendente, & c. Cuncta per mendam, 9. quaſt. 3. nec hanc poteſtatem Pontificiam poteſt Concilium adimere, aut minuire, ſiue reſtringere.

Tertio queritur, Quotuplex ſit reſeruatio beneficiorum? Reſpondeo, duplicem eſſe, generalem & ſpecialem. Generalis eſt, qua plura beneficia vniſ rationis, & generis ſibi Papa reſeruatur: vt cum reſeruatur omnes eccleſias Metropolitanas, Patriarchales, Cathedralis, vel omnes Abbatias, Prioratus, & Beneficia regularia, vel Beneficia & dignitates, quæ per electionem de more conferuntur; vel omnia beneficia in curia Romana vacantia: vel omnia beneficia familiarium Papæ & Cardinalium, quæ vacare quandoſcuq; contigerit. Specialis reſeruatio eſt, vel ratione loci: vt cum beneficia certæ eccleſiæ reſeruantur; vel ratione beneficij, vt cum certa dignitas reſeruatur; vel ratione perſonæ, vt cum Papa iubet beneficium certæ eccleſiæ, quo tempore vacauerit, Titio Clerico conferri.

Quarto queritur, Quæ beneficiorum reſeruatio dicatur in corpore iuris contineri? Reſpondeo, Gallicos iuris Doctores eam intelligere, quæ vel in volumine Decretorum à Gratiano collecto, vel in quinque libr. Decretalium auctoritate Gregorij IX. editis, vel in 6. in idem Decretalium iuſſu Bonifacij VIII. in quinque etiam libros redactis & promulgato, vel in libro Clementinarum continetur: ceteras reſeruationes extra corpus iuris exiſtere, ipſem Doctores reſtantur: quales ſunt quæ in Extraneis Beneficijs Conſtitutionibus, & regulis Cancellariæ con-

tinentur: At vero Itali Iuriſconſulti, etiam eas reſeruationes, quæ in Extraneis Beneficijs comprehenduntur, dicunt in corpore iuris contineri: quia Extraneos quæ incipiunt, ad Regimen, & Execrabiles, corpori iuris inferre ſunt: licet eas Baſilienſe Concilium in Gallia tantummodo receptum aboleuerit. Quæres, quot ſint reſeruationes Beneficiorum in corpore iuris contentæ. Auctor Gloſſarum in regulas Cancellariæ, in regula 35. verſe Item queritur, & in regula 62. ad ſinem, ait vnicam tantum eſſe, quæ continetur in c. 2. De præb. in 6. Et ideo miror, inquit ille, quod regularum Cancellariæ Collectores in regula 33. tanquam certum ponant, plures eſſe reſeruationes in corpore iuris. Concilium tamen Baſilienſe loco citato ſentit plures eſſe, cum dicit: *Exceptio reſeruationibus in corpore iuris clauſis.* Idem ſentit Nicolaus Mills in verbo, *Reſeruatio*, §. 2. ad ſinem, & Aeneas vulgo nominatus de Falconib. tract. de reſeruationibus q. 2. principali, n. 2.

At non parum refert, vna ne ſit, an plures reſeruationes: nam ſolet in impetrationibus Beneficiorum clauſula apponi ſcilicet, *Non obſtante reſeruatione in corpore iuris clauſula.* Item ſolet Papa concedere Legatis facultatem conferendi Beneficia, etiam reſeruata, excepta reſeruatione in corpore iuris contenta. Et ſciendum eſt, Aeneam de Falconib. loco citato, & Coſmam, & Rebuffum, & alios appellare, Reſeruata Beneficia, quorum conferendum ius & poteſtas ob negligentiam, vel delictum inferiorum Ordinariorum ad Papam deuoluitur. Sed reuera hæc proprie reſeruata dici nequeunt: conferuntur enim à Papa iure deuolutionis, non reſeruationis.

Item reſeruata Beneficia dicunt ea quæ exempta ſunt, item & ea, quorum conferendorum poteſtas ſoli Papæ, iure tamen communi, & Ordinatio conuenit, vt pote, mutationes, vniões, translationes eccleſiarum Cathedralium, Metropolitanarum, Primatialium, Patriarchalium, iuxta ea quæ habentur, in c. Mutationis, 7. q. 1. c. Licet, & c. Inter corporalia. De tranſlat. & Clem. in plerisque, de elect. & in Extraneis Beneficij VIII. Sancta Romana eccleſia, De elect. inter Extraneos communes: Sed hæc reuera non proprie reſeruata dicuntur, quia poteſtas illa conferendi Beneficia iure ordinario ad Papam pertinet: ad eum enim maiores & difficilioreſ eccleſiæ cauſæ ſpectant. Pertinuit etiam olim, quum per electionem Canonicorum epiſcopi creabantur, ad Papam ius conferendi eccleſiam Coloniensem, & Treuerensem, vt conſtat ex cap. Porro diſt. 63. hoc tamen, vt ibid. Gloſſa reſtatuit, ſpectauit ad Papam certis de cauſis ad tempus: idem ius habuit Romanus Pontifex, eadem Gloſſa ibidem reſtante, in eccleſia Rauenatensi.

Quinto queritur, Quæ beneficia dicantur affecta; & quid diſcrimines ſit inter affecta beneficia, & reſeruata? Reſpondent quidam, affectum beneficium dici id, cuius conferendi poteſtas ſemel ad Papam ita pertinet, vt tunc nullus inferior conferre queat: ac proinde beneficium affectum à reſeruato diſtinguitur, quod reſeruatum, nunquam amplius loci Ordinarius conferre poteſt. affectum vero poteſt quidem, ſed non tunc, cum eſt iam Papæ addictum & obligatum, v. g. contulit Papæ alicui beneficium, ſed collatio quam vocant non voluit ob Clerici Canonici impedimentum: tunc illud beneficium eſt affectum, quoniam adhuc iterum eſt Papæ auctoritate, & non Ordinarij conferendum, c. Inter dilectos. De exceſſ. Prælato. Item commendat Papa Beneficium alicui, tunc obitu commendatarij, manet affectum, non reſeruatum, ita vt tunc, cum vacat, Papa, & non inferior Ordinarius dare id queat.

Paretea ſi electoribus præcipit Papa, ne aliquem ad certam eccleſiam eligant, tunc ea eccleſia dicitur affecta, ca. Si eo tempore, De elect. in 6. Quando Papa dato Mandato Apoſtolicò præcipit conferre Titio Beneficium proxime vacaturum, tunc illud & affectum dicitur, *Extraneis vltima, de præben. inter communes.* Affectum igitur beneficium ideo dicitur: tanquam ſit tali conditioni ſubiectum,

vt ad illud tunc nemo nisi Papa possit accedere, ac proinde eius affectio, Ordinarijs potestatem conferendi simpliciter non adimit, sed ad tempus: reseruatio vero auferit Ordinarijs simpliciter ius & potestatem conferendi. Ego autem parum aut nihil affectum beneficium à reseruato differere crediderim.

Sexto quaeritur, Quenam beneficia sint Romano Pontifici reseruata? Respondeo, Clementem III. in c. *Licet De prob. in 6.* sic statuisse: Nos antiquam, & laudabilem consuetudinem approbantes statuimus, Dignitates, Personatus, & Beneficia, quae apud Sedem Apostolicam deinceps vacare contigerit, aliquis praeter Romanum Pontificem, cuius ius super hoc sit auctoritate munitus, siue iure Ordinaria potestatis ipsorum electio, prouisio, seu collatio ad eum pertineat, siue litteras super aliquorum prouisionem generales, vel etiam speciales sub quacumque forma verborum receperit, nisi ei sit super conferendis eisdem in Curia Romana vacantibus specialis & expressa ab ipso Pontifice summa auctoritas attributa, conferre alicui, seu aliquibus non praesumat: Nos enim si secus actum fuerit, decernimus irritum, & inane.

Porro Gregorius X. in c. *Statutum, De prob. in 6.* praedictum Clementis Decretum temperauit, quadam ex parte restringens, his verbis: *Vt y, ad quos eorundem Beneficiorum, & dignitatum spectat collatio statuto non obstanti praedicto, denovo post mensem à die, quo Dignitates, seu Beneficia ipsa vacauerint numerandum, ea conferre valeant tantummodo per seipsos, vel ipsi agentibus, in remotis per suos Vicarios generales in eorum diocesis existentibus, quibus id Canonice sit commissum. Si igitur Papa Beneficia in Romana Curia vacantia intra mensem computandum à die vacationis, & non à die ipsius vacationis cognita, non contulerit, potestas conferendi ad primum ius commune rediens ad inferiores locorum Ordinarios pertinet, qui per seipsos, hoc est per Vicarios, Procuratores, seu suos existentes in Romana curia ubi Beneficia vacauerint, conferre queant, licet conferre possint per Vicarios Generales, si ipsi procul absint, quibus expressim commiserint ius Beneficia conferendi.* Haec Glossa ibidem, Bonifacius VIII. in cap. *praesenti, De prob. in 6.* declarauit, quae beneficia in curia Romana vacare intelligantur iuxta praedictum Clementis Decretum, videlicet ea omnia, quae per obitum vacauerint, etiam in locis vicinis à curia Romana duas dietas legales distantibus, vel apud Sedem ipsam Romanam vacantem, ibidem causam, domicilium, vel originem habentium, seu curialium, & ibi causa Romanae curiae commorantium, vel ex loco in locum translatae curiam sequentium, & in itinere decedentium, vel in loco, vnde ipsa tunc discessit, in quo infirmi, & aegroti remanserint.

Porro legalis dieta, vt ibidem explicat Glossa, continet viginti millia, quae in singulos dies dinumerari Praetor iubet, cum aliquis in iudicium sistere oportet. *l. Vicena milia, ff. Si quis cautionibus.* Idem Bonifacius VIII. in c. *Si Apostolica, eodem titulo, & libro* declarauit: *Si apud Sedem Apostolicam Pastore destituta Parochiales ecclesiae vacauerint, ne ipsorum vacatio diutina sit ecclesiae noxia, per eos, ad quos ius conferendi spectat, conferri posse non obstante Clementis Decreto.* Et idem, inquit, volumus observari de illis Parochialibus ecclesiis, quae in Curia Romana Romano Pontifice viuente vacauerint, si de ipsis per eum ante obitum non fuerit ordinatum. Hoc est, vt declarat Glossa ibidem, si intra mensem, antequam decederet, eas non contulit, statim Sede vacante, ius conferendi ad locorum ordinarios rediisse videtur.

Septimo quaeritur, An praedicto Decreto Clementis III. comprehendantur Beneficia, quae ad Iuspatronatus pertinent, si in curia Romana vacauerint? Respondeo, minime, si pertineant ad Patronum laicum, Sic Ioannes Monachus & alii in praedicto c. *Licet, Cardinalis in c. Praetorem n. de Iurepatro. & in conf. 57. Fel. in c. Nihil, de praescrip. Coarr. in question. Pract. c. 36. n. 4. Aeneas Falconius, De reseruati. quest. 3. principali, n. 13.*

Quaes, An comprehendantur Beneficia pertinentia ad Patronum ecclesiasticum in curia Romana vacantia?

Respondeo, ex communi omnium sententia comprehendendi, quia huic iuri patronatus facile derogatur. Quid si beneficia spectent ad Patronum Clericum simul & Laicum? Quoniam Aeneas à Falconibus, & quidam alij ea comprehendere senserunt. Respondeo tamen cum Couarruua & alijs, minime comprehendendi: quia cum Iuspatronatus simul etiam ad Laicum pertineat, non solet Papa facile derogare, ne Laici à fundandis ecclesijs auocentur. Sed quid si Iuspatronatus Laicus habeat non ex fundatione, & edificatione, vel donatione *E C C L E S I A E*, sed consuetudine, praescriptione, vel privilegio Pontificio, An Beneficia in curia Romana vacantia, praedicta reseruatiōe comprehendantur? Respondeo, ex communi quoque sententia comprehendendi, quia tali iuri Patronatus facile derogari solet. Aeneas Falconius *tract. citato g. 11. principali, eff. 14. ubi citat Ion. Andr. Alexandrum, Philippum.*

Octauo quaeritur, An in reseruatiōe contenta in praedicto c. *Licet*, comprehendantur, si apud Sedem Apostolicam vacauerint, Beneficia Patrimonialia, vel Canonicalia Cathedralium ecclesiarum, qui Theologiae Magistris, & Iuris Pontificij Doctoribus per electionem Canonicos conferuntur? Glossa in c. *Cum in ecclesijs, De prob. in 6. ad finem*, ait, Beneficia, quae ex consuetudine Magistris, aut Doctoribus, sunt conferenda, non comprehendendi in reseruatiōibus, nec in litteris Apostolicis, quae Expectatiue dicuntur: cuius Glossae opinionem sequuntur, Ludouicus Gomezius in *tractatu, De litteris expectatiuis, n. 93.* Caspar Perusinus in *tract. De reseruatiōe, g. 5. principali n. 22.* Dubium tamen esse ait Couarruua in *Pract. quest. c. 36. n. 4. c.* quod in c. *Licet praedicto* generari reseruatiōem Papae queant? Beneficia, quae apud Sedem Apostolicam vacauerint: ac proinde lectorem admonet, vt in hac controversia id obseruet quod fuerit vsu receptum, & quod fit Christianae reipublicae & ministerio diuino commodius.

Nono quaeritur, An Beneficia ad Patronum Laicum pertinentia, si vacauerint apud Sedem Apostolicam, à praefato c. *Licet*, excludantur, ita vt non solum Patronus nominare ad ea Clericos possit, sed etiam ius instituenti nominatos, ad locorum Ordinarios pertineat? Auctor Glossae in *regula 40. Cancellaria ad finem* censet, Nominatiōem quidem esse Patronorum Laicorum, sed Institutionem Romano Pontifici reseruati.

Ceterum probabilius mihi videretur, quod ait Couarruua in *Supra allegato, n. 5.* id quod ait Glossa, locum habere in episcopatibus, Abbatibus, & ceteris Dignitatibus, quae Romano Pontifici per regulam 2. & 3. *Cancellaria* reseruantur. In his etenim Laici patroni ius retinent nominandi, & Papae reseruatur instituenti potestas: at in Beneficijs minoribus, ad Patronos Laicos pertinentibus, ius nominandi ad ipsos Patronos spectat, & instituenti ad locorum Ordinarios: & hoc est vsu receptum.

Decimo quaeritur, Quae Beneficia per Regulas cancellariae, Papae reseruantur? Respondeo, per primam regulam reseruari omnia beneficia, quae reseruantur in Extrauaganti Benedicti 16. quae incipit: *Ad regimen, inter communes, De prob.* Et additur in regula, locum etiam habere reseruatiōem, tametsi Officiales Apostolicae Sedis, ante obitum suum Officiales esse deserint, quoad Beneficia, quae tempore quo Officiales erant, obrinuerunt.

Quaes, quorum hac regula Cancellariae reseruatur beneficia, quae in illa Constitutione Pontificia reseruata fuerant, si quidem id necessarium non erat? Respondeo, duabus de causis eam regulam fuisse necessarium: Primo, quia in illa constitutione reseruatiōe erat ad tempus facta, sic enim dicitur: *Donec misericordiam diuina clementia nos vniuersali Ecclesia praesidere concesserit.* Ex quibus verbis patet eam reseruatiōem obitu Pontificis finiri: & propterea quilibet Pontifex eam renouat.

Deinde, quia regula addit etiam aliud, quod non erat in illa Constitutione contentum: videlicet, reseruatur Beneficia

ficia quæ Officialia Apostolica Sedis adepti fuerant tempore, quo suis officijs fungebantur, etiam si Officia dimiserint.

Item continet hæc regula omnia Beneficia quæ referuntur in constitutione Ioannis XXI. quæ incipit, *Execrabili*, & habetur *inter communes, de præb.*

Per secundam regulam Cancellariæ referuntur generatim omnes Ecclesiæ Patriarchales, Primariales, Archiepiscopales, Episcopales, nec non omnia Monasteria viro- rum, valorem ducentorum Florenorum auri, communem æstimationem excedentia, sita excellis huiusmodi in litteris exprimat.

Sed cur hæc regula referuat ea Beneficia, quæ alioqui ex iure constabat esse referuata? Respondeo, merito regulam esse constitutam. Nam in Constitutione Pontificia Benedicti XI. *Ad regimen*, non referuabantur Patriarchales, Archiepiscopales, & Episcopales simpliciter, sed quæ tunc apud Sedem Apostolicam vacabant, vel in posterum erant vacaturæ: hæc vero regula absolute & simpliciter referuatur. At quænam Monasteria viro- rum intelliguntur in hac regula? An vniuersa Monasteria viro- rum, An vero solum ea, quæ commendati solent? Respondeo cum Mandosio, tantummodo referuati Monasteria, vel destituta Monachis, vel commendati solita.

Per 3. regulam referuntur omnes dignitates maiores post Pontificales in Cathedralibus, & Metropolitanis Ecclesijs.

Item dignitates principales in Ecclesijs collegiatis, præterea Prioratus, Præposituræ, & aliæ Dignitates, Conuentuales & Præceptorie generales Ordinum quorumcumque, sed non Militarium, & quæcumque beneficia, quæ aliquis familiaris continuus, & commensalis Papæ, vel Cardinalis obtinuerit eorum durante familiaritate: & ea, in quibus, vel ad quæ ius illi conuenit, etiam si ab ipsa familiaritate per obitum Cardinalis, vel alias recesserit. Quæres, quænam dignitates maiores post Pontificales in Cathedralibus Ecclesijs, & quæ principales in Collegiatis intelligantur? Respondeo, cum Glossa in *c. De liberatione, de officio Lega. in 6. ante finem*, eas intelligi, quæ consuetudine prouinciarum & Ecclesiarum tales habentur. Nam in Gallia, & Hispania, Decanus in Ecclesia Cathedrali post Episcopum maiorem dignitatem habere videtur: & tamen alibi in Ecclesijs nonnullis Præpositus, maior est Decano. Et licet iure communi Archidiaconus sit Archipresbytero dignitate maior, statuto tamen, & consuetudine aliquando est minor. In Ecclesijs collegiatis qui præest toti Canonicorum collegio, alibi vocatur Abbas, alibi Prior, alibi Præpositus.

Quæres deinde, An 1. & 2. hæc regula referuat tantum vna dignitas maior post Pontificalem in quavis Ecclesia collegiata, An vero etiam duæ, si duæ maiores post Pontificalem in Ecclesia maiori existerint, & in Ecclesia collegiata duæ principales? Respondeo, cum Mandosio, ambas referuari, imo plures, si plures fuerint: quod idem sensisse Ioannem Andream, Geminianum, & Franciscum, ipse Mandosius testatur.

Quæres tertio, quænam Ordines intelligantur, cum dicitur, *Ordinum quorumcumque, sed non Militarium*? Respondeo, cum Glossa in *Clem. Quia contingit, de religio. domib. verb. Militarium*, esse quosdam Ordines, qui militiæ non sunt, sed hospitalitati ex Regula & instituto operam dant; cuiusmodi sunt, Ordo sancti Spiritus in Saxia, in Vrbe Ordo Cruciferorum, Ordo S. Antonij Viennensis in Gallia: Militares sunt, Ordo Militum Sancti Ioannis Hierosolymitani, sanctæ Mariæ Theutonicorum, S. Iacobi, Calatrane, Alcantaræ in Hispania, S. Stephani a Magno Florentie Duce institutus. Hi Ordines Militares excipiuntur, illi comprehenduntur, cum Generalis Præceptor, siue Præpositus Ordinis per electionem à Religiosis simul congregatis non creantur.

Per Regulam IV. referuntur generatim omnia bene-

ficia Ecclesiastica quorumcumque Collectorum & Subcollectorum in quacumque ciuitate, diocesi, qui suo tempore officij obierint, illa videlicet beneficia duntaxat, quæ durante eorum officio obtinuerint, & ea, in quibus seu ad quæ ius tantum habuerunt.

Per Regulam V. referuntur omnia beneficia ecclesiastica quorumcumque curialium, quos, cum curia Romana de loco ad locum transfertur, eam sequendo de eadem contigerit, & in quouis loco quantumcumque etiam à dicta curia remoto.

Sciendum est, diuersis temporibus diuersa fuisse Pontificia decreta, quibus statutum est, beneficia in curia Romana vacantia, Romano Pontifici referuari. In primis Clemens III. constitutionem edidit, *qua habetur in c. Licet, de præb. in 6.* postea Bonifacius VIII. aliam edidit, *contenta in c. Præsent. eodem titulo, & libro*, ubi illam Clementis extendit ad loca vicina, videlicet per duas dioceses legales à curia Romana distantia. Deinde Ioannes XXII. in *Extraneantibus, Ex debito, De elect. inter communes* approbavit prædictas duas Constitutiones, & eas protendi quoque voluit ad transmissos à curia Romana Legatos, & nuncios: & Benedictus XII. in *Extraneantibus, Ad regimen, De præbend. inter communes*, eas traxit & extendit ad beneficia eorum, qui peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis causa accedentes ad curiam Romanam, recedentesque ab eadem intra duas dioceses decellerint.

Tandem regula prædicta Cancellariæ comprehendit omnia beneficia quorumcumque curialium, vbi cumque sit curia Romana, & quantumcumque ab ea distent: dummodo eam sequendo, eos mori contigerit. Porro hæc regula in Germania locum habet solum eo modo, quem Nicolaus V. declarauit in sua Constitutione.

Per VI. Regulam referuntur generatim omnia beneficia Cubiculariorum, & Curforum Romani Pontificis: Videlicet, vt declarat Mandosius, etiam si sint Cubicularij vulgo dicti, extra muros: nam ceteri, qui familia es, continentur & commensales dicuntur, comprehensi iam erant in tertia regula.

Per VII. Regulam referuntur generatim omnes Canonicatus, Præbendæ, & dignitates Personatus & officia in Basilica Apostolorum Petri & Pauli, sancti Ioannis Lateranensis, & sanctæ Mariæ Maioris in Vrbe. Item Beneficia quæ pertinent ad collationem, provisionem, & præsentationem, seu quamuis aliam dispositionem S. R. E. Cardinalium, à Romana curia absentium, ratione suorum Episcopatu, Cardinalatus, & suorum titulorum, quoad absentia ipsorum durauerit, siue sint: Canonici, Præbendæ, Dignitates, Personatus, Officia, Administrationes, siue cætera Ecclesiastica Beneficia, cum cura, vel sine cura vacantia, siue vacatura, tam in eadem Vrbe, quam in Ecclesijs, & diocesis dictorum Episcoporum consistentia.

Quæres, cur speciatim in hac regula referuntur Papæ Beneficia Ecclesiarum sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, S. Ioannis Lateranensis, & S. Mariæ Maioris in Vrbe: Siquidem Papa, cum sit Vrbs Episcopus, iure ordinario habet potestatem conferendi Beneficia in Vrbe Ecclesijs constituta? Respondeo, speciatim trium prædictarum Ecclesiarum Beneficia sibi Papam referuasse, quia forte olim Archipresbyteri harum Ecclesiarum cum sint Cardinales, ius Beneficia conferendi sibi sumptuerunt: aut forte ne tanquam Cardinales, sibi ius ea conferendi conuenienter arbitrentur. Quæres etiam, quam absentiam Cardinalium intelligat regula? Respondeo, eam quæ sine legitimo Romani Pontificis consensu à curia Romana absint; quoniam iure citra ipsius Papæ consensum absente non possunt.

Vndecimo quaeritur, Quinam menses Apostolici dicantur, in quibus si Beneficia vacauerint, Papæ referuantur: & qui menses ad locorum Ordinarios spectent, in quibus Beneficia vacantia conferre queant? Respondeo, menses Apostolicos consuetudine, octo antea fuisse,

Ianuarium, & Februarium, Aprilem, & Maium, Iulium, & Augustum, Octobrem, & Nouembrem: quatuor vero ad ius Ordinariorum pertinuisse videlicet, Martium, Iunium, Septembrem & Decembrem. Nam cum Papa sit supremus omnium Ordinariorum, sibi octo menses referuauit, in quibus Beneficia vacantia conferret. Sed Pius V. Constitutionem edidit, quæ incipit: *Sanctissimus*: aliam quoque Gregorius XIII. incipientem, *Sanctissimus*: aliam etiam eiusdem initij Sixtus V. quibus omnibus gratia Episcoporum, Archiepiscoporum, Primatum, & Patriarcharum in suis Ecclesijs commorantium, & residentium, alternos tantum menses sibi referuauit: ita ut prædicti Præfules alternis mensibus vna cum Papa ius habeant conferendi Beneficia vacantia. Papæ quidem menses sunt sex, Ianuarius, Martius, Maius, Iulius, September, Nouember: Ordinariorum vero sunt alij sex, Februarius, Aprilis, Iunius, Augustus, October, December. Et sciendum est, Papam in suis mensibus beneficia conferre quomodocumque vacuerint, nisi vacent ex eo quod beneficiarius beneficium suum sponte dimittat: quam vacationem Constitutiones Apostolicæ vocant Resignationem vel cessum.

Item confert Papa quæcunque beneficia, quæ in suis mensibus vacant, exceptis ijs quorum conferendorum ius ad Archiepiscopos, vel Episcopos, qui simul sunt S. R. E. Cardinales spectat. Sic enim decernunt Pontificæ Constitutiones. Præterea, qui beneficia à Romano Pontifice petunt, debent mensem exprimere, in quo ea vacauerint; alioqui subreptitiæ, & proinde irritæ impetrationes habentur. Postremo locorum Ordinarij in suis mensibus beneficia vacantia conferunt, nisi fuerint Papæ aliquo modo referuata, aut affecta.

Duodecimo quaeritur, Quæ beneficia per alias Apostolicas constitutiones Romano Pontifici referuntur? Respondeo, in primis Paulum II. constitutionem edidisse, quæ incipit, *Ad Romanum*: data declarauit, omnia beneficia referuata, quomodocumque vacent, remanere affecta, ita ut nullus præter Romanum Pontificem, tunc quouis modo conferre queat.

Pius item Quartus aliam edidit huius initij constitutionem, *Cupientes*: vbi declarat, ad Cameram Apostolicam pertinere fructus omnium Monasteriorum Conscriptorium, & beneficiorum quorumcunque Regularium sedis Apostolicæ referuatum, vel per constitutiones Apostolicas, vel per regulas Cancellariæ editas, vel edendas, vel alias generaliter, aut specialiter referuatum, seu affectum in partibus Italiæ, in quibus Collectores, & Subcollectores spoliatorum, & iniuriam Cameræ Apostolicæ esse constituerunt: & in earum ciuitatibus, & diocesisbus consistentium, per obitum, aut quouis modo, præterquam per cessum, illa obtinentium pro tempore vacantium, a die vacationis ipsorum, usque ad diem prouisionis per Papam faciendæ.

Idem Pius Quartus edidit constitutionem, cuius exordium tale est: *Romanum Pontificem*, & aliam Pius V. ita exordientem; *intolerabilis*: in quibus constitutionibus sancitur, ut omnia beneficia per confidentiam accepta, ipso iure vacent, & Romano Pontifici referantur: hoc est, ad ipsum deuoluuntur, ita ut tunc nullus nisi ipse conferre queat.

Pij quoque Quinti alia extat constituto hoc habens initium, *Cum ex Apostolatus*, vbi statuit, ut omnia beneficia propter crimen hæresis vacantia, referuata sint Romano Pontifici, hoc est, ad ipsum deuoluantur, ut ea conferat: & declarat in impetrationibus beneficiorum ad Romanum Pontificem sub quibuscunque clausulis hæc beneficia non comprehendi, nisi expressim eorum mentio sit facta.

Eiusdem item Pontificis extat alia constitutio, sub hoc initio: *Sanctissimus*, vbi decernit, omnia beneficia cum cura, & sine cura, secularia, vel Regularia qualitercumque qualificata, & vbi libet existentia, sede Episcopali, Archie-

piscopali Primatiali, destituta, & viduata pastore, quomodolibet vacantia, quæ ad eorundem Episcoporum, Archiepiscoporum, Primatum, Patriarcharum collationem, prouisionem, præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem quomodolibet pertineant, Romano Pontifici referuata esse.

Eiusdem Pij Quinti extat & alia constitutio, sub hoc principio: *In conferendis*, vbi statuit beneficia Parochialia ab Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, vel Patriarchis collata, non seruata forma Concilij Tridentini, *sess. 24. cap. 18. de reformat.* hoc est, non præmissis examine, iuxta illud Concilij Decretum, Romano Pontifici referuari, vel ad ipsum deuolui, aut ad alios Ordinarios Episcopos inferiores, ad quos ius conferendi pertinebat.

Gregorius XIII. Constitutionem edidit huius initij: *In Ecclesijs*: qua decernit, vbi beneficia collata Clericis prohibitis propter generis originem, aut hæresim, & à Fide Apostolicam, nullius sint momenti, & ad nouam Romani Pontificis prouisionem pertineant, quomodocumque eisdem Clericis fuerint collata.

Decimo tertio quaeritur, An reservationes beneficiorum per Regulas Cancellariæ, vel constitutiones Apostolicas factæ, comprehendant beneficia post ipsas Regulas, vel Constitutiones instituta, & creata? Ratio dubitandi est, quia reum non existentium nullæ sunt partes, *l. Quidam referunt ff. de iure codicill.* Item priuilegium non conceditur rei, quæ nondum est, *cap. Ad audientiam 2. de Eccl. adifican.* Item, nihil Ecclesiæ, vel personæ quæ nondum est, donari potest, *capit. Abbate, de sens. Et re iud. in sexto.* & seruitus prædio quod non est, imponi non potest, *l. 1. ff. Communia prædiorum*: & rescriptum non protenditur ad lites, quæ non sunt, *cap. vlt. de rescript.* Sic etiam mandatum generale ad causas, quæ non existunt, non trahitur: & res quæ non est, ad iudicium non defertur, *capit. Ad dissoluidum, de despons. impub.* & procurator testatoris intelligitur dari ad eas, quæ existunt, *l. Qui habet, §. vlt. ff. de iudic. & venditio nihil operatur circa ea, quæ non sunt, imo nec etiam circa ea, quæ non apparent. l. Rustica Polla. ff. de contrahen. emptio.* & Legatum comprehendit solum, quæ existunt, non autem futura, *l. Si ita Legatum, §. l. Mucio, ff. de auro, & argento legato.* Item instrumentis fundi legatis non veniunt ea, quæ tunc non erant instrumenta fundi, *l. Iulianus, §. vlt. ff. de lega. 3.* Insuper liberationis legatum non extenditur ad debitum post testamentum testatori solum, *l. Creditor, §. l. Aulius, §. Testamento, §. Titius Scio, ff. de liberatio. legati.* Præterea iusurandum de seruandis statutis non trahitur ad futura, *l. Clericus, c. Quem admodum, de iureiuram.* & transactio non protenditur ad ea, quæ nondum existunt, imo nec etiam ad ea, quæ tunc non apparent, *l. cum Aquiliana, §. l. Qui cum tutoribus, ff. de transactio. §. l. tres fratres, ff. de pactis.* Item pignus pro minoribus vsuris obligatum, retinetur non potest pro maioribus ex posteriori contractu nascentibus, *l. per retentionem C. de vsuris*: & confirmatio bonorum, futura bona non comprehendit, *l. Si tibi mandauero, §. Is cui ff. mandati.* Stipulatio quoque ad futura non trahitur, *l. Si à Colono, ff. de verbor. oblig.* Vicarius itidem habens mandatum amplissimi conferendi beneficia, vel in omnibus causis laxandi ius, solum potestatem accipit in his, quæ potest ipse Episcopus iure ordinario, non autem commisso & demandato: vel sic habeat potestatem etiam in his, quæ potest Episcopus auctoritate ordinaria, vel delegata, solum ea extenditur ad ea, quæ ipsi postea demandatur.

Postremo in *Clem. vlt. de rescript.* mandata Apostolica de conferendo alicui beneficio, non extenduntur ad beneficia postea creata. His tamen non obstantibus respondeo, in prædictis reservationibus comprehendi beneficia postea instituta, & creata. Sic Mandolus in *Regula 3. Cancellariæ, q. 7. n. 21* vbi citat Casparem Perusinum, Aeneam de Falconibus, Lapum, & Geminianum: inde probat, quia huiusmodi reservationes sunt iure factæ, leges au-

tem, & iura nisi aliud expresse sint, futura comprehendunt, quando generatim feruntur. nam lex semper loquitur. *Arriani, C. de heret.* secus vero est de his, quæ à principio sunt posita, & obiecta: illa enim vel ad contractus, vel quasi contractus, vel ad mandata spectant.

Finis Libri sexti.

IOANNIS
AZORII LOR-
CITANI E SOCIE-
TATE IESV,

INSTITUTIONVM
MORALIVM
Pars secunda:

LIBER SEPTIMVS.

CAPVT I.

*Quod Beneficiarius, antequam beneficii possessionem
adeat, debeat diploma Pontificium
obtinere.*

ACTENS explicui quo pacto beneficia canonice & legitime acquirantur: nunc reliquum est, ut exponam qua ratione autem iam comparata, & acquisita beneficia conferentur. Qua propter dicendum mihi est, quidnam Clericus postquam est beneficium consecutus, præstare iure cogatur, ne beneficii ius aut fructus amittat: ac proinde vniuersa onera quæ sunt iure Canonico beneficiis imposita, breuiter explicabo.

Primo quaeritur, An cum alicui beneficium confertur, necessaria sit ad ius in illo acquirendum, scriptura, An vero sufficiat si testibus probetur, Beneficium illi esse collatum? Respondeo distinguendo, aut beneficium est à Papa concessum, aut ab aliquo alio loci ordinario. Si primum, quanquam necessaria scriptura non est iure antiquo communi: ac vsu Romanæ curiæ multis Romanorum Pontificum Constitutionibus confirmato, omnino est necessaria. Vtrumque docet Flaminus Parisius *lib. 8. de resignationibus q. 2. n. 8. ubi plerimos citat auctores.* Quo fit, ut cum supplex Papæ libellus offertur, in quo beneficium Ecclesiasticum petitur, solo verbo ipsius quo respondet: *Fiat*, aut, *Placeat ut petatur*, Pontificia gratia iure communi perficiatur: ac proinde firma est & rata latim, ut est signata, nondum Pontificio diplomate confectio: imo vt aiunt Bald. Geminianus, Francus, Bonifacius, Ioannes Selua, quos refert idem Flaminus, cum primum Papa Titium certæ ciuitatis episcopum, aut certæ Ecclesiæ parochum nominat, est vere episcopus, aut Parochus, videlicet potestate iurisdictionis, non ordinis; illa enim potestas solo verbo traditur, hæc non nisi consecratione datur.

An vero vsu curiæ Romanæ, ad possessionem adipiscendam, omnino scriptura, hoc est, Pontificium diploma requiritur. Cæterum si beneficium, inferior loci ordinarius contulerit, nec iure communi, nec vlla consuetudine necessaria est scriptura: Sed satis est, si collatum esse beneficium testibus constiterit, vt ex communi opinione docet idem Flaminus *libro, & q. citatis n. 10.*

Quæres, An beneficium à Papa impetrato, & Pontificio

confecto diplomate, quod deinde casu est amissum, satis sit, si testibus probetur, beneficium esse collatum, & diploma cõscriptum, sed deinde amissum. Respondet idem Flaminus ex communi sufficere: vsu & more curiæ Romanæ non item.

Quæres deinde, An saltem secundum conscientiam sufficiat, Pontificiam gratiam solum esse à Papa signatam literis Apostolicis non acceptis? Idem Flaminus respondet num. 24. Abbatem, Felinum, Rebuffum, & alios Doctores secutus, sufficere iure communi, & antiquo: ac in iudicio necessariam esse omnino scripturam. Quæres tertio, An quando literæ sunt amissæ, satis sit, si testibus beneficii conditiones, quas vocant qualitates, constiterint? Idem auctor Flaminus testatur num. 25. communem esse sententiam, ad corpus beneficii probandum, prorsus scripturam, etiam literis amissis, vsu curiæ requiri, non autem ad probandas beneficii qualitates.

Secundo quaeritur, Quæ pœnæ sint iure constitutæ in eos, qui beneficii à Papa impetrati possessionem consequuntur, antequam diploma Pontificium acceperint? Respondeo, Bonifacium VIII. Constitutionem edidisse, quæ incipit, *Iniuncta, & habetur inter Extrauagantes communes, de electio.* ubi ait: *Presenti Constitutione sancimus, ut Episcopi, & alii prelati superiores, necnon Abbates, Priores, & ceteri monasteriorum regimina exercentes, quorumque nomine censantur, qui apud dictam sedem promouentur, aut confirmationis, consecrationis, vel benedictionis munus recipiunt ad commissas eis Ecclesias & monasteria absque dictæ Sedis literis, huiusmodi horum promotionem, confirmationem, consecrationem, seu benedictionem continentibus accedere, vel honorum Ecclesiasticorum administrationem accipere non præsumant, nullique eos absque dictarum literarum ostensione recipiant, aut eis pareant, vel intendant: Quod si forsitan aliter præsumptum fuerit, ipsi Episcopi, & ceteri prædicti Prelati, nihil de Ecclesiis, vel Monasteriorum prouentibus percipere quant: & irritum habeatur quicquid per eos interim factum fuerit. Capitula vero & Conuentus Ecclesiarum & Monasteriorum, & quicumque ipsos absque huiusmodi literis receperint, vel eisdem obediuerint, tam diu sint à beneficiis suorum perceptione suspensi, donec super hoc, eiusdem Sedis gratiam meruerint obtinere.* Hæc ibi. Et quia in hac Constitutione non est vniuersæ de omnibus beneficiis decretum: ideo successores Pontificis eam ad omnia generatim beneficia protendendam curarunt. Iulius II. Constitutionem edidit talis exordii: *Romani*: quæ comprehendit omnes Ecclesias Cathedralis, Metropolitanas, Patriarchales, omnes Abbatis, Prioratus siue iure tituli, siue commendationis, siue administrationis concedantur.

Paulus III. aliam edidit, quæ initio sic habet: *Cum nobis*, in qua quia iudices Romanæ curiæ prætextu supplicationum super prouisionibus beneficiorum, & aliis gratiis signatarum, & registrarum literas & mandata dabant de illorum beneficiorum adipiscenda possessione literis non expeditis, præcipit ne id amplius faciant: & notariis, tabellionibus, & ceteris Romanæ curiæ officialibus id non seruantibus pœnam excommunicationis irrogat ipso iure, à qua nisi per Romanum Pontificem extra mortis articulum absolui nequeant. Et generatim Constitutio loquitur de omnibus beneficiis à Sede Apostolica quomodolibet impetratis.

Extat etiam alia Constitutio Iulii III. sic incipiens, *Sanctissimus*, in qua in vniuersum quoque decernitur: *Ut quicumque beneficia quacumque apud Sedem Apostolicam impetraverint, vel per collationem, vel per confirmationem, vel per unionem, vel per aliam quamcumque dispositionem, si ante consecrata & accepta Pontificia diplomata possessionem apprehenderit per se, vel per alium suo nomine, aut per alium apprehensionem factam ratam habuerint, pro intrusis & violentis detentibus habeantur: nec suos fructus faciant, sed in conscientia etiam restituere debeant. Nec suffragetur illis regula Cancellaria de annali, vel triennali possessore. Et ipso iure priuantur beneficiis obtentis, & omni iure in illis vel ad illa acquisito, ita vt ipsa*

Azor. Instit. Moral. Pars II.

ss

benefi-